CARL BERLET

Dbl. 7312

P. TERENTII AFRI

COMOEDIAE.

AD FIDEM OPTIMARUM EDITIONUM
RECOGNOVIT, ACCENTIBUS RHYTHMICIS,
BENTLEII INVENTO, ET NOTIS VEL AD
INTELLIGENDUM VEL AD EMENDANDUM

INSTRUXIT

D. THEOD. FRID. GOD. REINHARDT,

LYCEI SAALFELDANI RECTOR, SOC. LAT. IENENS.
SOD. HON.

LIPSIAE
SUMPTIBUS ET TYPIS B. G. TEUBNERI
MDCCCXXVII.

Berlt in Jena mit Zeugnissen.

PRAEFATIO.

Hujus quoque operae suscipiendae Eichstadius, Vir Celeberrimus, cui pleraque mea debeo, mihi auctor erat, isque tria me hortabatur: *primum*, *ut brevi εἰσαγωγῇ artem et rationem Comici aperirem, deinde ut fabularum eum exhiberem textum, qui ad veritatem quam proxime accederet. Annotatione vix opus esse nisi brevissima.* Quare Ukerti, Beckii, aliorum amicorum, imprimis vero Hessii, bibliothecae praefecti humanissimi, ope adjutus, nec meae ipsius pecuniae parcens, instrumenta collegi, quae ad consilium exsequendum conferre poterant, et ex his libris haec fere Terentii scriptis accidisse didici.

Antiquissimum testem, qui res ad Terentium pertinentes confirmare possit, praeter Varronem, Ciceronem, alios, qui passim Terentii aliquos versus laudaverunt, Aelium Donatum, rhetorem quondam Romanum, B. Hieronymi praeceptorem, habemus. Is anno trecentesimo tricesimo post Chr. N. vixit, et caeteras fabulas poëtae nostri, praeter Heauton Timorumenon, commentario suo exposuit. Est ejus expositio vel ad verba, vel ad artificium scenicum, vel ad res intelligendas idonea, quae ex priscis et nunc deperditis libris lucem suam petunt. In verborum quidem expositione eum vel aequiparavit vel superavit Ruhnkenius; in explicando artificio scenico insignis est, ut opiniones ejus a novissimis artis scriptoribus, a Diderot Gallico et a Lessingio nostro, illo qui-

dem, ut videtur, saepe nesciente, plerumque susceptae sint, nec incredibile sit, quod Lessingius putavit (de theatro Hamburgico II p. 157), etiam Donati aetate Terentii fabulas Romae spectatas esse, et histrionum ab exemplo haec monita sua Donatum petiisse. Menandri locos quot fabulis suis Terentium expressisse novimus, eos unice fere Donati opera traditos accepimus. Quo magis est quod doleam, in ejus commentario *vel eadem saepius inculcari, vel uno eodemque loco diversa tradi*, unde Ianus Parrhasius etiam sua aetate († 1533) in ejus librum plura irrepsisse conjicit, quae nullo modo Donati esse potuerint, sed quae, semel recepta, jam sine magno veritatis periculo a nobis non expelli possint*).

Proximus aetate, quem de Terentii dubiis locis testem adhibere possimus, liber manu scriptus est. Bembinus codex a Bembo Cardinale dicitur, qui anno MDXXXV eum possedit. Hinc Fulvii Ursini factus est, qui moriens eum bibliothecae Vaticanae legavit (Fabricii biblioth. Lat. I p. 50 sq.). Scripti specimen in Cocquelinii editione Terentii I p. IV expressum est. Est codex ductibus literarum codicis Medicei Virgiliani, de quo Nicol. Heinsius disseruit, simillimus. Codex Virgilii autem propter Turcium Rufium Asterium, anno p. Chr. N. quadringentesimo quadragesimo nono Romae consulem, cujus nomen inscriptum est, saeculi p. Chr. N. quinti est. Quare vel ejusdem vel proximi sive superioris sive inferioris saeculi codex quoque Bembinus esse debet; vetustiorem se vidisse nullum codicem Angelus Politianus scripto

*) Cf. *Lessing, Collectaneen zur Literatur in eius scriptis nuperrime editis T. XIV p.* 167 *sq. s. v. Donatus. — Ludov. Schopen, de Terentio et Donato eius interprete, dissertatio critica. Bonnae* 1821.

Ael. Donatus, commentarius in Terentii comoedias; nec loco neque aetate adscripta (1470 vel 72). sq. min.

— — Romae, Cr. Sweynheym et Arn. Pannartz, 10 Dec. 1472 sq.

— — (Ven.), Vindelinus Spirensis (circiter a. 1472), sq. Saepius ipsis Terentii comoediis additus est, v. infr.

fassus est. Singuli senarii singulis versibus in eo distincti leguntur, species verborum ad antiquissimum linguae Latinae sonum formatae scribuntur*), et, quod imprimis memoratu dignum sit, in Adelph. IV, 1, 12 *in mentem est*, non *in mente* liber exhibet, quod et ipse A. Gellius I, 7 apud Plautum fuisse testis est. Quare Faërnus plurimi codicem fecit, et ipsi, in reliquis fabulis non nisi gravissimis de causis a codice discedentes, aegre tulimus, quod in Andria ejus testimonio nobis carendum fuerit, quippe cujus fabulae tantum fragmenta aliqua et ea parum utilia in codice supersint.

Versibus senariis non distinctis, sed continua scriptione, quasi pedestri oratione, Terentius in altero codice Vaticano, quem ad nonum saeculum Montefalconius refert, perscriptus est. Hrodogarius, Caroli Magni aequalis, eum scripsit, et, quod Fabricius quidem Bibl. Lat. T. I p. 52 dicit, Calliopius Scholasticus eundem recensuit. Hac de re silet Cocquelinius, quamquam de eo libro fuse dicens, quare id ei libro inscriptum esse dubito. Quod majus est, formae histrionum in eo ad singulas scenas expressae sunt, quas valde credibile sit ipsas species oculis nostris subjicere, quibus histriones olim induti Terentii fabulas agebant; ita artificio suo pictae imagines cum ipsius poëtae et fabulae, cui appictae sunt, artificio et voluntate congruunt. Quare ad Terentium et ejus fabulas accuratius cognoscendas non parum conferunt, et Cocquelinius cum editione Urbini 1736 bene meruit, quum aeri incisas imagines repeteret.

Reliqui codices, Victorianus, Barberini, Britannici, Gallici, Germani, senariis versibus vel distinctis scripti sunt, et aetate sua ad saeculum decimum quintum usque perveniunt, quo exeunte quum ars typographica tandem inventa esset, nova rerum series et *major saeclorum ordo nascitur.*

*) cf. Petri Bembi Cardinalis opuscula. Argentorati 1611. p. 817 — 833.

Interea nono saeculo p. Chr. N. Calliopius exstiterat, qui fabulas Terentii recenseret. Ad eum pertinet, quod de altero codice Vaticano diximus, et quod in aliquibus editionibus, v. c. Schmiederi, aliorum, post singulas comoedias scriptum est: *Calliopius recensui.* Qui vir autem fuerit, tam parum nobis traditum est, ut essent, eo nomine qui Alcuinum, Caroli M. doctum aequalem, significari putarent, a Musa Calliope cognomine petito; plures non fictum, sed verum Calliopii nomen fuisse statuunt, nam alios quoque constare id nomen habuisse.

Decimo saeculo, Othone III imperatore Romano, Eugraphius vixit. Ad singulas quasque Terentii comoedias commentarium addidit. Non contemnenda ejus opera, praesertim quae tempora illius aetatis fuerunt, imo etiam nunc utilis est; ipsi aliquoties ea usi sumus; sed eius testimonio ad fidem faciendam antiquitatis deficit, et propter temporis rationem, quo vixit, non multo plura nos docere potest, quam quae aliunde quoque eruere possimus.

Heauton Timorumenos quoque, in quem Donati commentarium nullum habemus, ne ab interpretis opera destitueretur, Calpurnius cavit. Calpurnii Brixiensis commentarius in editione Erasmi exstat Basileae 1532. Donatum ipsa descriptione operis sui Calpurnius imitatus est, sed, a Romana antiquitate tam longe absens (vivebat anno MCCCCLX p. Chr. N.), judicis quidem, non testis operam nobis praebere potest.

Anno millesimo quadringentesimo septuagesimo certe, nisi prius, Schoefferi nova ars etiam nostrum poëtam luce donavit. Mediolani Terentius prodiit Antonii Zaroti opera, Ioh. Legnani sumtu, et per minora temporis intervalla exinde ab aliis quoque saepius expressus est.

Antiquissima editio, qua ipsi usi sumus, *impraessa* est *Venetiis. per Nicolaum girardengum: recognitaque per Magistrum Franciscum dianam sub Anno Dni.*

MCCCCLXXVIIII. Senarii versibus quidem distincti sunt, sed multo aliter, quam qui hodie leguntur, ut senariorum simulacra magis, quam veri senarii esse videantur.

Saeculo decimo sexto primum viri docti studio suo poëtam pristino nitori aliquantum restituerunt. In Terentio quidem *cum lucubratiunculis Petri Marsi et adnotationibus marginariis Pauli Malleoli Argentipoli anno MDXIIII edito* in fronte cujusque scenae de versibus scenae, quales sint, ratio reddita est. Postea majora studia imprimis Erasmi commota sunt. Ejus opera Terentii comoedias habemus *una cum scholiis ex Donati, Asperi et Cornuti commentariis decerptis, multo quam antehac unquam prodierunt emendatiores, nisi quod in ἑαυτὸν τιμωρούμενον scripsit vir apprime doctus Io. Calphurnius Brixiensis, licet recentior. Indicata sunt diligentius carminum genera, et in his incidentes difficultates, correcta quaedam et consulum nomina, idque studio et opera Des. Erasmi Roterodami, non sine praesidio veterum exemplariorum. Ad haec accessit index accuratus vocum a commentatoribus declaratarum. Basileae in officina Frobeniana anno MDXXXII.* Haec ipsa libri inscriptio de se praedicat. Hunc ordine Muretus excipit, qui Terentium, argumentis et scholiis instructum, apud Paulum Manutium anno MDLV Venetiis edidit. Bentlejus quidem ad Heautont. I, 1, 20 Muretum in Terentio emendando parum felicem dicit, nec dubium est, quin ei Muretus vehementer displiceat, cui Bentlejus placet, ita Bentlejus se comparavit audendo, Muretus experiendo ut quaeque efficiat. Ipsi sibi tantum effecisse videtur Muretus, *quantum si alius post eum quispiam effecerit, sit, cur sibi serio, qui huius poëtae studiosi sint, gratulentur;* certe Muretum quotcumque noverunt, ii facile existimabunt, quae ejus fuerit Latinae linguae scientia, non potuisse eum non multa utilia et ad interpretandum et ad emendandum Terentium afferre.

Proximo anno MDLVI Petrus Antesignanus Rapi-

stagnensis Terentium triplice editione Lugduni emisit. In prima editione et ipse accentibus additis lectioni moderabatur; ii accentus vero non rhythmici erant, sed tantum ad singula verba pronuncianda pertinebant, multum illi ab ictibus Bentlejanis proposito et potestate diversi, et verbis non nisi iis adscripti, quae duas syllabas amplius habent. (Conf. Bayle diction. s. v. *Antesignan*).

Antesignanus tironum usibus editionem suam imprimis destinaverat, et magis interpretatus Terentium erat, quam eum emendaverat. Post eum Gabriel Faërnus exstitit, qui non minimam vitae suae partem emendationi Terentii impendisse videtur; tam eximie de Terentio egit. Librum manu scriptum a Petro Victorio, amico, mutuatus erat, qui liber Bembino suppar aetate fuisse dicitur, et hoc et ipso Bembino et aliis antiquitatis monumentis instructus, metra potissimum Terentii corrigere studuit. Praeclare eo munere functus est, praeclarius etiam functurus, nisi immatura morte ereptus esset, et librum suum alienae, sed amicae tamen P. Victorii operae curandum relinquere debuisset. Anno MDLXV liber primum Florentiae prodiit, post saepius repetitus est Florentiae anno MDLXXXVII, Heidelbergae anno MDCVII, anno demum MDCCXXIV cum Harii, et biennio post cum ipsius Bentleji annotatione. Additus est editionibus Victorii et Harii *de versibus comicis liber Faërni imperfectus*, quem simul cum Rudente Plautina Volgangus Reizius quoque Lipsiae anno MDCCLXXXIX edidit.

Plures editiones, sed minorum gentium, lucem viderant, antequam Fridericus Lindenbrogius anno MDCII Parisiis 4, postea Francofurti 1623 primus post Faërnum insignius aliquid praestitit. Diligenter quidem excussit quidquid de Terentio ubique scriptum reperire poterat, et primus Eugraphii, *post pauca illa, quae hujus scholiastae Faërnus olim in Italia provulgaverat, longe plura ex antiquissimo libro Ant. Loiselli I. C. edidit, et, quae huic deerant, ex nobiliss. Franc. Olivarii codice*

supplevit. In emendando Terentio antiquissimo codice bibliothecae Regiae Parisiensis usus est, et aliquas suas ipsius observationes et in Terentium et in Donatum adjecit. Sed quum τὴν ἀκρισίαν ἐκθεατρίζειν nollet, Terentio caute interpretando magis, quam audacter corrigendo suffecit.

Daniel Heinsius, Nicolai pater, et ipse poëta non inelegans, poëtam nostrum (Lugd. B. 1615, Amstelodami 1618. 12) tam felice eventu recensuit, ut ex ejus recensione Terentius saepissime prodierit, etiam post Bentlejum in Italia Urbini 1736, Cocquelinii opera 1767 repetitus fuerit. Laudabant Heinsium, „quippe qui matura ac diligenti navata opera, qua lectissimorum manu scriptorum codicum exemplo et auctoritate, qua criticorum virorum judicio et castigationibus poëtam nitori suo restituerit: et eo nomine a republica literaria singularem gratiam iniverit.“ Revera ipsius Heinsii, qui fuit, elegantiae sensus ejus recensioni Terentii quodammodo impressus esse videtur. Heinsius poëtico sensu limatus, idemque neque a libris nec a scientia destitutus, divinatione quadam multo veriora saepe assequutus est, quam syllabas dimetientes Grammatici. Commendatur ejus recensio populari quadam ratione, qua ejus textus institutus est.

Io. Philippus Pareus quoque in Terentio edendo elaboravit (Neapoli Nemetum 1619. 4), sed multo minori, quam quod Plauto adhibuit, studio.

Anno MDCLVII *Io. Henricus Boecler* Terentium cum suis et *Guyeti* animadversionibus edidit. Boecler singularum fabularum primum argumenta narrat, et artificium uniuscujusque fabulae ad praecepta scriptorum artium exigit. Tum annotata ejus multa sunt, quae ad rem metricam, ad interpretationem verborum et rei scenicae et ad κρίσιν spectant. Guyeti animadversiones et easdem res, imprimis vero, quid verum, quid falsum sit in Terentii libris, tractant, et hac provincia tam audaci animo functus est, ut Wasius eum in Senario *prae-*

cipitem et ferocem Gallum dixerit, etiam Bentlejus, quamvis in corrigendo Terentio parum cautus, virum eum *sagacissimum, sed audacia saepe praecipitem* fuisse statuerit (ad Heaut. prol. 3).

Elegantes sunt et venustatis sensum in quoque lectore excitant editiones Terentii *Annae Daceriae*. Prima prodiit Parisiis 1688. 12 tribus voluminibus. Saepius repetita est. Ipsi quidem ea editione usi sumus, quae 1747 *à Amsterdam et à Leipzig, chez Arkstée et Merkus* venibat. Gallice Daceria fabulas interpretata est, et notas addidit subtiliter observatas, quae ad res magis, quam ad verba explicanda pertinent.

Editionibus vero, quae proximis annis minus nobiles edebantur, carui.

Anno MDCCXXIV editione sua *Franciscus Harius* Bentleji insigniori studio praeivit. Repetitum est quidquid ad Terentium vel emendandum vel interpretandum Faërnus attulerat. Petri Victorii epistola, quacum Terentius Faërnianus Carolo Borromeo olim missus fuerat, adest. Adest, quod de eadem re Silvius Antonianus ad eumdem Carolum Borromeum scripserat. In dedicatione et in praefatione de rebus Comicis et de Terentio Harius eleganter scripsit. De metris Comicis peculiari libello, quem addidit, accurate egit. Ipsis Terentii versibus notae adscriptae sunt, quae lectionem regant et metrum legentes doceant. Loci si qui corrigendi videbantur, in animadversionibus ejus rei ratio reddita est. Denique diligentiam quidem quin Harius adhibuerit, non dubitari potest. Laudem invenisset ejus editio, nisi biennio post Bentlejus Terentium edidisset, oculos hominum audacia pariter atque acumine praestringens.

Bentlejus quoque suam editionem Faërnianae tamquam fundamento imposuit. Servavit vetustam scribendi rationem, quam Faërnus introduxerat, textum quoque Faërnianum plerumque sequutus est, sed praeterea libros, qui in Britannia manu scripti sunt, comparavit, et horum auxilio Terentium emendavit, imprimis vero ac-

centibus rhythmicis, quos invenit, Terentio et legendo et emendando consuluit.

Accentus rhythmicos, si per me stetisset, huic editioni non adscripsissem. Parum mihi ab initio videbatur, auribus legentium ita imperare, ut vocem suam ubi acuerent, ubi demitterent, lectores juberem; ut ita legentium vel voluntatem vel prudentiam regere vellem, non posse non inique a me fieri existimabam. Wielandius (ad Artem Poët. Hor. p. 271. VI) se dubitare dicit, „an aliquis vir doctus sit, ad cujus aures versus Plautini et Terentiani tamquam versus accidant; se quidem non infitiari, aures se habere parum idoneas ad versus iambicos ab oratione pedestri distinguendos, in quibus poëta, quotiescumque velit (in singulis versibus certe ter quaterve) spondeum, dactylum, anapaestum, tribrachyn pro iambo adhibere possit, et in quibus singuli versus modo octo vel duodecim, modo duodeviginti, viginti, viginti duarum, amplius, syllabarum sint, praeter eas syllabas, quae contrahantur. Haec quum de se summus poëta fassus esset, etiam plures futuros esse suspicabar, quibus accentus rhythmici non solum nullam utilitatem ad legendum, sed etiam molestiam afferrent. Redemtor autem et redemtoris amici quum aliter sentirent, amplius iis resistere nolui, et munere quo accuratius fungerer, sedulo conquisivi, quid ubique de versibus Terentianis scriptus fuerit.

Sunt autem veteres Grammatici, qui hanc rem primi tractabant.

Terentianus Maurus, qui qua aetate vixerit non satis constat, *de literis, syllabis, pedibus et metris* versus conscripsit. Est ejus liber in: *Heliae Putschii Grammaticae Latinae auctoribus antiquis* p. 2383—1450.

Versus *Rufini*, Grammatici Antiochensis, *de metris Terentii et Plauti et aliorum* sunt in Heliae Putschii p. 2706—2724.

Priscianus Caesariensis scripsit *de metris Terentii aliorumque Comicorum.* In Heliae Putschii est p. 1319—1330. In: *Prisciani Caesariensis Grammatici opera*

ad vetustissimorum codicum, nunc primum collatorum, fidem recensuit, emaculavit, lectionum varietatem notavit et indices locupletissimos adjecit Augustus Krehl, Lipsiae MDCCCXIX — XX, est in volumine secundo p. 403 — 417.

Hos *Angelus Politianus* e recentioribus ordine excepit, „qui primus Terentii fabulas emendare aggressus est et in suos numeros aptissime referre, collatis ac perlectis vetustis exemplaribus.“ Haec ipsa verba *Benedicti, Philologi Florentini*, sunt, qui, ad *P. Terentium, in sua metra restitutum Argentipoli* 1514, praefatus, similem et se ipsum operam Terentio praestitisse praedicat.

Erasmus in editione sua a. MDXXXII „quatriduanam opellam sumsit, ut adolescentulis aliquam metricae difficultatis partem adimeret, non quidem in omnes fabulas, sed in unam perpetuo, et in caeteris carptim: quo ceu filo adjuti sese facilius e caeteris explicarent labyrinthis.“ Ejus adversarius *Iul. Caes. Scaliger* exstitit, qui anno MDXXXIX *librum de comicis dimensionibus, Lugduni, Sb. Gryphius.* 8. 56 *pagg.* (Ebert bibliogr. Lex.) edidit. Idem argumentum tractatum est in: Iul. Caes. Scaligeri *Poëtices* l. VII^mo^, qui et *Epinomis*, in quo „de negligentia aut inscitia professorum; de temporibus in pronunciando; de pedibus scenae convenientibus; versuum quorumdam dimensione ac restitutione“ agitur. Annis MDXLV — MDXLIX et secundo loco MDLII *Io. Camerarius Plauti Comoedias magna cum cura emendatas* edidit. Ibi Camerarius quoque de *carminibus Comicis* p. 34 — 57 egit. Muretus quoque *de metris Terentianis*, sed brevissime egit. Creticum autem, de quo imprimis controversia erat, in versibus comicis an esse necne posset, quod Scaliger affirmabat, negabat Camerarius (v. de verss. Terent. p. 227), Muretus quidem in Terentio suo tuetur ad Andr. I, 1, 25 haec adjiciens: „In quarta sede pes ille, qui Creticus dicitur. Scio autem, super hoc pede, ecquid in iambicum carmen reciperetur, an minus, varias eruditorum hominum et fuisse et esse sententias. Ego, antequam hac de re statuam,

quid in quaestione versetur, etiam atque etiam considerandum puto. Nam si hoc quaeritur, data quibusdam hominibus in Terentio et Plauto addendi, detrahendi, invertendi mutandique licentia, possintne omnes illorum poëtarum iambici versus ita componi, ut nusquam in eis Creticus reperiatur: facilis et expedita res est; ipse mehercules iambus, si hoc concedatur, ex eo ipso, cui nomen dedit, versuum genere moveri queat. Sin hoc agitur, nulla importuna et temeraria mutatione concessa, multine sint in utroque horum poëtarum versus, quorum dimensio explicari sine Cretico non queat: ego vero innumerabiles posse proferri arbitror." Faërnus quoque in notis editionis suae plurima et utilissima ad cognitionem doctrinae metricae attulit. Imprimis vero *Chr. Wasius in Senario sive de legibus et licentia veterum poëtarum, Oxonii e theatro Sheldoniano* 1687. 4, peculiari libello 248 paginarum, de versibus comicis exposuit. Postremum Harius in editione sua de metro comico multis egit.

Sciebant viri docti quidem, antiquissimum poësis genus *ad rhythmum solum* Romanos componere consuevisse (v. de verss. Ter. p. 216) et metrum a rhythmo distare, *quod metrum certa qualitate ac numero syllabarum temporumque finitur, certisque pedibus consistit ac clauditur: rhythmus autem temporum, syllabarum pedumque congruentia in infinitum multiplicatur ac profluit* (Diomedis Grammatici sunt in Heliae Putschii p. 469 — 470; cf. Servius ad Aen. I, 41. 384. 451.): at tamen etiam Terentianus Maurus *de pedibus* (p. 2412 Putschii) dixerat:

Latius tractant magistri rhythmici vel musici:
Nos viam metri studemus parte ab aliqua pandere.
Ergo quom reddenda rursus haec erit distinctio,
Quae pedum natura poscet, satis habeo attingere.

Quare quum rhythmi tractationem ex operibus suis Grammatici exclusissent, omne suum studium intra metra continentes, de versibus Terentianis non aliter atque de

versibus Horatii, Virgilii, aliorum statuere solebant; sed eos conatus parum feliciter auctoribus suis procedere, Bentlejus primus aperuit.

Bentlejus docuit, Romanos versus suos, „non, ut pueros in scholis, ad singulorum pedum initia, sed ad rhythmum totius versus“ legere consuevisse (de metr. Ter. schediasma p. XIX), et ex solo rhythmo Terentium omnes versuum suorum leges unice petiisse; ne multa, Bentlejus docuit, de versibus Latinis idem, quod de versibus nostrae linguae, factum esse. Nostri quoque homines accentu versus suos prius modulabantur, quam syllabas vel brevitate vel longitudine dimetiri ex Vossio discebant. Bentlejus igitur praeclare meruit, quum accentibus rhythmum declararet, qui in versibus Terentianis sit, et eo nomine saepissime et a pluribus laudatus est.

Sed propter insitam a natura audaciam et inventi sui novitate elatus, Bentlejus in Terentio plura, quam licuit, mendi arguebat et audacius quam verius mutabat, ad Phormionis quidem prol. 25 ne infitiatus quidem, Terentium se, non solum librarios corrigere velle. Quare a viris doctis in: *Miscellaneae observationes in auctores veteres et recentiores, ab eruditis Britannis anno MDCCXXXI edi coepta, Amstelaedami*, vol. III T. 3 p. 387 sqq. et vol. IV, T. 1 p. 111 sqq. etiam annis MDCCXXXIII et MDCCXXXIV, post anno MDCCXL in: *Novae Misc. observ. crit. in Belgio collectae* p. 28 sqq. graviter vituperatus est; Ernesti vero, *Plauti Comoediis ex recensione Gronovii Lipsiae MDCCLX* praefatus, in praefatione sua p. X - - XI „serio optandum esse dicit, ne accidat Plauto, ut aliquis ejus Comoedias ex ingenio ad leges poëticas refingere conetur, quod Bentlejus in Terentio fecit, et in Plauto se facturum minatus est, ne rursus Plautum, vix majori ex parte receptum, paulatim perdamus. Quamquam, nisi vehementer fallimur, ita illam rationem vanitatis convicit Fr. Harius, rectius Latini poëtae securitati et integritati consulens, quam He-

braici ac divini consuluit, ut non nimis timendum sit Plauto a tali periculo."

Itaque qui post Bentlejum Terentii Comoedias edidere, ii omnes quidem Bentlejum de acute inventis laudaverunt, sed ejus correctionibus plerumque non opus esse iidem censuerunt. Post Bentlejum autem hi viri docti Terentio edendo operam suam dicaverunt:

Eodem anno MDCCXXVI, quo Bentlejus, *Arnoldus Henr. Westerhovius* quoque Terentium edidit cum commentariis Donati, Eugraphii et Calpurnii, ipsiusque commentario suo perpetuo. Additae sunt observationes Fr. Lindenbruch in Ter. et Don., etiam indices locupletissimi. Hagae Comitum. 4.

P. Terentii Comoediae, nunc primum Italicis versibus redditae, cum personarum figuris aeri accurate incisis ex Ms. Codice bibliothecae Vaticanae. Urbini sumtibus Hieronymi Mainardi. Anno MDCCXXXVI. I T. fol. Textus est Danielis Heinsii (v. spr.).

P. Terentii Carthaginensis Afri Comoediae sex, recte tandem captui juventutis accommodatae, oder: deutliche und nach dem Begriff der Jugend endlich recht eingerichtete Erklärung des P. Terentii, eines Comici, nebst einer Vorrede von Lesung der heydnischen Auctoren, sodann einem Vorbericht von des Terentii Leben und Schrifften, desgleichen von den Comoedien und Tragoedien der alten Griechen und Roemer, Teutschen Summarien und darzu gehörigen volkommenen Registern, nach Art des durch Emanuel Sincerum edirten Corn. Nep. etc. Augspurg 1735. I B. 8.

P. Terentii Afri Comoediae ex recensione Danielis Heinsii, collata ad antiquissimos Mss. Codices bibliothecae Vaticanae, cum variantibus lectionibus, larvis et personis depromptis ex eisdem codicibus et Italica versione. Recensuit notasque antiquam artem comicam et nonnulla antiquitatum Romanarum monumenta illustrantes addidit Carolus Cocquelines. Romae MDCCLXVII. Impensis Nicolai Roisechii bibliopolae. II tomi. fol.

P. Terentii Carthaginiensis Afri Comoediae sex ex recensione Frid. Lindenbrogii cum ejusdem Mst. lectionibus atque Aelii Donati, Eugraphii et Calpurnii commentariis integris. His accesserunt Bentleji et Faërni lectiones ac conjecturae omnes, sed in compendium redactae, item Westerhovii in scholiastas lectiones ac conjecturae, quibus et suas adspersit M. Jo. Car. Zeunius. Adjecto indice in Donatum et Terentium locupletissimo. Lipsiae, impensis G. Theoph. Georgii. MDCCLXXIV. II tomi. 8.

Editio Bipontina c. select. varietate lect. et perpet. annot. Acced. ind. lat. c. interpretat. 2 tom. 8. 1779.

P. Terentii Afri Comoediae sex. Adnotationem perpetuam adjecerunt M. Benj. Frid. Schmieder, Gymn. Halens. Luth. quondam Rector et Fridericus Schmieder. Editio altera auctior. Halis Saxonum, impensis Hemmerde et Schwetschke. MDCCCXIX. I tom. 8.

P. Terentii Afri Comoediae sex. Textum ad fidem codicis Halensis antiquissimi, criticis nondum cogniti, edidit, variam editionum lectionem annotavit, scholia a vulgatis diversa ex eodem codice descripsit et Cel. Ruhnkenii dictata in Terentium necdum typis impressa adjecit D. Paulus Jacobus Bruns, philosophiae professor P. O. in Academia Halensi. Halae in libraria Rengeriana. MDCCCXI. 2 tomi. 8.

Davidis Ruhnkenii in Terentii Comoedias dictata, Brunsiano exemplo emendatius multisque partibus integrius ex apographo Hamburgensi edita. Cura Ludovici Schopeni, Ph. D. Gymn. Reg. Bonn. Collegae. Bonnae impensis Ed. Weberi, Lugduni Batavorum apud S. et I. Luchtmans. MDCCCXXV. 1 tom. 8.

P. Terentii Afri Comoediae ad codices mss. et optimas editiones recognovit, varietate lectionis, commentario perpetuo et indice verborum instruxit Frid. Christ. Gottl. Perlet. Accedunt trium codicum Guelferbytanorum nunc primum collatorum excerptae. Lipsiae, sumptibus librariae Hahnianae. MDCCCXXI. 8. XLII et 740.

Inter nostros homines Reizius quidem et ejus disciplinam qui sectabantur Bentlejum et opiniones Bentleji plurimi faciebant.

Fridericus Volgangus Reizius, *Burmannum de Bentleji doctrina metrorum Terentianorum judicare non potuisse. Lipsiae MDCCLXXXVII.* 4.

Godofredi Hermanni elementa doctrinae metricae. Lipsiae, *ap. Gerh. Fleischerum jun. MDCCCXVI.* 8. pp. 784.

Idem tamen Reizius in eodem scripto suo Bentlejum vituperavit, quod versus iambicos dipodiis trochaicis, non iambicis dimensus sit; qua ratione non possit non omnis rhythmus versuum iambicorum perire et in trochaicum rhythmum transformari. Hermannus quamvis in elem. d. metr. p. 66 *magnam* in re metrica a Bentlejo *conversionem* factam esse dixerit et in praefatione ad elem. d. m. p. XII judicaverit: „primus novam inire viam ausus est R. Bentlejus, vir divini ingenii, nec servire cuiquam disciplinae, sed, quoquo se converteret, imperare sciens. Is rem difficillimam, comicorum Latinorum metra aggressus, quum facile, qua erat solertia, illud, in quo summa rei verteretur, deprehendisset, breviter, sed perspicue exposuit de ea ratione in schediasmate, quod scripsit de metris Terentianis: sentiensque, altius repetendas esse hujus rei causas, quum eas explicare non posset, quod non est mirum in illa, quae tum erat, conditione philosophiae, arcanam rationem musices objectare satis habuit;“ Hermannus, inquam, Bentlejo etiam sic laudato, Bentlejum tamen *saepe inventis suis etiam cum damno Terentii usum esse* dicit (elem. d. m. p. 66); et de pluribus se cum Bentlejo non consentire peculiari libello probavit:

Godofredi Hermanni dissertatio de Richardo Bentlejo ejusque editione Terentii. Lipsiae MDCCCXIX p. I—XXIV. 4to in: *Bentleji et doctorum virorum epistolae partim mutae. Repetiit et auxit Fried. Traug. Friedemann. Lipsiae MDCCCXXV.* nuper iterata.

Unus Bothius audacia, si fieri possit, etiam Bentlejum superavit.

Publi Terenti Afri Comoediae. In usum elegantiorum hominum edidit Frid. Henr. Bothe, Magdeburgensis. Accedit icon Comici in aes incisa. Berolini, sumtu Ioannis Frid. Ungeri. 1806. 8. pp. 640.

Quae quum ita esse cognovissem, hanc editionem meam sic institui.

In principio cuiusque fabulae C. Sulpitii Apollinaris periocham posui. Eae *περιοχαὶ* sive argumenti narrationes diu ipsius Terentii esse putabantur, donec Petrus Bembus Cardinalis (de Terentii fabulis p. 817) Apollinari eas vindicavit; testimonio ad eam rem codicis Bembini usus, in quo Apollinaris nomen adscriptum est. Erat Apollinaris autem Grammaticus doctissimus, a Carthagine oriundus, qui post Christum natum saeculo secundo, T. Aurelio et M. Aurelio Antoninis imperatoribus, vixit. Helvium Pertinacem, qui anno p. Chr. n. CXCIII imperator Romanus factus est, arte Grammatica instituerat, de scientia sua ab A. Gellio saepe laudatus. Noct. Att. II, 16. IV, 17. (Cf. Bayle s. v. *Apollinaris.*)

Textum hujus editionis ad similitudinem Bentlejani maxime conformavi. Bentlejus ubicumque codicum vestigiis insiterat, ejus auctoritatem plerumque sequutus sum, idque ejus acumini et scientiae rei metricae tribuendum esse putavi. Verum ubi conjiciens scripta mutaverat, majorem aliquam cautionem adhibendam esse existimavi et putavi, non raro eum vel de sententiae vel de linguae natura statuisse, quod secus sit. Hujus rei in notis accurate ratio reddita est. Raro commisi, ut tacite ejus ab opinionibus discederem. Saepius Scenarum, quas Grammaticos invenisse Muretus putat (Schol. in Ter. p. 661), et Actuum, qui in Bembino libro ne distinguuntur quidem descriptionem aliter institui, duce potissimum adhibito:

Godofr. Aug. Bened. Wolff, de Actibus et Scenis

apud Plautum et Terentium dissertatio prima. Gubenae MDCCCXIII.

— — — — *dissertatio secunda. Gubenae. MDCCCXXIV.*

Ut nihilo minus facile loci Terentiani reperiri possint, post singulas fabulas *dissimilitudinem descriptionis Scenarum et Actuum* plerumque addidi, quae inter Bentleji et hanc editionem est.

In versibus et Terentianis constituendis duo praecepta potissimum sequutus sum, Wasii alterum, alterum Hermanni. Wase de hiatu, Sen. p. 39: „In funambulis placent in arcto gressus numerosi; maxima quippe delectatio percipitur ex periculis. Ita fit; molliter et arcte conniventibus versuum juncturis indormiscit auditor securus; lapsantibus subinde numeris et casum minitantibus expergiscitur et animum attendit. Comici vero metri male laxae compages artis et commentationis suspicionem procul movent; rusticisque et de plebe infima personis veram barbariem addunt.“ Hermannus elem. d. m. p. 48: „Atque si ulla ex re intelligi potest, quod aegre credunt philologi, poëtas, ut nunc quoque fit, non tam disciplinam quamdam, cujus leges migrare non liceret, quam sensum suum atque aurium approbationem sequutos esse, profecto id ex hiatu certissime colligitur. Nostrum est quidem, quum artem quamdam doctrinamque harum rerum condimus, ubique regulas et leges circumspicere: sed qui obliviscuntur, totum hoc genus in eo versari, quod placeat ipsumque se auribus commendet, non animadvertunt, dum morosas regulas excogitant, plus se scire velle, quam ipsi poëtae sciebant, risuri profecto, si viderent, quam obscura eos et inutili diligentia usos putamus, dum nihil nisi sensum suum sequebantur; aliquando etiam, quod non satis placeret, sibi indulgentes.“ Quare e duabus lectionibus librorum eam semper praetuli, quae cum praeceptis artis metricae consentiret; verum si quando Bentlejus praecepta sua non e versibus,

sed versus ex praeceptis constitueret, detrectavi ejus auctoritatem, et libros potiores habui. Qua in re gaudeo, quod Lindemannus quoque mecum sentiat, qui, ad Militem Gloriosum Plauti praefatus, sibi, quo diutius, inquit, tractaret Plauti fabulas, eo liberiores visas esse leges prosodiae Plautinae, eoque diligentius et firmius codicibus insistendum esse se judicare coepisse. Etiam fragmentum metricum semel admisi: Hec. II, 1, 4.

Voces scripsi ea ratione, qua Faërnus eas et ipse scripsit et in antiquissimis codicibus Terentii scriptas esse docuit. Unum novavi, quod *pollicitus 'st* scripsi pro eo, quod in codice Bembino est *pollicitu 'st; veritus's* pro *veritu's*, ad perspicuitatem augendam.

De P. Terentii Afri vita et comoediis quum agerem, libris imprimis his usus sum.

Diderot, de la Poésie Dramatique à Monsieur Grimm, in: *Oeuvres philosophiques de Mr. D. à Amsterdam, chez Marc-Michel Rey. MDCCLXXII. Tome troisième.* Convertit Lessing: *Das Theater des Herrn Diderot. Aus dem Französischen übersezt von Gotthold Ephraim Lessing. Zweyter Theil. Zweyte Ausgabe Berlin* 1781. 8.

Hamburgische Dramaturgie von Gotthold Ephraim Lessing. 1769. 2 B. 8.

Abhandlung von dem Leben und den Werken des M. Accius Plautus; in: *Gotth. Ephr. Lessing's sämmtlichen Schriften. Berlin* 1826. *Zehnter B.* 12.

Ueber dramatische Kunst und Litteratur. Vorlesungen von August Wilhelm von Schlegel. Zweyte Ausgabe. Heidelberg 1817. 3 Theile. 8.

Friedrich Schlegel's sämmtliche Werke. Wien 1822 — 1825. Zehn Bände. Imprimis. T. I, IV et V.

Caspar Sagittarius Luneburgensis scripsit quoque librum nostrae scriptioni titulo quidem non ita dissimilem, sed argumento: *Commentatio de vita, scriptis, editionibus, interpretibus, lectione atque imitatione Plauti*,

Terentii, Ciceronis. Altenburgi excudebat Rüger. MDCLXXII. 8. pp. 163.

Ad versus Terentianos explicandos praeter eos libros, quos supra laudavi, hunc adhibui:

Quaestionum Plautinarum liber primus, sive de hiatu in versibus Plautinis. Scripsit Carolus Lingius. Vratislaviae MDCCCXIX. 8. pp. 79.

In notis denique, Perletus dicit, „si quid scire opus sit, maluisse se ejus rei explicatae abundantiam adesse, quam penuriam.“ Ea de re aliam opinionem concepi. Aliquid interesse putavi inter eas res, quae cogitatione, et inter eas, quae doctrina et scientia explicandae sint. Quas cogitatione assequi possimus, eas res si explicassem, parum me ab lectoribus gratiam initurum esse putavi; prudentioribus lectoribus ea re veritus sum, ne molestus sim; diligentibus juvenibus ne importunus, si rerum suis viribus inveniendarum fructum praeriperem; pigritiam negligentium ne adjuvare quidem volui. Quare parcus fui in hujusmodi rebus interpretandis, diligentior in reliquis; et Schmiederi et Perleti etiam hoc exemplum imitari nolui, quo in ipsos versus Terentianos de actione rei scenicae monita intruserant. Semel de hac re copiosius exposui in argumenti narratione in Andriam; et passim, ubi vel major aliqua difficultas ex hac re oriri posset, vel virorum doctorum de ea re praecepta afferenda habui. Caetera sagacitati legentium investiganda reliqui. Omnino in opera mea interpretationis additae non hoc mihi spectandum esse putavi, ut cogitatione lectores supersedere possent, sed ut ad majorem aliquam industriam et rerum adventiciarum quoque cogitationem mentes legentium excitarem. Nec desunt libri, si qui copiosius de fabulis Terentii expositum velint; Ruhnkenii dictata exstant, supra laudata; exstat: *Clavis poëtarum classicorum, pars prior, sive index philologico-criticus in Horatium, Terentium et Phaedrum, auctore Gottl. Bened. Schirach. Halae MDCCLXVIII* 8. pp. 394.

Iam ad Vossii Commentarios Virgilianos revertar. Interea valete, quicumque haec legeritis, et mihi favete.

Scripsi in Lyceo Saalfeldano d. XXIV m. Septembris a. MDCCCXXVII.

Reinhardt.

TERENTII ANDRIA.

C. SULPITII APOLLINARIS PERIOCHA IN ANDRIAM.

Sorórem falso créditam meretriculae,
Genere Andriae, Glycérium, vitiat Pámphilus,
Gravidáque facta dát fidem, uxorém sibi
Fore hánc: nam pater ei áliam desponsáverat,
Gnatám Chremetis, átque, amorem ut cómperit,
Simulát futuras núptias, cupiéns, suus
Quid habéret animi fílius cognóscere,
Davi süasu nón repugnat Pámphilus;
Sed éx Glycerio nátum ut vidit púerulum
Chremés, recusat núptias, generum ábdicat;
Mox filiam Glycérium insperato ágnitam
Hanc Pámphilo, illam dát Charino cónjugem.

ACTA LUDIS MEGALENSIB. M. FULVIO ET M'. GLABRIONE AEDILIB. CURULIB. EGERUNT L. AMBIVIUS TURPIO L. ATILIUS PRAENESTINUS. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDI TIBIIS PARIB. DEXTRIS ET SINISTRIS. ET EST TOTA GRAECA. EDITA M. MARCELLO CN. SULPICIO COSS.

Fabulae interlocutores.

SIMO, senex.
SOSIA, libertus Simonis.
DAVUS, servus.
MYSIS, ancilla.
PAMPHILUS, adulescens, filius Simonis.
CHARINUS, adulescens.
BYRRHIA, servus Charini.
LESBIA, obstetrix
GLYCERIUM, quae est Pasibula, filia Chremetis.
CHREMES, senex, pater Philumenae.
CRITO, hospes.
DROMO, servus lorarius.

Personae mutae:

ARCHYLIS, ancilla.
CHRYSIS, meretrix.

PROLOGUS.

Poéta cum primum ánimum ad scribendum ádpulit,
I'd sibi negoti crédidit solúm dari,
Populo út placerent, quás fecisset fábulas.
Verum áliter evenire multo intéllegit:
Nam in prólogis scribúndis operam abútitur,
Non qui árgumentum nárret, sed qui málevoli
Veterís poetae máledictis respóndeat.
Nunc, quám rem vitio dént, quaeso animum advórtite.
Menánder fecit A'ndriam et Perínthiam.
Qui utrámvis recte nórit, ambas nóverit.
Nón ita dissimili súnt argumento, áttamen
Díssimili oratióne sunt factae ác stilo.
Quae cónvenere, in A'ndriam ex Perínthia hic
Fatétur transtulísse, atque usum pró suis.
Id istí vituperant fáctum; atque in eo disputant,
Contáminari nón decere fábulas.
Faciúntne intellegéndo, ut nihil intéllegant?
Qui cum húnc accusant, Naévium, Plautum, E'nnium
Accúsant, quos hic nóster auctorés habet:
Quorum aémulari exóptat neclegéntiam,
Potiús quam istorum obscúram diligéntiam.
Dehinc, út quiescant pórro, moneo, et désinant
Maledícere; malefácta ne noscánt sua.
Favéte, adeste aequo ánimo, et rem cognóscite,
Ut pérnoscatis, écquid spei sit réliqüum:
Posthác quas faciet de íntegro comoédias,
Spectándae an exigéndae sint vobís prius.

Actus I. Scena I.

Simo. Sosia.

Si. Vos ístaec intro auférte: abite. Sósia
Adésdum: paucis té volo. *So.* dictúm puta:
Nempe út curentur récte haec. *Si.* immo aliúd. *So.* quid est,
Quod tíbi mea ars efficere hoc possit ámplius?

Sr. Nihil ístac opus est árte ad hanc rem, quám paro;
Set iis, quas semper ín te intellexí sitas,
Fide ét taciturnitáte. *So.* exspecto quíd velis.
Sr. Ego póstquam te emi, a párvulo ut sempér tibi
Apút me justa et clémens fuerit sérvitus,
Scis. féci ex servo ut ésses libertús mihi,
Proptérea quod servíbas liberáliter.
Quod hábui summum, prétium persolví tibi.
So. I'n memoria habeo. *Sr.* haut múlcto factum. *So.* gaúdeo,
Si tíbi quid feci aut fácio, quod placeát, Simo;
Et id grátum fuisse advórsum te habeo grátiam.
Sed hoc míhi molestum'st: nam ístaec commemorátio
Quasi éxprobratio ést immemoris bénefici.
Quin tu úno verbo díc, quid est quod mé velis.
Sr. Ita fáciam. hoc primum in hác re praedicó tibi:
Quas crédis esse has, nón sunt verae núptiae.
So. Cur símulas igitur? *Sr.* rem ómnem a principio aúdies:
Eo pácto et gnati vítam et consiliúm meum
Cognósces: et quid fácere in hac re té velim.
Nam is póstquam excessit éx ephebis, Sósia, ac
Líberius vivendi fúit potestas, (nam ántea
Qui scíre posses, aút ingenium nóscere,
Dum aetás, metus magíster prohibebánt? *So.* ita est.)
Sr. Quod plérique omnes fáciunt adulescéntuli,
Ut ánimum ad aliquod stúdium adjungant, aút equos
Alere, aút canes ad vénandum, aut ad philósophos:
Horum ílle nihil egrégie praeter cétera
Studébat, et tamen ómnia haec mediócriter.
Gaudébam. *So.* non injúria: nam id árbitror
Adprime in vita esse útile, ut ne quíd nimis.
Sr. Sic víta erat: facile ómnes perferre ác pati:
Cum quíbus erat cumque úna, iis sese dédere:
Eórum studiis óbsequi: advorsus némini:
Numquám praeponens se íllis: ita facíllume
Sine invídia laudem invénias, et amicós pares.
So. Sapiénter vitam instítuit: namque hoc témpore
Obséquium amicos, véritas odiúm parit.
Sr. Intérea mulier quaédam abhinc triénnium
Ex A'ndro commigrávit huc vicíniae,
Inópia et cognatórum neclegéntia
Coácta, egregia fórma atque aetate íntegra.
So. Ei, véreor ne quid A'ndria adportét mali.
Sr. Primum haéc pudice vítam parce ac dúriter
Agébat, lana ac téla victum quaéritans:
Set póstquam amans accéssit, pretium póllicens,

Unús et ítem alter; íta ut ingenium est ómnium
Hominum áb labore próclive ad lubídinem,
Accépit conditiónem, dein quaestum óccipit.
Qui tum íllam amabant, fórte, ita ut fit, fílium
Perdúxere illuc, sécum ut una essét, meum.
Egomét continuo mécum: Certe cáptus est:
Habet. óbservabam máne illorum sérvolos
Veniéntis aut abeúntis: rogitabam, Heús puer,
Dic sódes, quis heri Chrysidem habuit? nam A'ndriae
Illi íd erat nomen. *So.* téneo. *Sr.* Phaedrum aut Clíniam aut
Nicératum dicébant: nam hi tres túm simul
Amábant. Eho, quid Pámphilus? Quid? sýmbolam
Dedít, cenavit. gaúdebam. item alió die
Quaerébam: comperiébam nihil ad Pámphilum
Quicquam ádtinere. enimvéro spectatúm satis
Putábam, et magnum exémplum continéntiae:
Nam quí cum ingeniis cónflictatur eíusmodi,
Neque cómmovetur án mus in ea ré tamen,
Scias pósse jam habere ípsum suae vitaé modum.
Cum id míhi placebat; tum úno ore omnes ómnia
Bona dícere, et laudáre fortunás meas,
Qui gnátum haberem táli ingenio praéditum.
Quid vérbis opus est? hác fama impulsús Chremes
Ultro ád me venit, únicam gnatám suam
Cum dóte summa fílio uxorem út daret.
Placuít: despondi: hic núptiis dictús'st dies.
So. Quid ígitur obstat: cúr non fiant? *Sr.* aúdies.
Fere ín diebus paúcis, quibus haec ácta sunt,
Chrysís vicina haec móritur. *So.* o factúm bene:
Beásti: ei metui a Chrýside. *Sr.* ibi tum fílius
Cum illís, qui amarant Chrysidem, una aderát frequens:
Curábat una fúnus: tristis ínterim,
Nonnúmquam conlacrumábat. placuit tum íd mihi.
Sic cógitabam: Hic párvae consuetúdinis
Causa hújus mortem tám fert familiáriter:
Quid si ípse amasset? quíd mihi hic faciét patri?
Haec égo putabam esse ómnia humani ingeni
Mansuétique animi offícia. quid multís moror?
Egomét quoque ejus caúsa in funus pródeo,
Nihil súspicans etiámmali. *So.* hem quid id ést? *Sr.* scies.
Effértur. imus. ínterea inter múlieres,
Quae ibi áderant, forte unam áspicio adulescéntulam,
Formá — *So.* bona fortásse. *Sr.* et voltu, Sósia,
Adeó modesto, adeó venusto, ut níl supra.
Quae cúm mihi lamentári praeter céteras

Visa ést, et quia erat fórma praeter céteras
Honésta et liberáli, accedo ad pédisequas:
Quae sít, rogo. sorórem esse aiunt Chrysídis.
Percússit ilico ánimum. atat hoc íllud est,
Hinc íllae lacrumae, haec ílla 'st misericórdia.
So. Quam tímeo, quorsum evádas. *Sr.* funus ínterim
Procédit: sequimur: ád sepulcrum vénimus:
In ignem inposita'st: flétur. interea haéc soror,
Quam díxi, ad flammam accéssit inprudéntius.
Satis cúm periclo. ibi tum éxanimatus Pámphilus
Bene dissimulatum amórem et celatum índicat:
Adcúrrit: mediam múlierem compléctitur:
Mea Glycerium, inquit, quíd agis? cur te is pérditum?
Tum illa, út consuetum fácile amorem cérneres,
Rejécit se in eum fléns quam familiáriter.
So. Quid aís? *Sr.* redeo inde irátus, atque aegré ferens.
Nec sátis ad objurgándum causae. díceret,
Quid féci? quid commérui aut peccaví, pater?
Quae sése in ignem injícere voluit, próhibui:
Servávi. honesta orátio est. *So.* recté putas:
Nam si íllum objurges, vitae qui auxiliúm tulit;
Quid fácias ei, quí dederit damnum aút malum?
Sr. Venít Chremes postrídie ad me, clámitans:
Indígnum facinus: cómperisse, Pámphilum
Pro uxóre habere hanc péregrinam. ego illud sédulo
Negáre factum. ille ínstat, factum. dénique
Ita túm discedo ab íllo, ut qui se fíliam
Negét daturum. *So.* nón tu ibi gnatum? *Sr.* ne haéc quidem
Satis véhemens causa ad objurgandum. *So.* quí cedo?
Sr. Tute ípse his rebus fínem praescripstí, pater.
Prope adést, cum alieno móre vivendúm'st mihi:
Sine núnc meo me vívere intereá modo.
So. Qui igitúr relictus ést objurgandí locus?
Sr. Si própter amorem uxórem nolet dúcere,
Ea prímum ab illo animádvertenda injúria 'st.
Et núnc id operam do, út per falsas núptias
Vera objurgandi caúsa sit, si déneget:
Simúl sceleratus Dávos si quid cónsili
Habet, út consumat núnc, cum nihil obsínt doli:
Quem ego crédo manibus, pédibusque, obnixe ómnia
Factúrum: magis id ádeo, mihi ut incómmodet,
Quam ut obsequatur gnáto. *So.* quaproptér? *Sr.* rogas?
Mala méns, malus animus. quém quidem ego si sénsero.
Sed quíd opus'st verbis? sín eveniat, quód volo,
In Pámphilo ut nil sít morae; restát Chremes,

Qui mi éxorandus ést: et spero cónfore.
Nunc tuúm 'st officium, has béne ut adsimules núptias:
Pertérrefacias Dávom: observes fílium,
Quid agát, quid cum illo cónsili captét. *So.* sat est:
Curábo: eamus núnc iam intro. *Si.* i praé, sequar.

Actus I. Scena II.

Simo senex. Davus servus.

Si. Non dúbium 'st, quin uxórem nolit fílius:
Ita Dávom modo timére sensi, ubi núptias
Futúras esse audívit. set ipse exít foras.
Da. Mirábar hoc si sic abiret: ét eri semper lénitas
Verébar quorsum eváderet:
Qui póstquam audierat, nón datum iri fílio uxorém suo,
Númquam cuiquam nóstrum verbum fécit, neque id aegré tulit.
Si. A't nunc faciet; néque, ut opinor, síne tuo magnó malo.
Da. Id vóluit, nos sic néc opinantis dúci falso gaúdio,
Sperántis iam amotó metu, interea óscitantis ópprimi,
Ut ne ésset spatium cógitandi ad dísturbandas núptias:
Astúte. *Si.* carnufex, quae loquitur? *D.* érus est, neque províderam.
Si. Dave. *D.* hém, quid est? *Si.* ehodum ád me. *D.* quid hic volt? *Si.* quíd aïs? *D.* qua de ré? *Si.* rogas?
Meum gnátum rumor ést amare. *D.* id pópulus curat scílicet.
Si. Hocíne agis, an non? *D.* égo vero istuc. *Si.* sét nunc ea me exquírere,
Iníqui patris est. nám, quod antehac fécit, nihil ad me ádtinet.
Dum témpus ad eam rém tulit, sivi ánimum ut explerét suum:
Nunc híc dies aliam vítam defert, álios mores póstulat.
Dehinc póstulo, sive aéquum 'st, te oro, Dáve, ut redeat iam ín viam.
Da. Hoc quíd sit? *Si.* omnes, quí amant, graviter síbi dari uxorém ferunt.
Da. Ita aíunt. *Si.* tum si quís magistrum cépit ad eam rem ínprobum,
Ipsum ánimum aegrotum ad déteriorem pártem plerumque ádplicat.
Da. Non hércle intellegó. *Si.* non? hem. *D.* non: Dávos sum, non Oédipus.
Si. Nempe érgo aperte vís, quae restant, mé loqui. *D.* sané quidem.
Si. Si sénsero hodie quícquam in his te núptiis
Fallácíae conári, quo fiánt minus;
Aut vélle in ea re osténdi, quam sis cállidus:
Verbéribus caesum té in pistrinum, Dáve, dedam usque ád necem,
Ea lége atque omine, út, si te inde exémerim, ego pro té molam.

Quid, hoc intellextin'? án nondum etiam ne hóc quidem?
D. immo cállide;
Ita apérte ipsam rem módo locutus, níl circum itione úsus es.
Sr. Ubivís facilius pássus sim, quam in hác re, me delúdier.
Da. Bona vérba, quaeso. *Sr.* inrídes: nil me fállis. edicó tibi,
Ne témere facias. néque tu haut dices, tíbi non praedictúm. cave.

Actus I. Scena III.

Davus servus.

Enimvéro, Dave, níl loci 'st segnítiae neque socórdiae,
Quantum intellexi módo senis sententiam de núptiis:
Quae sí non astu próvidentur, me aút erum pessúm dabunt.
Nec quíd agam certum 'st: Pámphilumne adjútem, an auscultém seni.
Si illúm relinquo, ejus vítae timeo: sín opitulor, huíus minas;
Cui vérba dare difficile 'st: primum iám de amore hoc cómperit:
Me infénsus servat, né quam faciam in núptiis fallácium.
Si sénserit, perii, aut si lubitum fúerit — causam céperit —
Quo iúre, quave injúria praecipitém me in pistrinúm dabit.
Ad haéc mala hoc mi accédit etiam: haec A'ndria,
Si ista úxor sive ámica 'st, gravida e Pámphilo est.
Audíreque eorum est óperae pretium audáciam:
Nam incéptio 'st amentium, haut amántium:
Quicquíd peperisset, décreverunt tóllere:
Et fíngunt quandam intér se nunc fallácium,
Civem A'tticam esse hanc. Fúit olim hinc quidám senex,
Mercátor: navem is frégit aput Andrum ínsulam:
Is óbiit mortem. ibi tum hánc ejectam Chrysidis
Patrém recepisse órbam, parvam. fábulae.
Mí quidem non fit vérisimile; at ípsis commentúm placet.
Set Mýsis ab ea egréditur. at ego hinc me ád forum, ut
Convéniam Pamphilúm, ne de haere páter inprudentem ópprimat.

Actus I. Scena IV.

Mysis ancilla.

Aúdivi, Archylís, jamdudum: Lésbiam adducí iubes.
Sáne pol illa témulenta 'st múlier et temerária,
Néc satis digna, cuí committas prímo partu múlierem:
Támen eam adducam. ínportunitátem spectate ániculae:
Quía conpotrix éius est. Di, dáte facultatem óbsecro
Huíc pariundi, atqueílli in aliis pótius peccandí locum.
Set quídnam Pamphilum éxanimatum vídeo? vereor quíd siet.
Oppériar, ut sciám numquidnam haec túrba tristitiae ádferat.

ACTUS I. SCENA V.

PAMPHILUS adulescens. MYSIS ancilla.

PA. Hócine 'st factu humánum aut inceptu? hócine 'st officium patris?
MY. Quíd illud est? *P.* pro deúm fidem, quid est, si hóc non contumélia 'st?
Uxórem decrerát dare sese mi hódie: nonne opórtuit
Praescísse me ante? nónne prius communícatum opórtuit?
MY. Miserám me, quod verbum aúdio?
PA. Quíd Chremes? qui dénegarat, sé commissurúm mihi
Gnatám suam uxorem: íd mutavit, quía me inmutatúm videt.
Itane óbstinate operám dat, ut me a Glycerio miserum ábstrahat?
Quod sí fit, pereo fúnditus.
A'deon' hominem esse ínvenustum aut ínfelicem quémquam, ut ego sum?
Pró deum atque hominúm fidem!
Núllon' ego Chremétis pacto adfínitatem effúgere potero?
Quót modis contémptus, spretus? fácta, transacta ómnia. hem,
Répudiatus répetor: quamobrem? nísi si id est, quod súspicor:
A'liquid monstri alúnt: ea quoniam némini obtrudí potest,
I'tur ad me. *M.* orátio haec me míseram exanimavít metu.
PA. Nam quíd ego dicam dé patre? ah
Tantámne rem tam néclegenter ágere? praeteriéns modo
Mi apút forum, uxor tíbi ducenda 'st, Pámphile, hodie, inquít, para:
A'bi domum. id mi vísus 'st dicere, ábi cito, et suspénde te.
O'bstipui: censén' me verbum pótuisse ullum próloqui? aut
U'llam causam, sáltem ineptam, fálsam, iniquam? ommútui.
Quód si ego rescissem íd prius, quid facerém, si quis nunc mé roget,
A'liquid facerem, ut hóc ne facerem. sét nunc quid primum éxsequar?
Tót me inpediunt cúrae, quae meum ánimum divorsaé trahunt;
Amor, misericordia hújus, nuptiárum sollicitátio,
Tum pátris pudor, qui mé tam leni pássus animo est úsque adhuc,
Quae meó cumque animo lúbitum 'st, facere. eine égo ut advorser? eí mihi,
Incértum 'st, quid agam. *M.* mísera timeo, incértum hoc quorsus áccidat.
Séd nunc peropus 'st, aút hunc cum ipsa, aut de illa me adversum húnc loqui.
Dum in dúbio est animus, paúlo momento húc vel illuc inpéllitur.
PA. Quis hic lóquitur? Mysis? sálve. *M.* o salve, Pámphile.
P. quid agít? *M.* rogas?
Labórat e dolóre; atque ex hoc mísera sollicitaést, diem
Quia ólim in hunc sunt cónstitutae núptiae. tum autem hóc timet

Ne déseras se. *P.* hem, egone ístuc conarí queam?
Egon' própter me illam décipi miserám sinam?
Quae míhi suum animum atque ómnem vitam crédidit?
Quam ego ánimo egregie cáram pro uxore hábuerim?
Bene ét pudice eius dóctum atque eductúm sinam,
Coáctum egestate íngenium inmutárier?
Non fáciam. *M.* haut verear, sí in te sit soló situm:
Set ut vím queas ferre. *P.* adeóne me ignavóm putas?
Adeón' porro ingratum, aút inhumanum, aút ferum,
Ut néque me consuetúdo, neque amor, néque pudor
Commóveat, neque commóneat, ut servém fidem?
My. Unum hóc scio, esse méritam, ut memor essés sui.
Pa. Memor éssem? o Mysis, Mýsis, etiam núnc mihi
Scripta ílla sunt in ánimo dicta Chrysidis
De Glycerio. iam férme moriens mé vocat:
Accéssi: vos semótae: nos soli: íncipit:
Mí Pámphile, hujus fórmam atque aetatém vides:
Nec clám te est, quam illi utraéque res nunc útiles
Et ád pudicitiam ét ad rem tutandám sient.
Quod te égo per dextram hanc óro, et per geniúm tuum,
Per tuám fidem, perque húius solitúdinem,
Te obtéstor, ne abs te hanc ségreges, neu déseras:
Si te ín germani frátris dilexí loco,
Sive haéc te solum sémper fecit máxumi,
Seu tíbi morigera fúit in rebus ómnibus.
Te istí virum do, amícum, tutorém, patrem.
Bona nóstra haec tibi permítto, et tuae mandó fidei.
Hanc mi ín manum dat: mórs continuo ipsam óccupat.
Accépi: acceptam sérvabo. *M.* ita speró quidem.
Pa. Set cúr tu abis ab ílla? *M.* óbstetricem adcérso. *P.* propera. atque aúdin'?
Verbum únum cave de núptiis; ne ad mórbum hoc etiam. *M.* téneo.

Actus II. Scena I.

Charhinus. Byrrhia. Pamphilus.

Ch. Quíd ais Byrrhiá? daturne illa Pámphilo hodie núptum? *B.* sic est.
Ch. Quí scis? *B.* aput forúm modo e Davo audívi. *C.* vae miseró mihi.
Ut ánimus in spe atque ín timore usque ántehac adtentús fuit,
Ita póstquam adempta spés est, lassus, cúra confectús stupet.
By. Quaéso edepol, Charíne, quando nón potest id fíeri, quod vis, I'd velis quod póssit. *C.* nil volo áliud nisi Philúmenam. *B.* ah,

Quánto satius 'st te íd dare operam, qui ístum amorem ex córde ejicias;
Quam íd loqui, quo mágis lubido frústra incendatúr tua.
Ch. Facile ómnes, cum valémus, recta cónsilia aegrotís damus.
Tu si hic sis, aliter cénseas. *B.* age, age, út lubet. *C.* set Pámphilum
Video. ómnia experíri certum 'st príus quam pereo. *B.* quíd hic agit?
Ch. Ipsum húnc orabo: huic súpplicabo: amórem huic narrabó meum:
Credo, ímpetrabo, ut áliquot saltem núptiis prodát dies:
Intérea fiet áliquid, spero. *B.* id áliquid nihil est. *C.* Býrrhia,
Quid tíbi videtur? ádeon' ad eum? *B.* quíd ni? nihil ut ímpetres,
Út te árbitretur síbi paratum moéchum, si illam dúxerit?
Ch. A'bin' hinc in malám rem cum suspícione istác, scelus?
Pa. Charínum video. sálve. *C.* o salve. Pámphile,
A'd te advenio, spém, salutem, cónsilium, auxilium éxpetens.
Pa. Néque pol consilí locum habeo, néque ad auxilium cópiam.
Sét istuc quidnam 'st? *C.* hódie uxorem dúcis? *P.* aiunt. *C.* Pámphile.
Si íd facis, hodié postremum mé vides. *P.* quid ita? *C.* eí mihi,
Véreor dicere: huíc dic quaeso Býrrhia. *B.* ego dicám. *P.* quid est?
By. Spónsam hic tuam amat. *P.* né iste haut mecum séntit. ehodum díc mihi:
Númquidnam ampliús tibi cum illa fuít Charine? *C.* ah, Pámphile,
Níl. *P.* quam vellem. *C.* núnc te per amicítiam et per amorem óbsecro,
Príncipio ut ne dúcas. *P.* dabo equidem óperam. *C.* set si id nón potest,
Aút tibi nuptiae haé sunt cordi. *P.* córdi? *C.* saltem aliquót dies
Prófer, dum proficíscor aliquo, né videam. *P.* audi núnc iam:
E'go Charine neútiquam officium líberi esse hominís puto,
Cum ís nil mereat, póstulare id grátiae adponí sibi.
Núptias effúgere ego istas málo, quam tu adipíscier.
Ch. Rédduxti animum. *P.* núnc si quid potes aút tu, aut hic Býrrhia,
Fácite, fingite, ínvenite, efficite, qui detúr tibi:
E'go id agam, qui mihi ne detur. *C.* sát habeo. *P.* Davom óptume
Vídeo: cuius consílio fretus sum. *C.* át tu hercle haut quicquám mihi;
Nísi ea, quae nil ópus sunt sciri. fúgin' hinc. *B.* ego vero ác lubens.

Actus II. Scena II.

Davus. Charinus. Pamphilus.

Da. Dí boni, boní quid porto? sét ubi inveniam Pámphilum,
U't metum, in quo núnc est adimam, atque éxpleam animum gaúdio?

Ch. Laétus est nescío quid. *P.* nihil est: nóndum haec rescivít mala.
Da. Quem égo nunc credo, sí jam audierit síbi paratas núptias.
Ch. Aúdin' tu illum? *D.* tóto me oppido éxanimatum quaérere.
Sét ubi quaeram? quó nunc primum inténdam, *C.* cessas ádloqui?
Da. Hábeo. *P.* Dave: adés. resiste. *D.* quís homo 'st, qui me? o Pámphile,
Te ípsum quaero. eugé Charine: ambo ópportune: vós volo.
Pa. Dáve, perii. *D.* quín tu hoc audi. *P.* intérii. *D.* quid timeás scio.
Ch. Méa quidem hercle cérte in dubio víta 'st. *D.* et quid tú, scio.
Pa. Núptiae mi. *D.* etsí scio? *P.* hodie. *D.* optúndis, tametsi intélligo?
I'd páves, ne dúcas tu iliam: tu aútem, ut ducas. *C.* rém tenes.
Pa. I'stuc ipsum. *D.* atque ístuc ipsum níl pericli est: mé vide.
Pa. O'bsecro te, quám primum hoc me líbera miserúm metu. *D.* hem,
Líbero: tibi uxórem non dat jám Chremes. *P.* qui scís? *D.* scies.
Túus pater me módo prehendit: aít tibi uxorém dare sese
Hódie; item alia múlta, quae nunc nón est narrandí locus.
Cóntinuo ad te próperans percurro ád forum, ut dicám tibi haec.
U'bi te non invénio ibi, escendo ín quendam excelsúm locum.
Circumspicio; núsquam. ibi forte húius video Býrrhiam.
Rógo: negat vidísse. mihi moléstum. quid agam, cógito.
Rédeunti interea éx ipsa re mi íncidit suspício: hem,
Paúlulum obsoni: ípsus tristis: de ínproviso núptiae:
Nón cohaerent. *P.* quórsumnam istuc? *D.* égo me continuo ád Chremem.
Cum íllo advenio: sólitudo ante óstium: jam id gaúdeo.
Ch. Récte dicis. *P.* pérge. *D.* maneó: intérea introire néminem
Vídeo, exire néminem: matrónam nullam in aédibus,
Níl ornati, níl tumulti. accéssi: intro aspexí. *P.* scio.
Mágnum signum. *D.* núm videntur cónvenire haec núptiis?
Pa. Nón, opinor, Dáve. *D.* opinor, nárras? non recte áccipis.
Cérta res est. étiam puerum inde ábiens conspexí Chremi
O'lera ac pisciculós minutos férre obolo in cenám seni
Ch. Líberatus sum hódie, Dave, túa opera. *D.* ac nullús quidem.
Ch. Quíd ita? nempe huic prórsus illam nón dat. *D.* ridiculúm caput!
Quási necesse sít, si huic non dat, té illam uxorem dúcere:
Nísi vides, nisi sénis amicos óras, ambis. *C.* béne mones.
I'bo: etsi hercle saépe jam me spés haec frustratá 'st. vale.

Actus II. Scena III.

Pamphilus. Davus.

Pa. Quíd igitur sibi vólt pater? cur símulat? *D.* ego dicám tibi.
Si íd suscenseát nunc, quia non dét tibi uxorém Chremes,

I'psus sibi esse injúrius videátur: neque id injúria:
Príus, quam tuum, ut sese hábeat, animum ad núptias perspéxerit.
Sét si tu negáris ducere, íbi culpam in te tránsferet:
Tum íllae turbae fient. *P.* quidvis pátiar. *D.* pater est, Pámphile.
Difficile 'st. tum haec sóla 'st mulier. dictum ac factum invénerit
A'liquam causam, quámobrem eiciat óppido. *P.* eiciát? *D.* cito.
Pa. Cédo igitur quid fáciam, Dave? *D.* díc te ducturum. *P.* hém. *D.* quid est?
Pa. Egon' dícam? *D.* cur non? *P.* númquam faciam. *D.* né nega.
Pa. Suadére noli. *D.* ex eá re quid fiát, vide.
Pa. Ut ab ílla excludar, húc concludar. *D.* nón ita 'st.
Nempe hóc sic esse opínor: dicturúm patrem,
Ducás volo hodie uxórem: tu, ducam, ínquies:
Cedo quíd jurgabit técum? hic reddes ómnia,
Quae núnc sunt certa ei cónsilia, incerta út sient,
Sine omní periclo: nam hóc haut dubium 'st, quín Chremes
Tibi nón det gnatam. néc tu ea causa minueris
Haec, quaé facis, ne is mútet suam sententiam,
Patrí dic velle: ut, cúm velit, tibi júre irasci nón queat.
Nam, quód tu speres, própulsabo fácile; Uxorem his móribus
Dabit némo, inveniet ínopem potius, quám te corrumpí sinat.
Set sí te aequo animo férre accipiet, néclegentem féceris:
Alia ótiosus quaéret: interea áliquid acciderít boni.
Pa. Itan' crédis? *D.* haut dubium íd quidem 'st. *P.* vide quó me inducas. *D.* quín taces.
Pa. Dicám. puerum autem né resciscat mí esse ex illa, caútio est:
Nam póllicitus sum súscepturum. *D.* o fácinus audax! *P.* hánc fidem
Sibi me óbsecravit, quí se sciret nón desertum iri, út darem.
Da. Curábitur. set páter adest. cave, té esse tristem séntiat.

Actus II. Scena IV

Simo. Davus. Pamphilus.

Sr. Revíso quid agant, aút quid captent cónsili.
Da. Hic núnc non dubitat, quín te ducturúm neges.
Venít meditatus álicunde ex soló loco:
Orátionem spérat invenísse se,
Qui différat te: proín tu fac aput te út sies.
Pa. Modo ut póssim, Dave. *D.* créde inquam hoc mihi, Pámphile,
Numquam hódie tecum cómmutaturúm patrem
Unum ésse verbum, sí te dices dúcere.

Actus II. Scena V.

Byrrhia. Simo. Davus. Pamphilus.

By. Erus mé relictis rébus jussit Pámphilum
Hodie óbservare, ut, quíd ageret de núptiis,

Scirem: íd propterea núnc hunc venientém sequor.
Ipsum ádeo praesto vídeo cum Davo: hóc agam.
Sr. Utrúmque adesse vídeo. *D.* hem, serva. *S.* Pámphile.
Da. Quasi de ínproviso réspice ad eum. *P.* ehém pater.
Da. Probe. *S.* hódie uxorem dúcas, ut dixí, volo.
By. Nunc nóstrae timeo párti, quid hic respóndeat.
Pa. Neque istíc, neque alibi tíbi erit usquam in mé mora. *B.* hem.
Da. Ommútuit. *B.* quid díxit? *S.* facis ut té decet,
Cum istúc quod postulo ímpetro cum grátia.
Da. Sum vérus? *B.* erus, quantum aúdio, uxore éxcidit.
Sr. I núnc ïam intro; ne ín mora, cum opus sít, sies.
Pa. Eó. *B.* nullane in ré esse cuiquam hominí fidem?
Verum íllud verbum'st, vólgo quod dicí solet,
Omnís sibi esse mélius malle, quam álteri.
Ego íllam vidi: vírginem formá bona
Meminí vidére: quo aéquior sum Pámphilo,
Si sé illam in somnis, quam íllum, amplecti máluit.
Renúntiabo, ut pro hóc malo mihi dét malum.

Actus II. Scena VI.

Davus. Simo.

Da. Hic núnc me credit áliquam sibi fallácíam
Portáre, et ea me hic réstitisse grátia.
Sr. Quid Dávus narrat? *D.* aéque quicquam núnc quidem.
Sr. Nilne? hém. *D.* nil prorsus. *S.* átqui expectabám quidem.
Da. Praetér spem evenit: séntio: hoc male habét virum.
Sr. Potin' és mihi verum dícere? *D.* nihil fácilius.
Sr. Num illí molestae quíppiam haec sunt núptiae,
Propter hóspitaï hujúsce consuetúdinem?
Da. Nihil hércle: aut, si adeo, bídui est aut trídui
Haec sóllicitudo: nósti? deinde désinet.
Etenim ípsus eam rem récta reputavít via.
Sr. Laudó. *D.* dum licitum est éji, dumque actás tulit,
Amávit: tum id clam; cávit, ne umquam infámiae
Ea rés sibi esset, út virum fortém decet:
Nunc úxore opus est: ánimum ad uxorem ádpulit.
Sr. Subtrístis visus 'st ésse aliquantillúm mihi.
Da. Nihil própter hanc rem: sét est, quod suscensét tibi.
Sr. Quidnám 'st? *D.* puerile 'st. *S.* quidést? *D.* nihil. *S.* quin díc, quid est.
Da. Ait nímium parce fácere sumptum. *S.* méne? *D.* te.
Vix, ínquit, drachmisést obsonatúm decem:
Num fílio vidétur uxorém dare?
Quem, inquít, vocabo ad cénam meorum aequálium

Potíssimum nunc? ét, quod dicendum híc siet,
Tu quóque per parce nímium. non laudó. *S.* tace.
Da. Commóvi. *S.* ego, istaec récte ut fiant, vídero.
Quid hóc est reji? quíd hic volt veteratór sibi?
Nam si híc mali est quicquam, illíc est hujus rei caput.

Actus III. Scena I.

Mysis. Simo. Davus. Lesbia. Glycerium.

My. Ita pól quidem res est, út dixisti, Lésbia:
Fidélem haut ferme múlieri inveniás virum.
Si. Ab A'ndria 'st ancílla haec, quid narrás? D. ita 'st.
My. Set hic Pámphilus *S.* quid dicit? *M.* firmavít fidem. *S.* hem.
Da. Utinam aút hic surdus, aút haec muta fácta sit.
My. Nam quód peperísset, jússit tolli. *S.* o Iúppiter!
Quid ego aúdio? actum 'st, síquidem haec vera praédicat.
Le. Bonum ingénium narras ádulescentis. *M.* óptumum.
Set séquere me intro, ne ín mora illi sís. *L.* sequor.
Da. Quod rémedium nunc huíc malo inveniám? *S.* quid hoc?
Adeóne est demens? éx peregrina? jám scio, ah
Vix tándem sensi stólidus. *D.* quid hic sensísse ait?
Si. Haec prímum adfertur jám mihi ab hoc fallácia:
Hanc símulant parere, quó Chremetem abstérreant.
Gl. Iunó Lucina fér opem, serva me, óbsecro.
Si. Hui, tám cito? ridículum: postquam ante óstium
Me audívit stare, adpróperat. non sat cómmode
Divísa sunt tempóribus tibi, Dave, haéc. *D.* mihin'?
Si. Num inmémores discipuli? *D.* égo quid narres néscio.
Si. Hícine me si inparátum in veris núptiis
Adórtus esset, quós me ludos rédderet?
Nunc huius periclo fít, ego in portu návigo.

Actus III. Scena II.

Lesbia obstetrix. Simo. Davus.

Le. Adhúc, Archylís, quae adsolént quaeque opórtet
Signa ésse ad salútem, omnia huíc esse vídeo.
Nunc prímum fac ístaec lavét: post deínde,
Quod jússi ei darí bibere, et quántum imperávi,
Date: móx ego huc revértor.
Per ecástor scítus púer est natus Pámphilo.
Deos quaéso, ut sit supérstes, quandoquidem ípse 'st ingenió bono;
Cumque huíc est veritus óptumae adulescénti facere injúriam.
Si. Vel hoc quís non credat, quí te norit, ábs te esse ortum?
D. quidnam id est?

Sr. Non imperabat córam, quid opus fácto esset puérperae:
Set póstquam egressa 'st, íllis, quae sunt íntus, clamat dé via.
O Dáve, itan' contémnor abs te? aut ítane tandem idóneus
Tibi vídeor esse, quém tam aperte fállere incipiás dolis?
Saltem áccurate: ut métui videar cérte, si rescíverim.
Da. Certe hércle nunc hic se ípsus fallit, haút ego. *S.* edixín' tibi,
Intérminatus súm, ne faceres? núm veritus 's? quid rétulit?
Credón' tibi hoc nunc, péperisse hanc e Pámphilo?
Da. Teneó, quid erret: ét quid agam habeo. *S.* quíd taces?
Da. Quid crédas? quasi non tíbi renunciáta sint haec, síc fore.
Sr. Min' quísquam? *D.* eho an tute íntellexti hoc ádsimulari?
S. inrídeor.
Da. Renúnciatum 'st: núm qui tibi isthaec íncidit suspício?
Sr. Qui? quía te noram. *D.* quási tu dicas, fáctum id consilió meo.
Sr. Certe énim scio. *D.* non sátis me pernosti étiam, qualis sím, Simo.
Sr. Egóne te? *D.* set, si quíd narrare occoépi, continuó dari
Tibi vérba censes fálso: itaque hercle níl jam muttire aúdeo.
Sr. Hoc égo scio unum, néminem peperísse hic. *D.* intelléxti.
Sed níhilo seciús mox puerum huc déferent ante óstium.
Id égo jam nunc tibi, ére, renunció futurum, ut sís sciens.
Ne tu hóc posterius dícas Davi fáctum consilio aút dolis.
Prórsus a me opínionem hanc tuam ésse ego amotám volo.
Sr. U'nde id scis? *D.* audívi, et credo: múlta concurrúnt simul,
Quí conjecturam hánc nunc facio. jám primum haec se e Pámphilo
Grávidam dixit ésse: inventum est fálsum. nunc, postquám videt
Núptias domi ápparari, míssa 'st ancilla ílico
O'bstetricem accérsitum ad eam, et púerum ut adferrét simul.
Hóc ni fit, tu púerum ut videas, níl moventur núptiae.
Sr. Quid áis? ubi intelléxeras
I'd consilium cápere, cur non díxti extemplo Pámphilo?
Da. Quís igitur eum ab ílla abstraxit, nísi ego? nam omnes nós quidem
Scímus, quam misere hánc amarit. núnc sibi uxorem éxpetit.
Póstremo id mihi dá negoti: tú tamen idem has núptias
Pérge facere ita, út facis: et id spéro adjuturós deos.
Sr. I'mmo abi intro: ibi me ópperire, et, quód parato opus ést, para.
Non ínpulit me, haec núnc omnino ut créderem:
Atque haút scio, an quae díxit sint vera ómnia:
Set párvi pendo: illúd mi multo máxumum 'st,
Quod míhi pollícitus 'st ípse gnatus. núnc Chremen
Convéniam: orabo gnáto uxorem: id si ímpetro,
Quid álias malim, quam hódie, has fieri núptias?
Nam gnátus quod pollícitus 'st, haut dubiúm 'st mihi,
Si nólit, quin eum mérito possim cógere.
Atque ádeo in ipso témpore eccum ipsúm Chremen.

Actus III. Scena III.

Simo. Chremes senex.

Si. Jubeó Chremetem. *Ch.* o, te ípsum quaerebam. *S.* ét ego te.
Ch. optato ádvenis.
Aliquót me adierunt, éx te auditum qui aíbant, hodie fíliam
Meam núbere tuo gnáto: id víso, tún' an illi insániant.
Si. Auscúlta pauca: et, quíd ego te velim, ét, tu quod quaerís, scies
Ch. Auscúlto: loquere quíd velis.
Si. Per te égo deos oro, et nóstram amicitiám, Chreme,
Quae incépta a parvis cum aétate adcrevít simul,
Perque únicam gnatám tuam, et gnatúm meum,
Cuius tibi potestas súmma servandí datur,
Ut me ádjuves in hác re: atque ita uti núptiae
Fueránt futurae, fíant. *Ch.* ah ne me óbsecra:
Quasi hóc te orando a me ímpetrare opórteat.
Alium ésse censes núnc me atque olim cúm dabam?
Si in rém 'st utrique ut fíant, accersí jube.
Set si éx ea re plús mali 'st quam cómmodi
Utríque, id oro te, ín commune ut cónsulas,
Quasiílla tua sit, Pámphilique ego sím pater.
Si. Immo íta volo itaque póstulo ut fiát, Chreme:
Neque póstulem abs te, ni ípsa res moneát. *Ch.* quid est?
Si. Iraé sunt inter Glycerium et gnatum. *Ch.* audio.
Si. Ita mágnae, ut sperem, pósse avelli. *Ch.* fábulae
Si. Profécto sic est. *Ch.* síc hercle, ut dicám tibi:
Amántium irae, amóris integrátio. *S.* hem,
Id te óro, ut ante eámus. dum tempús datur,
Dumque eius lubido occlúsa 'st contuméliis,
Prius quam hárum scelera et lácrumae confictaé dolis
Reddúcunt animum aegrótum ad misericórdiam,
Uxórem demus. spéro consuetúdine et
Conjúgio liberáli devinctúm, Chreme,
Dein fácile ex illis sése emersurúm malis.
Ch. Tibi ita hóc videtur: át ego non posse árbitror
Neque illum hánc perpetuo habére, neque me pérpeti.
Si. Qui scís ergo istuc, nísi periclum féceris?
Ch. At istúc periclum in fília fierí, grave est.
Si. Nempe incommoditas dénique huc omnís redit,
Si evéniat, quod Di próhibeant, discéssio.
At sí corrigitur, quót commoditatés vide:
Princípio amico fílium restitueris:
Tibi génerum firmum, et fíliae inveniás virum.
Ch. Quid istíc? si ita istuc ánimum induxti esse útile,

Noló tibi ullum cómmodum in me claúdier.
Sr. Meritó te semper máxumi fecí, Chreme.
Ch. Set quíd ais? *S.* quid? *Ch.* qui scís eos nunc díscordare intér se?
Sr. Ipsús mihi Davos, qui íntumus 'st eorúm consiliis, díxit:
Et ís mihi suadet, núptias quantúm queam ut matúrem.
Num cénses faceret, fílium nisi scíret eadem haec vélle?
Tute ádeo iam eius verba aúdies. heus, évocate huc Dávom.
Atque éccum: video ipsúm foras exíre.

Actus III. Scena IV.

Davus. Simo. Chremes.

Da. Ad te ibam. *S.* quídnam est?
Da. Cur úxor non adcérsitur? iam advésperascit. *S.* aúdin' tu illum?
Ego dúdum non nil véritus sum abs te, Dáve, ne facerés idem,
Quod vólgus servorúm solet, dolís ut me delúderes:
Proptérea quod amat fílius. *D.* egon' ístuc facerem? *S.* crédidi:
Idque ádeo metuens vós celavi, quód nunc dicam. *D.* quíd? *S.* scies:
Nam própemodum habeo jám fidem. *D.* tandém cognosti quí siem?
Non fúerant nuptiaé futurae. *D.* quíd? non? *S.* set ea grátia
Simulávi, vos ut pértemptarem. *D.* quíd ais? *S.* sic res ést. *D.* vide,
Numquam ístuc ego quivi íntellegere. váh consilium cállidum.
Sr. Hoc aúdi. ut hinc te introíre jussi, oppórtune hic fit mi óbviam. *D.* hem,
Numnám periimus? *S.* nárro huic, quae tu dúdum narrastí mihi.
Da. Quidnam aúdiam? *S.* gnatam út det oro, víxque id exoro. *D.* óccidi. *S.* hem,
Quid díxisti? *D.* optume ínquam factum. *S.* núnc per hunc nullá 'st mora.
Ch. Domúm modo ibo: ut ápparetur, dícam: atque huc renúntio.
Sr. Nunc te óro, Dave, quóniam solus mi éffecisti has núptias.
Da. Ego véro solus. *S.* córrigere mi gnátum porro enítere.
Da. Faciam hércle seduló. *S.* potes nunc, dum ánimus inritátus est.
Da. Quiéscas. *S.* age igitúr, ubi nunc est ípsus? *D.* mirum, ní domi est.
Sr. Ibo ád eum: atque eadem haec, quaé tibi dixi, dícam itidem illi. *D.* núllus sum.
Quid caúsae est, quin hinc ín pistrinum récta proficiscár via?
Nihil ést preci locí relictum; jám perturbavi ómnia:
Erúm fefelli: in núptias conjéci erilem fílium;
Feci hódie ut fierent, ínsperante hoc, átque invito Pámphilo. hem
Astútias: quod sí quiessem, níhil evenissét mali.
Set éccum video ipsum: óccidi.
Utinám mihi esset áliquid hic, quo núnc me praecipitém darem.

Actus III. Scena V.

Pamphilus. Davus.

Pa. U'bi illic est scelús, qui me hodie? périi. atque hoc confíteor jure
Mi óbtigisse; quándoquidem tam inérs, tam nulli cónsili sum:
Sérvon' fortunás meas me cómmisisse fútili?
Ego prétium ob stultitiám fero: sed inúltum id numquam a me aúferet.
Da. Posthác incolumem sát scio fore me, núnc si hoc devitó malum.
Pa. Nam quíd ego nunc dicám patri? negábon' velle mé, modo
Qui súm pollicitus dúcere? qua fidúcia id facere aúdeam?
Nec quíd nunc me faciám, scio. *D.* nec mé quidem, atque id ágo sédulo.
Dicam áliquid me inventúrum, ut hinc malo áliquam producám moram.
Pa. Oh. *D.* vísus sum *P.* ehodum, bóne vir, quid agis? víden' me consiliís tuis
Miserum ínpeditum esse? *D.* át jam expediam. *P.* expédies? *D.* certe Pámphile.
Pa. Nempe út modo. *D.* immo mélius spero. *P.* oh, tíbi ego ut credam, fúrcifer?
Tu rem ínpeditam et pérditam restítuas? hem quo frétus sim,
Qui me hódie ex tranquillíssima re cónjecisti in núptias.
A'nnon dixi esse hóc futurum? *D.* díxti. *P.* quid meritús's? *D.* crucem.
Sét sine paulúlum ád me redeam: iam áliquid dispiciam. *P.* éi mihi,
Cúm non habeo spátium, ut de te súmam supplicium, út volo:
Námque hoc tempus, práecavere míhi me, haut te ulciscí sinit.

Actus IV. Scena I.

Charinus. Pamphilus. Davus.

Ch. Hóccine crédibile, aút memorábile;
Tánta vecórdia innáta cuiquam út siet,
U't malis gaúdeant, átque ex incómmodis
A'lteriús sua ut cómparent cómmoda? ah
I'dne est verum? ímmo id est génus hominum péssumum, in
Dénegandó modo quís pudor paúlum adest:
Póst ubi témpus promíssa jam pérfici,
Túm coactí necessário se áperiunt:
E't timent: ét tamen rés premit dénegare:
I'bi tum eorum ínpudentíssima orátio est,
Quís tu es? quis mihi es?
Cúr meam tibi? heus,
Próxumus sum egomét mihi.
Attámen, ubi fidés, si rogés, non pudént hic,

Ubi opús 'st: illic, úbi nil opús 'st, ibi veréntur.
Sét quid agam? adeamne ád eum, et cum eo injúriam hanc expóstulem?
I'ngeram mala múlta? atque aliquis dícat, Nil promóveris:
Multúm. Molestus cérte ei fuero, atque ánimo morem géssero.
Pa. Charíne, et me et te inprúdens, nisi quid Dí respiciunt, pérdidi.
Ch. I'tane inprudens? tándem inventa'st caúsa. solvistí fidem.
Pa. Quíd tandem? *C.* Etiam núnc me dúcere ístis dictis póstulas?
Pa. Quíd istuc est? *C.* postquám me amare díxi, complacitá'st tibi.
Heú me miserum, quí tuum animum ex ánimo spectaví meo.
Pa. Fálsus es. *C.* non sátis tibi esse hoc sólidum visum'st gaúdium;
Nísi me lactassés amantem, et fálsa spe produceres.
Hábeas. *P.* habeam? ah néscis quantis ín malis versér miser;
Quantásque hic suis consíliis mihi confécit sollicitúdines
Meus cárnufex. *C.* quid istúc tam mirum, dé te si exemplúm capit?
Pa. Haut ístuc dicas, sí cognoris vél me vel amorém meum.
Ch. Scio: cúm patre altercásti dudum: et ís nunc proptereá tibi
Suscénset: nec te quívit hodie cógere, illam ut dúceres.
Pa. Immo étiam, quo tu mínus scis aerumnás meas,
Haec núptiae non ádparabantúr mihi:
Nec póstulabat núnc quisquam uxorém dare.
Ch. Scio: tú coactus tuá voluntate és. *P.* mane:
Nondum étiam scis. *C.* scio équidem ducturum ésse te.
Pa. Cur me énicas? hoc aúdi. numquam déstitit
Instáre, ut dicerém me ducturúm patri;
Suadére, orare, usque ádeo donec pérpulit.
Ch. Quis homo ístuc? *P.* Davos. *C.* Dávos? *P.* intertúrbat.
C. quamobrem? *P.* néscio,
Nisi míhi deos satís fuisse irátos, qui auscultáverim.
Ch. Factum ést hoc, Dave? *D.* fáctum est. *C.* hem, quid aís scelus?
At tíbi Di dignum fáctis exitiúm duint.
Eho, díc mihi, si omnes húnc conjectum in núptias
Inimíci vellent; quód, ni hoc, consiliúm darent?
Da. Decéptus sum, at non défetigátus. *C.* scio.
Da. Hac nón successit, ália adgrediemúr via.
Nisi si íd putas, quia prímo processít parum,
Non pósse jam ad salútem convertí hoc malum.
Pa. Immo étiam: nam satis crédo, si advigiláveris,
Ex únis geminas míhi conficies núptias.
Da. Ego, Pámphile, hoc tibi pró servitio débeo,
Conári manibus, pédibus, noctisque ét dies:
Capitís periclum adíre, dum prosím tibi:
Tuum'st, sí quid praeter spem évenit, mi ignóscere.
Parúm succedit quód ago: at facio sédulo.
Vel mélius tute réperi, me missúm face.

Pa. Cupió: restitue quem á me accepisti locum.
Da. Faciam. *P.* át jam hoc opus est. *D.* hém! set mane; concrépuit a Glycerio óstium.
Pa. Nihil ád te. *D.* quaero. *P.* hem, núncne demum? *D.* at jam hóc tibi inventúm dabo.

Actus IV. Scena II.

Mysis. Pamphilus. Charinus. Davus.

My. Iam, úbi ubi erit, inventúm tibi curábo, et mecum addúctum Tuum Pámphilum: tu modo, ánime mi, nolí te maceráre.
Pa. Mysís. *M.* quis est? hem! Pámphile, optumé te mihi offérs. *P.* quid est?
My. Oráre jussit, sí se ames, era, jám ut ad sese vénias: Vidére ait te cúpere. *P.* vah, perii: hóc malum integráscit. Sicíne me atque illam operá tua nunc míseros sollicitárier? Nam idcírco adcersor, núptias quod mi ádparari sénsit.
Ch. Quibus quídem quàm facile pótuerat quiésci, si hic quiésset.
Da. Age, si híc non insanít satis sua spónte, instiga. *M.* atque édepol Ea rés est: proptereáque nunc misera ín moerore est. *P.* Mysis, Per ómnis tibi adjuró deos, númquam cám me desertúrum; Non, sí capiundos míhi sciam esse inimícos omnis hómines. Hanc mi éxpetivi, cóntigit: convéniunt mores: váleant, Qui intér nos discidiúm volunt: hanc, nísi mors, mi adimet némo.
My. Resipísco. *P.* non Apóllinis magis vérum atque hoç respónsum est.
Si póterit fieri, ut né pater per mé stetisse crédat, Quo mínus hae fierent núptiae, voló. set si id non póterit, Id fáciam, in procliví quod est, per mé stetisse ut crédat. Quis vídeor? *C.* miser, aeque átque ego. *D.* consílium quaero. *C.* fórtis 's; Si quíd conere. *D.* hoc égo tibi profécto effectum réddam.
Pa. Iam hoc ópus est. *D.* quin jam habeó. *C.* quid est? *D.* huic, nón tibi habeo, ne érres.
Ch. Sat hábeo. *P.* quid faciés? cedo. *D.* dies mi híc ut satis sit véreor Ad agéndum: ne vacuum ésse me nunc ád narrandum crédas: Proinde hínc vos amolímini: nam mi ímpedimento éstis.
Pa. Ego hanc vísam. *D.* quid tu? quo hínc te agis? *C.* verúm vis dicam? *D.* immo étiam
Narrátionis íncipit mi inítium. *C.* quid me fíet?
Da. Eho tu ínpudens, non sátis habes, quod tíbi dieculam áddo, Quantum húic promoveo núptias? *C.* Dave, át tamen. *D.* quid érgo?
Ch. Ut dúcam. *D.* ridículum. *C.* húc face ad me vénias, si quid póteris.

Da. Quid véniam? nil habeo. *C.* át tamen siquíd — *D.* age, veniam. *C.* sí quid;
Domi éro. *D.* tu, Mysis, dum éxeo, parúmper opperíre hic.
My. Quaprópter? *D.* ita facto ést opus. *M.* matúra. *D.* jam inquam hic ádero.

Actus IV. Scena III.

Mysis.

My. Nilne ésse proprium cuíquam? Di vostrám fidem:
Summúm bonum esse eraé putabam hunc Pámphilum,
Amícum, amatorém, virum in quovís loco
Parátum: verum ex eó nunc misera quém capit
Labórem? facile hic plús mali est, quam illíc boni.
Set Dávos exit. mí homo, quid istuc óbsecro'st?
Quo pórtas puerum?

Actus IV. Scena IV.

Davus. Mysis.

Da. Mýsis, nunc opus ést tua
Mihi ad hánc rem exprompta málitia atque astútia.
My. Quid nam íncepturus 's? *D.* áccipe a me hunc ócius,
Atque ánte nostram jánuam adpone. *M.* óbsecro,
Humíne? *D.* ex ara hinc súme verbenás tibi,
Atque eás substerne. *M.* quámobrem id tute nón facis?
Da. Quia sí forte opus sit ád erum jurató mihi
Non ádposuisse, ut líquido possim. *M.* intéllego:
Nova núnc religio in te ístaec incessít, cedo.
Da. Move ócius te, ut quíd agam porro, intéllegas.
Pro Iúppiter. *M.* quid est? *D.* spónsae pater intérvenit.
Repúdio quod consílium primum ínténderam.
My. Nescío quid narres. *D.* égo quoque hinc ab déxtera
Veníre me adsimulábo: tu, ut subsérvias
Orátioni, utcúmque opus sit, verbís vide.
My. Ego, quíd agas, nihil intéllego: set, sí quid est,
Quod méa opera opus sit vóbis, ut tu plús vides,
Manébo, ne quod vóstrum remorer cómmodum.

Actus IV. Scena V.

Chremes. Mysis. Davus.

Ch. Rev értor, postquam quae ópus fuere ad núptias
Gnataé paravi, ut júbeam accersi. sét quid hoc?
Puer hércle'st. mulier, tu ádposuisti hunc? *M.* úbi illic est?
Ch. Non míhi respondes? *M.* núsquam est. vae miseraé mihi,

Relíquit me homo, atque ábiit. *D.* Di vostrám fidem,
Quid túrbae aput forum'st? quíd illic hominum lítigant?
Tum annóna cara'st. quíd dicam aliud, néscio.
My. Cur tu óbsecro hic me sólam? *D.* hem! quae haec est fábula?
Eho, Mýsis, puer hic únde est? quisve huc áttulit?
My. Satín' sanus 's, qui me íd rogites? *D.* quem ego igitúr rogem?
Qui hic néminem alium vídeam. *Ch.* miror, únde sit.
Da. Dictúran' quod rogo? *M.* aú. *D.* concede ad dexteram.
My. Delíras: non tute ípse? *D.* verbum sí mihi
Unúm praetereaquám quod te rogo faxís, cave.
My. Male dícis. *D.* unde'st? dic clare. *M.* a nobís. *D.* ahahe!
Mirúm vero, inpudénter mulier sí facit
Meretrix. *Ch.* ab Andria ést haec, quantum intéllego.
Da. Adeón' videmur vóbis esse idónei,
In quíbus sic inludátis? *Ch.* veni in témpore.
Da. Propera ádeo puerum tóllere hinc ab jánua:
Mané: cave quoquam ex ístoc excessís loco.
My. Di te éradicent: íta me miseram térritas.
Da. Tibi díco ego, annon? *M.* quíd vis? *D.* at etiám rogas?
Cedo, cújum puerum hic ádposuisti? díc mihi.
My. Tu néscis? *D.* mitte id, quód scio: dic, quód rogo.
My. Vestrí. *D.* cuius nostri? *M.* Pámphili. *D.* hem, quid?
Pámphili?
My. Eho, annón est? *Ch.* recte ego sémper fugi has núptias.
Da. O fácinus animadvértendum. *M.* quid clámitas?
Da. Quemne égo heri vidi ad vós adferri vésperi?
My. O hóminem audacem. *D.* vérum. vidi Cántharam
Suffárcinatam. *M.* Dís pol habeo grátiam,
Cum in páriundo aliquot ádfuerunt líberae.
Da. Ne illa íllum haut novit, cújus causa haec íncipit.
Chremés, si positum púerum ante aedis víderit,
Suam gnátam non dabít: tanto hercle mágis dabit.
Ch. Non hércle faciet. *D.* núnc adeo, ut tu sís sciens,
Nisi púerum tollis, jám ego hunc in mediám viam
Provólvam: teque ibídem pervolvam ín luto.
My. Tu pól homo non es sóbrius. *D.* fallácia
Alia áliam trudit. jám susurrari aúdio,
Civem A'tticam esse hanc. *Ch.* hém. *D.* coactus légibus
Eam uxórem ducet. *M.* eho, óbsecro, an non cívis est?
Ch. Ioculárium in malum ínsciens paene íncidi.
Da. Quis hic lóquitur? o Chremé, per tempus ádvenis.
Auscúlta. *C.* audivi jam ómnia. *D.* ah ne tu ómnia!
Ch. Audívi, inquam, a princípio. *D.* audistin', óbsecro? hem
Scelera, hánc jam oportet ín cruciatum hinc ábripi.
Hic est ílle: non te crédas Davom lúdere.

My. Me míseram: nil pol fálsi dixi, mí senex.
Ch. Novi ómnem rem. est Simo íntus? *D.* est. *M.* ne me áttigas,
Sceléste, si pol Glýcerio non ómnia haec.
Da. Eho inépta, nescis quíd sit actum? *M.* quí sciam?
Da. Hic sócer est. alio pácto haut poterat fíeri,
Ut scíret haec, quae vóluimus. *M.* praedíceres.
Da. Paulum ínteresse cénses, ex animo ómnia,
Ut fért natura, fácias, an de indústria?

Actus IV. Scena VI.

Crito hospes. Mysis. Davus.

Cr. In hác habitasse plátea dictum'st Chrýsidem,
Quae sibi inhoneste optávit parere hic divítias,
Potiús quam honeste in pátria pauper víveret:
Eius mórte ea ad me lége redierúnt bona.
Set quós perconter vídeo. salvete. *M.* óbsecro,
Quem vídeo? estne hic Critó sobrinus Chrýsidis?
Is ést. *Cr.* o Mysis, sálve. *M.* salvos sís Crito.
Cr. Itan' Chrýsis? hem. *M.* nos pól quidem miseras pérdidit.
Cr. Quid vós, quo pacto hic? sátine recte? *M.* nósne? sic
Ut químus, ajunt; quándo, ut volumus, nón licet.
Cr. Quid Glýcerium? jam hic suós parentes répperit?
M. Utinam. *Cr.* án nondum etiam? haut aúspicato huc me ádtuli:
Nam pól, si id scissem, númquam huc tetulissém pedem:
Sempér enim dicta est ésse haec atque habita ést soror:
Quae illíus fuerunt, póssidet: nunc me hóspitem
Lités sequi, quam id míhi sit facile atque útile,
Aliórum exempla cómmonent: simul árbitror,
Jam esse áliquem amicum et défensorem ei: nám fere
Grandiúscula jam profécta'st illinc. clámitent,
Me sýcophantam: heréditatem pérsequi,
Mendícum: tum ipsam déspoliare nón lubet.
My. O óptume hospes, pól, Crito, antiquum óbtines.
Cr. Duc me ád eam: quando huc véni, ut videam. *M.* máxume.
Da. Sequar hós: nolo me in témpore hoc videát senex.

Actus V. Scena I.

Chremes. Simo.

Ch. Sátis jam, satis Simó, spectata ergá te amicitiá'st mea:
Sátis pericli incépi adire: orándi jam finém face.
Dúm studeo obsequí tibi, paene inlúsi vitam fíliae.
Si. Immo enim nunc cum máxume abs te póstulo atque oró, Chreme,
U't beneficium vérbis initum dúdum, nunc re cómprobes.

Ch. Víde quam iniquus sís prae studio: dúm id efficias, quód cupis,
Néque modum benignitatis, néque quid me ores, cógitas:
Nám si cogités, remittas jám me onerare injúriis.
St. Quíbus? *Ch.* at rogitas? pérpulisti me, út homini adulescéntulo,
In alio occupáto amore, abhórrenti ab re uxória,
Filiam darem ín seditionem, átque in incertas núptias;
Eius labore atque eius dolore gnáto ut medicarér tuo:
Impetrasti: incépi: dum res tétulit. nunc non férs: feras.
Illam hinc civem esse aiunt, puer est nátus: nos missós face.
St. Pér ego te deos óro, ut ne illis ánimum inducas crédere,
Quíbus id maxume útile'st, illum ésse quam detérrimum.
Núptiarum grátia haec sunt fácta atque incepta ómnia.
Ubi ea causa, quámobrem haec faciunt, érit adempta his, désinent.
Ch. Erras: cum Davo égomet vidi júrgantem ancillám. *S.* scio.
Ch. Véro voltu; cum íbi me adesse neúter tum praesénserat.
St. Crédo; et id factúras Davos dúdum praedixít mihi:
Et nescio quid tíbi sum oblítus hódie, ac volui, dícere.

Actus V. Scena II.

Davus. Chremes. Simo. Dromo.

Da. Animo nunc ïam ótioso esse ímpero. *Ch.* hem Davóm tibi.
St. Unde egreditur? *D.* meó praesidio atque hóspitis. *S.* quid illúd mali est?
Da. Ego commodiorem hóminem, adventum, témpus, non vidí. *S.* scelus,
Quémnam hic laudat? *D.* ómnis res est jam ín vado. *S.* cesso ádloqui?
Da. Erus est: quid agam? *S.* o sálve, bone vir. *D.* échem, Simo, o nostér Chreme,
Omnia adparáta jam sunt íntus. *S.* curastí probe.
Da. Ubi voles, adcérse. *S.* bene sane: íd enimvero hinc núnc abest.
Etiam tu hoc respónde, quid istic tíbi negoti'st? *D.* míhin'? *S.* ita.
Da. Mihi? *S.* tibi ergo. *D.* módo ego introivi. *S.* quási ego quam dudúm rogem.
Da. Cúm tuo gnato una. *S.* ánne est intus Pámphilus? crucíor miser.
Eho, non tu dixti ésse inter eos ínimicitias, cárnufex?
Da. Sunt. *S.* cur igitur hic est? *Ch.* quid illum cénses? cum illa litigat.
Da. Immo vero indignúm, Chreme, jam fácinus faxo ex me aúdies.
Néscio, qui senéx modo venit: éllum, confidéns, catus:
Cúm faciem videás, videtur ésse quantivís preti:
Tristís severitás inest in vóltu, atque in verbís fides.
St. Quídnam adportas? *D.* níl equidem, nisi quód illum audivi dícere.

Sr. Quíd ait tandem? *D.* Glýcerium se scíre cívem esse A'tticam. *S.* hem.
Dromó, Dromo. *Dr.* quid ést? *S.* Dromo. *D.* audi. *S.* vérbum si addideris. Dromo.
Da. Audi, óbsecro. *Dr.* quid vís? *S.* sublímem hunc íntro rape, quantúm potes.
Dr. Quem? *S.* Dávom. *D.* quamobrem? *S.* quía lubet. rape ínquam. *D.* quid fecí? *S.* rape.
Da. Si quícquam invenies mé mentitum, occídito. *S.* nihil aúdio. E'go jam te commótum reddam. *D.* támen etsi hoc verum ést? *S.* tamen.
Cura ádservandum vínctum. atque audin'? quádrupedem constríngito.
Age núnc iam: ego pol hódie, si vivó, tibi
Osténdam, erum quid sít pericli fállere,
Et illí patrem. *Ch.* ah ne saévi tantopere. *S.* ó Chreme,
Pietátem gnati. nónne te miserét mei?
Tantúm laborem cápere ob talem fílium?
Age, Pámphile: exi, Pámphile: ecquid té pudet?

Actus V. Sceña III.

Pamphilus. Simo. Chremes.

Pa. Quis mé volt? perii, páter est. *S.* quid aïs, ómnium? *Ch.* ah, Rem pótius ipsam díc, ac mitte mále loqui.
Sr. Quasi quícquam in hunc jam grávius dici póssiet.
Ain' tándem, civis Glýcerium'st? *P.* ita praédicant.
Sr. Ita praédicant? o ingéntem confidéntiam:
Num cógitat quid dícat? num factí piget?
Num eiús color pudóris signum usquam índicat?
Adeo ínpotenti esse ánimo, ut praeter cívium
Morem átque legem, et suí voluntatém patris,
Tamen hánc habere stúdeat cum summó probro?
Pa. Me míserum. *S.* hem, modone id démum sensti, Pámphile?
Olim ístuc, olim, cum íta animum induxtí tuum,
Quod cúperes, aliquo pácto efficiundúm tibi:
Eodém die istuc vérbum vere in te áccidit.
Set quíd ego me autem excrúcio? cur me mácero?
Cur meám senectutem huíus sollícito améntia?
An ut pro huíus peccatis égo supplícium súfferam?
Immo hábeat, valeat, vívat cum illa. *P.* mí pater.
Sr. Quid mí pater? quasi tu hújus indigeás patris.
Domus, úxor, liberi ínventi invitó patre.
Addúcti qui illam cívem hinc dicant: víceris.
Pa. Patér, licetne paúca? *S.* quid dicés mihi?

Ch. Tamén, Simo, audi. *S.* egon' aúdiam? quid ego aúdiam, Chreme? *Ch.* át tamen dicát sine. *S.* age dicát: sino.
Pa. E'go me amare hanc fáteor. si id peccáre est, fateor íd quoque.
Tíbi, pater, me dédo. quidvis óneris inpone: ímpera:
Vís me uxorem dúcere? hanc vis míttere? ut poteró, feram.
Hóc modo te obsecro, út ne credas á me adlegatum húnc senem:
Síne me expurgem, atque íllum huc coram addúcam. *S.* adducas? *Pa.* síne, pater.
Ch. Aéquum postulát: da veniam. *P.* síne te hoc exorém. *S.* sino.
Quídvis cupio, dúm ne ab hoc me fálli comperiár, Chreme.
Ch. Pró peccato mágno paulum súpplici satis ést patri.

Actus. V. Scena IV.

Crito. Chremes. Simo. Pamphilus.

Cr. Mítte orare. una hárum quaevis caúsa me ut faciám monet,
Vél tu, vel quod vérum est, vel quod ípsi cupio Glýcerio.
Ch. A'ndrium ego Critónem video? cérte is est. *Cr.* salvos sís, Chreme.
Ch. Quíd tú Athenas ínsolens? *Cr.* evénit. set hiciné'st Simo?
Ch. Híc. *Cr.* Simo, men' quaéris? *S.* eho, tu Glýcerium hinc, civem ésse aïs?
Cr. Tú negas? *S.* itane húc paratus ádvenis? *Cr.* qua ré? *S.* rogas?
Túne inpune haec fácias? tune hic hómines adulescéntulos
Inperitos rérum, eductos líbere, in fraudem ínlicis
Sóllicitando, et póllicitando eorum ánimos lactas? *Cr.* sánun' es?
Si. A'c meretricios amores núptiis conglútinas?
Pa. Périi: metuo, ut súbstet hospes. *Ch.* sí, Simo, hunc norís satis,
Nón ita arbitrére: bonus est hic vir. *S.* hic vir sít bonus?
I'tane adtemperáte evenit, hódie in ipsis núptiis
U't veniret, ántehac numquam? est véro huic credendúm, Chreme.
Pa. Ní metuam patrem, hábeo pro illa re, íllum quod moneám probe.
Si. Sýcophanta *Cr.* hem. *Ch.* síc, Crito, est hic: mítte. *Cr.* videat, quí siet.
Sí mihi perget quaé volt dicere, éa, quae non volt, aúdiet.
E'go istaec moveo aut cúro? non tu tuúm malum aequo animó feres?
Nam égo quae dico, véra an falsa audíerim, jam scirí potest.
A'tticus quidam ólim navi frácta ad Andrum ejéctus est,
E't istaec una párva virgo. tum ílle egens forte ádplicat
Prímum ad Chrysidís patrem se. *S.* fábulam inceptát. *Ch.* sine.
Cr. I'tane vero obtúrbat? *Ch.* perge. *Cr.* tum ís mihi cognatús fuit,
Qui eúm recepit. íbi ego audivi ex íllo sese esse A'tticum.
I's ibi mortuus ést. *Ch.* eius nomen? *Cr.* nómen tam cito?
P. Phánia. *Ch.* hem,

Perii. *Cr.* verum hercle opínor fuisse Phániam: hoc certó scio,
Rhamnúsium sese aíbat esse. *Ch.* o Júppiter. *Cr.* eadem haéc, Chreme,
Multi álii in Andro audívere. *Ch.* utinam id sít, quod spero. eho, díc mihi,
Quid eám tum? suamne esse aíbat? *Cr.* non. *Ch.* cujam igitur? *Cr.* fratris fíliam.
Ch. Certé mea'st. *Cr.* quid aïs? *S.* quid tu aïs? *P.* árrige auris, Pámphile.
Si. Qui crédis? *Ch.* Phania íllic frater meús fuit. *S.* noram ét scio.
Ch. Is hinc, béllum fugiens méque in Asiam pérsequens, profíciscitur;
Tum illam híc relinquere véritus est. postílla nunc primum aúdio,
Quid illó sit factum. *P.* víx sum aput me: ita ánimus commotús'st metu,
Spe, gaúdio, mirándo hoc tanto tám repentinó bono.
Si. Ne istám multimodis túam inveniri gaúdeo. *P.* credó, pater.
Ch. At mi únus scrupulus étiam restat, quí me male habet. *P.* dígnus es
Cum tuá religione, ódium. nodum in scírpo quaeris. *Cr.* quíd istuc est?
Nomén non convenít. *Cr.* fuit hercle huic áliud parvae. *Ch.* quód, Crito?
Numquíd meministi? *Cr.* id quaéro. *P.* egon' hujus mémoriam patiár meae
Voluptáti obstare, cum égomet possim in hác re medicarí mihi?
Non pátiar. heus, Chremé, quod quaeris, Pásibula. *Ch.* ipsá'st. *Cr.* ea'st.
Pa. Ex ípsa miliés audivi. *Si.* omnís nos gaudere hóc, Chreme,
Te crédo credere. *Ch.* íta me Di ament, crédo. *P.* quid restát, pater?
Si. Jam dúdum res reddúxit me ipsa in grátiam. *P.* o lepidúm patrem.
De uxóre, íta ut possédi, nil mutát Chremes. *Ch.* causa óptuma'st:
Nisi síquid pater ait áliud. *P.* nempe id. *S.* scílicet. *Ch.* dos, Pámphile, est
Decém talenta. *P.* accípio. *Ch.* propere ad fíliam, eho, mecúm, Crito:
Nam íllám me credo haut nósse. *S.* cur non íllam huc transferrí jubes?
Pa. Recte ádmones. Davo égo istuc dedam jám negoti. *S.* nón potest.
Pa. Qui? *S.* quía habet aliud mágis ex sese et május. *P.* quidnam? *S.* vínctus est.
Pa. Patér, non recte vínctus'st. *S.* at ita jússi. *P.* jube solvi, óbsecro.
Si. Age fíat. *P.* at matúre. *S.* eo intro. *P.* o faústum et felicém diem.

Actus V. Scena V.

Charinus. Pamphilus.

Ch. Proviso, quid agat Pámphilus: atque éccum. *P.* aliquis me fórsitan
Putet, nón putare hoc vérum: at mihi nunc síc esse hoc verúm liquet.
Egó Deorum vítam eapropter sémpiternam esse árbitror,
Quod volúptates eórum propriae súnt: nam mi immortálitas
Partá'st, si nulla umquam aégritudo huic gaúdio intercésserit. 5
Set quém ego mihi potíssimum optem, cuí nunc haec narrém, dari?
Ch. Quíd illud gaudi est? *P.* Dávom video. némo'st, quem mallem ómnium:
Nam húnc scio mea sólide solum gávisurum gaúdia.

Actus V. Scena VI.

Davus. Pamphilus. Charinus.

Da. Pámphilus ubinam'st? *P.* híc est, Dave. *D.* quís homo'st? *P.* ego sum Pámphilus:
Néscis quid mi obtígerit. *D.* certe: sét quid mi obtigerít scio.
Pa. E't quidem ego. *D.* more hóminum evenit, út, quod sim ego nactús mali,
Príus resciscerés tu, quam ego quód tibi evenít boni.
Pa. Méa Glycerium suós parentes répperit. *D.* factúm bene. *C.* hem. 5
Pa. Páter amicus súmmus nobis. *D.* quís? *P.* Chremes. *D.* narrás probe.
Pa. Néc mora ulla est, quín jam uxorem dúcam. *C.* num ille sómniat
E'a, quae vigilans vóluit? *P.* tum de púero, Dave? *D.* ah désine:
Sólus es, quem díligunt Di. *C.* sálvos sum, si haec véra sunt.
Cónloquar. *P.* quis homó'st? Charine, in témpore ipso mi ádvenis. 10
Ch. Béne factum. *P.* audisti? *C.* ómnia. age, me in tuís secundis réspice.
Túus est nunc Chremés: facturum quaé voles scio esse ómnia.
Pa. Mémini: atque adeo lóngum'st, nos illum éxpectare, dum éxeat.
Séquere hac me. intus ápud Glycerium núnc est. tu, Dave, ábi domum:
Própere adcerse, hinc qui aúferant eam. quíd stas? quid cessás? *D.* eo. 15
Ne éxspectetis dum éxeant húc: íntus despondébitur:
Íntus transigétur si quid ést quod restet. Plaúdite.

TERENTII EUNUCHUS.

C. SULPITII APOLLINARIS PERIOCHA IN EUNUCHUM.

Sorórem falso dictitatam Thaidis,
Id ipsum ignorans miles advexit Thraso,
Ipsique donat. érat haec civis Áttica.
Eidem Eunuchum, quem émerat, tradi jubet
Thaidis amator Phaédria, ac rus ipse abit,
Thrasóni oratus biduum concéderet.
Ephébus frater Phaédriae puéllulam
Cum déperiret dóno missam Thaidi,
Ornátu Eunuchi indúitur. suadet Pármeno.
Íntroiit. vitiat virginem. sed Átticus
Civis repertus fráter ejus cóllocat
Vitiátam ephebo. Phaédriam exorát Thraso.

ACTA LUDIS MEGALENSIB. L. POSTUMIO ALBINO L. CORNELIO MERULA AEDILIB. CURULIB. EGERE L. AMBIVIUS TURPIO, L. ATILIUS PRAENESTINUS. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDI TIBIIS DUABUS DEXTRIS. GRAECA MENANDRU. ACTA II. M. VALERIO, C. FANNIO COSS.

Fabulae interlocutores.

PHAEDRIA, adulescens, amator Thaidis.
PARMENO, servus Phaedriae.
THAIS, meretrix.
GNATHO, parasitus Thrasonis.
CHAEREA, adulescens, amator Pamphilae.
THRASO, miles, rivalis Phaedriae.
PYTHIAS, ancilla Thaidis.
CHREMES, adulescens, frater Pamphilae.
ANTIPHO, adulescens.
DORIAS, ancilla Thaidis.
DORUS, Eunuchus.
SANGA, ex exercitu Thrasonis.
SOPHRONA, nutrix Pamphilae.
LACHES, senex, pater Phaedriae et Chaeream.

Personae mutae:

PAMPHILA, soror Chremetis, Thaidi dono data a Thrasone.
SIMALIO, DONAX, SYRISCUS, } exercitus Thrasonis, Thaidem oppugnans.

PROLOGUS.

Si quísquam est, qui placére se studeát bonis
Quam plúrimis, et mínime multos laédere,
In hís poëta hic nómen profitetúr suum.
Tum sí quis est, qui díctum in se incleméntius
Exístimarit ésse, sic exístimet:
Respónsum, non dictum ésse, quia laesít prior,
Qui béne vertendo, et eásdem scribendó male,
'X Graecís bonis Latínas fecit nón bonas:
Idém Menandri Phásma nunc nupér dedit:
Atque ín Thesauro scripsit, causam dícere
Prius únde petitur, aúrum quare sít suum,
Quam illíc qui petit, unde ís sit thesaurús sibi:
Aut únde in patrium mónumentum pervénerit.
Dehinc, né frustretur ípse se, aut sic cógitet,
Defúnctus jam sum, níhil est, quod dicát mihi:
Is ne érret, moneo, et désinat lacéssere.
Habeoália multa, núnc quae condonábitur;
Quae próferentur póst, si perget laédere;
Ita ut fácere instituit. quám nunc acturí sumus
Menándri Eunuchum, póstquam Aediles émerunt;
Perfécit, sibi ut inspíciundi esset cópia.
Magistrátus cum ibi adéssent, occeptá'st agi.
Exclámat, furem, nón poëtam, fábulam
Dedísse, et nil dedísse verborúm tamen:
Colacem ésse Naevi et Plaúti veterem fábulam:
Parasíti personam índe ablatam et mílitis.
Si id ést peccatum, péccatum inprudéntia'st
Poëtae: non quo fúrtum facere stúduerit:
Id ita ésse, vos jam júdicare póteritis.
Coláx Menandri est: ín ea est parasítus Colax,
Et míles gloriósus: eas se hic nón negat
Persónas transtulísse in Eunuchúm suam
Ex Graéca: set eas fábulas factás prius
Latínas scisse sése, id vero pérnegat.
Quod sí personis ísdem huic uti nón licet:
Qui mágis licet curréntem servom scríbere,

Bonás matronas fácere, meretricés malas,
Parasítum edacem, glóriosum mílitem,
Puerúm supponi, fálli per servóm senem,
Amáre, odisse, súspicari? dénique
Nullum ést jam dictum, quód non dictum sít prius.
Quare aéquom est vos cognóscere atque ignóscere,
Quae véteres factitárunt, si faciúnt novi.
Date óperam, cum siléntio animum atténdite,
Ut pérnoscatis, quíd sibi Eunuchús velit.

Actus I. Scena I.

Phaedria adulescens. Parmeno servus.

Ph. Quid ígitur faciam? nón eam, ne núnc quidem
Cum adcérsor ultro? an pótius ita me cómparem,
Non pérpeti meretrícum contumélias?
Exclúsit: revocat: rédeam? non, si me óbsecret.
Pa. Siquidem hércle possis, níl prius, neque fórtius:
Verúm si incipies, néque pertendes náviter,
Atque úbi pati non póteris, cum nemo éxpetet,
Infécta pace, ultro ád eam venies; índicans
Te amáre, et ferre nón posse: actum'st. ílicet.
Perísti. ciudet, úbi te victum sénserit.
Proin tú, dum est tempus, étiam atque etiam hoc cógita,
Ere, Quaé res in se néque consilium, néque modum
Habet úllum, eam rem consílio regere nón potes.
In amóre haec omnia ínsunt vitia: injúriae,
Suspíciones, ínimicitiae, indútiae,
Bellúm, pax rursum: incérta haec si tu póstules,
Ratióne certa fácere, nihilo plús agas,
Quam sí des operam, ut cúm ratione insánias.
Et quód nunc tute técum iratus cógitas,
Egone íllam? quae illum? quaé me? quae non? síne modo,
Morí me malim: séntiet qui vír siem:
Haec vérba una mehércle falsa lácrimula,
Quam oculós terendo mísere vix vi exprésserit,
Restínguet: et te ultro áccusabit: ét dabis
Ultro eí supplicium. *Ph.* o indígnum facinus: núnc ego
Et illám scelestam esse, ét me miserum séntio:
Et taédet: et amore árdeo: et prudéns, sciens,
Vivús vidensque péreo: nec quid agám scio.
Pa. Quid agás? nisi ut te rédimas captum quám queas
Minimó: si nequeas paúlulo, at quantí queas:
Et né te adflictes. *Ph.* ítane suades? *Pa.* sí sapis.
Neque, praéterquam quas ípse amor moléstias

Habet, áddas: et illas, quás habet, recté feras.
Set ecca ípsa egreditur, nóstri fundi cálamitas:
Nam quód nos capere opórtet, haec intércipit.

Actus I. Scena II.

Thais meretrix. Phaedria. Parmeno.

Th. Miserám me, vereor, ne íllud gravius Phaédria
Tulerít, neve aliorsum átque ego feci accéperit,
Quod heri íntromissus nón est. *Ph.* totus, Pármeno,
Tremo hórreoque, póstquam aspexi hanc. *Pa.* bóno animo es:
Accéde ad ignem hunc, jám calesces plús satis.
Th. Quis hic lóquitur? ehem, tun' híc eras, mi Phaédria?
Quid hic stábas, cur non récta introibas? *Pa.* céterum
De exclúsione vérbum nullum. *Th.* quíd taces?
Ph. Sané, quia vero hae míhi patent sempér fores,
Aut quía sum aput te prímus. *Th.* missa istaéc face.
Ph. Quid míssa? o Thais, Tháis, utinam essét mihi
Pars aéqua amoris técum, ac pariter fíeret,
Ut aút hoc tibi doléret itidem, ut míhi dolet;
Aut égo istuc abs te fáctum nihili pénderem.
Th. Ne crúcia te obsecro, ánime mi, mi Phaédria.
Non pól, quo quemquam plús amem aut plus diligam,
Eo féci: set ita erát res, faciundúm fuit.
Pa. Credo, út fit, misera praé amore exclusti húnc foras.
Th. Sicíne agis, Parmeno? áge: set huc qua grátia
Te accérsi jussi, auscúlta. *Ph.* fiat. *Th.* díc mihi
Hoc prímum, potin' est híc tacere? *Pa.* egone? óptume.
Verum heús tu, hac lege tíbi meam adstringó fidem:
Quae véra audivi, táceo et contineo óptume:
Sin fálsum aut vanum aut fictum'st, continuó palam'st:
Plenús rimarum sum, hác atque illac pérfluo.
Proin tú, taceri sí vis, vera dícito.
Th. Samiá mihi mater fúit: ea habitabát Rhodi.
Pa. Potést taceri hoc. *Th.* túm ibi matri párvolam
Puéllam dono quídam mercatór dedit,
Ex A'ttica hinc abréptam. *Ph.* civemne? *Th.* árbitror:
Certúm non scimus: mátris nomen ét patris
Dicébat ipsa: pátriam et signa cétera
Neque scíbat, neque per aétatem etiam pótis erat.
Mercátor hoc addébat: e praedónibus,
Unde émerat, se audísse abreptam e Súnio.
Matér ubi accepit, coépit studiose ómnia
Docére, educere, íta uti si esset fília.
Sorórem plerique ésse credebánt meam.

Ego cum illo, quicum tum uno rem habebam hospite,
Abii huc: qui mihi reliquit haec, quae habeo, omnia.
Ph. Utrumque hoc falsum'st: effluet. *Th.* qui istuc? *Ph.* quia
Neque tu uno eras contenta, neque solus dedit:
Nam hic quoque bonam magnamque partem ad te attulit.
Th. Ita'st: set sine me pervenire, quo volo.
Interea miles, qui me amare occeperat,
In Cariam est profectus: te intereá loci
Cognóvi. tute scis postilla quam íntumum
Habeám te: et mea consília ut tibi credam ómnia.
Ph. Neque hoc tacebit Parmeno. *Ph.* oh, dubiúmne id est?
Th. Hoc ágite, amabo. máter mea illic mórtua'st
Nupér: ejus frater áliquantum ad rem est ávidior.
Is, úbi hanc forma vídet honesta vírginem
Et fídibus scire, prétium sperans ílico
Producit: vendit: fórte fortuna ádfuit
Hic méus amicus: émit eam donó mihi,
Inprúdens harum rérum ignarusque ómnium.
Is vénit: postquam sénsit me tecúm quoque
Rem habére, fingit caúsas, ne det, sédulo:
Ait, sí fidem habeat se íri praepositúm tibi
Apút me; ac non id métuat, ne, ubi accéperim,
Sesé relinquam; vélle se illam míhi dare:
Verum íd vereri. sét ego quantum súspicor,
Ad vírginem animum adjécit. *Ph.* etiamne ámplius?
Th. Nil: nám quaesivi. núnc ego eam, mi Phaédria,
Multaé sunt causae, quámobrem cupiam abdúcere:
Primúm quod soror est dícta: praeterea út suis
Restítuam ac reddam. sóla sum: habeo hic néminem,
Neque amícum neque cognátum. quamobrem, Phaédria,
Cupio áliquos parere amícos benefició meo.
Id, amábo, adjuta mé, quo id fiat fácilius.
Sine illúm priores pártes hosce aliquót dies
Apút me habere. níl respondes? *Ph.* péssuma,
Egon' quícquam cum istis fáctis tibi respóndeam?
Ph. Eu nóster, laudo: tándem perdoluít: vir es.
Ph. At égo nescibam, quórsum tu ires: párvola
Hinc ést abrepta: edúxit mater pró sua:
Soror dícta'st: cupio abdúcere, ut reddám suis:
Nempe ómnia haec nunc vérba huc redeunt dénique,
Ego exclúdor: ille récipitur. qua grátia?
Nisi si illum plus amás quam me, et istam núnc times,
Quae advécta'st, ne illum tálem praeripiát tibi.
Th. Ego id tímeo? *Ph.* quid te ergo áliud sollicitát? cedo.
Num sólus ille dóna dat? nuncúbi meam

Benígnitatem sénsisti in te claúdier?
Nonne, úbi mi dixti, cúpere te ex Aethíopia
Ancíllulam, relíctis rebus ómnibus
Quaesívi? porro eunúchum dixti vélle te,
Quia sólae utuntur hís reginae: répperi.
Herí minas pro ambóbus vigintí dedi.
Tamén contemptus ábs te haec habui in mémoria:
Ob haéc facta abs te spérnor. *Th.* quid istic Phaédria?
Quamquam íllam cupio abdúcere, atque hac re árbitror
Id fíeri posse máxume: verúmtamen,
Potiús quam te inimicum hábeam, faciam ut jússeris.
Ph. Utinam ístuc verbum ex ánimo ac vere díceres:
Potiús quam te inimicum hábeam: si istuc créderem
Sincére dici, quídvis possem pérpeti.
Pa. Labáscit, victus úno verbo, quám cito!
Th. Ego nón ex animo mísera dico? quám joco
Rem vóluisti a me tándem, quin perféceris?
Ego ímpetrare néqueo hoc abs te, bíduum
Saltem út concedas sólum. *Ph.* siquidem bíduum.
Verúm ne fiant ísti vigintí dies.
Th. Profécto non plus bíduum aut — *Ph.* aut? níl moror.
Th. Non fíet: hoc modo síne te exorem. *Ph.* scílicet
Faciúndum'st quod vis. *Th.* mérito te amo, béne facis.
Ph. Rus íbo: ibi hoc me mácerabo bíduum:
Ita fácere certum'st: mós gerundus'st Thaídi.
Tu, Pármeno, huc fac illi ádducantur. *P.* máxume.
Ph. In hoc bíduum, Thaís, vale. *Th.* mi Phaédria,
Et tú: nunquid vis áliud? *Ph.* egone quíd velim?
Cum mílite isto praésens, absens út sies:
Diés noctesque mé ames: me desíderes:
Me sómnies: me exspéctes: de me cógites:
Me spéres: me te obléctes: mecum tóta sis:
Meus fác sis postremo ánimus, quando ego súm tuus.
Th. Me míseram, forsan párvam hic habeat míhi fidem,
Atque éx aliarum ingéniis nunc me júdicet.
Ego pól, quae mihi sum cónscia, hoc certó scio,
Neque mé finxisse fálsi quicquam, néque meo
Cordi ésse quemquam cáriorem hoc Phaédria:
Et quícquid hujus féci, causa vírginis
Fecí: nam me ejus spéro fratrem própemodum
Jam répperisse, adulescentem adeo nóbilem:
Et is se hódie venturum ád me constituít domum.
Concédam hinc intro, atque éxspectabo, dúm venit.

ACTUS II. SCENA I.

PHAEDRIA. PARMENO.

PH. Fác, ita ut jussi, déducantur ísti. *PA.* faciam. *PH.* at díligenter.
PA. Fíet. *PH.* at matúre. *PA.* fiet. *PH.* sátine hoc mandatúm'st tibi? *PA.* ah
Rogitáre, quasi difficile sit.
U'tinam tam aliquid ínvenire fácile possis, Phaédria,
Quam hóc peribit. *PH.* égo quoque una péreo, quod mi est cárius: 5
Ne istúc tam iniquo pátiare animo. *PA.* mínime: quin efféctum dabo.
Set núm quid aliud ímperas?
PH. Múnus nostrum ornáto verbis, quód poteris: et istum aémulum,
Quod póteris, ab ea péllito. *PA.* ah,
Mémini, tametsi núllus moneas. *PH.* égo rus ibo, atque íbi manebo. 10
PA. Cénseo. *PH.* set heús tu. *PA.* quid vis? *PH.* cénsen' posse me óffirmare et
Pérpeti, ne rédeam interea? *PA.* téne? non hercle árbitror:
Nam aut jám revertere; aút mox noctu te ádiget horsum insómnia.
PH. Opus fáciam, ut defetíger usque, ingrátiis ut dórmiam.
PA. Vigilábis lassus: hóc plus facies. *PH.* áh, nil dicis, Pármeno. 15
Ejíciunda hercle est haéc mollities ánimi: nimis me indúlgeo.
Tandém non ego illa cáream, si sit ópus, vel totum tríduum? *PA.* hui,
U'nivorsum tríduum? vide quíd agas. *PH.* stat senténtia.
PA. Dí boni, quid hoc mórbi est? adeon' hómines inmutárier
E'x amore, ut nón cognoscas eúndem esse? hoc nemó fuit 20
Mínus ineptus, mágis severus quísquam, nec magis cóntinens.
Sét quis hic est, qui huc pérgit? attat, híc quidem est parasítus Gnatho
Mílitis: ducít secum una vírginem dono huíc: papae,
Fácie honesta. mírum, ni ego me túrpiter hodie híc dabo
Cúm meo decrepito hóc eunucho. haec súperat ipsam Tháidem. 25

ACTUS II. SCENA II.

GNATHO parasitus. PARMENO.

GN. Di ímmortales, hómini homo quid praéstat? stulto intéllegens
Quíd interest? hoc ádeo ex hac re vénit in mentém mihi:
Cónveni hodie advéniens quendam meí loci hinc atque órdinis
Hóminem haut inpurum, ítidem patria qui ábligurrierát bona:
Vídeo sentum, squálidum, aegrum, pánnis annisque óbsitum. 5
Quíd istuc, inquam, ornáti est? quoniam míser, quod habui, pérdidi: en
Quó redactus sum! ómnes noti me átque amici déserunt.

Híc ego illum contémpsi prae me; quíd homo, inquam, ignavíssime?
Í'tan' parasti te, út spes nulla réliqüa in te sít tibi?
Símul consilium cúm re amisti? víden' me ex eodem ortúm loco?
Quí color, qui nítor vestitus; quaé habitudo est córporis?
O'mnia habeo, néque quicquam habeo: níl cum est, nil defít tamen.
A't ego, infelix, néque ridículus ésse, neque plagás pati
Póssum. quid? tu his rébus credis fíeri? tota errás via.
O'lim isti fuit géneri quondam quaéstus aput saeclúm prius:
Hóc novum est aucúpium: ego adeo hanc prímus invení viam.
E'st genus hominum, qui ésse primos se ómnium rerúm volunt,
Néc sunt; hos conséctor: hisce ego nón paro me ut rídeant,
Sét eis ultro adrídeo, et eorum íngenia admirór simul:
Quícquid dicunt, laúdo: id rursum sí negant, laudo íd quoque:
Négat quis? nego, aït? ájo: postremo ímperavi egomét mihi
O'mnia adsentári. is quaestus núnc est multo ubérrimus.
Pa. Scítum hercle hominem; hic hómines prorsum ex stúltis insanós facit.
Gn. Dum haec lóquimur, intereá loci ad macéllum ubi advenímus;
Concúrrunt laeti mi óbviam cuppédiarii ómnes:
Cetárii, lanií, coqui, fartóres, piscatóres,
Quibus ét re salva et pérdita profúeram et prosum saépe:
Salútant: ad cenám vocant: advéntum gratulántur.
Ille úbi miser famélicus videt me ésse tanto honóre, et
Tam fácile victum quaérere; ibi homo coépit me obsecráre,
Ut sibi liceret díscere id de mé: sectari jússi,
Si pótis est, tanquam philosophorum habént discipuli ex ípsis
Vocábula, parasíti item ut Gnathónici vocéntur.
Pa. Viden' ótium et cibus quíd facit aliénus. *Gn.* set ego césso
Ad Thaídem hanc dedúcere, et rogáre ad cenam ut véniat?
Set Pármenonem ante óstium hic Thaídis tristem vídeo
Rivális servom: sálva res. nimírum hice homines frígent.
Nebulónem hunc certum'st lúdere. *Pa.* hice hoc múnere arbitrántur
Suam Thaídem esse. *Gn.* plúrima salúte Parmenónem
Summúm suum impertít Gnatho. quid ágitur? *Pa.* statur.
Gn. vídeo.
Num quídnam hic quod nolís vides? *Pa.* te. *Gn.* crédo: at num quid áliud?
Pa. Qui dúm? *Gn.* quia tristis's. *Pa.* níl quidem. *Gn.* ne sís: set quid vidétur
Hoc tíbi mancupium? *Pa.* nón malum hercle. *Gn.* uro hóminem. *Pa.* ut falsus ánimi es.
Gn. Quam hoc múnus gratum Thaídi arbitráre esse? *Pa.* hoc nunc dícis,
Ejéctos hinc nos; ómnium rerum heús vicissitúdo est.
Gn. Sex égo te totos, Pármeno, hos mensés quietum réddam;

Ne súrsum deorsum cúrsites: neve úsque ad lucem vígiles:
Ecquíd heo te? *Pa.* mén'? papae. *Gn.* sic sóleo amicos. *Pa.* laúdo.
Gn. Detíneo te: fortásse tu proféctus alio fúeras.
Pa. Nusquám. *Gn.* tum tu igitur paúlulum da mi óperae: fac ut admíttar
Ad íllam. *Pa.* age modo nunc tíbi patet foris haéc, quia istam dúcis.
Gn. Num quem évocari hinc vís foras? *Pa.* sine bíduum hoc praetéreat:
Qui míhi nunc uno dígitulo forem áperis fortunátus,
Ne tu ístanc faxo cálcibus saepe insultabis frústra.
Gn. Etiámne tu hic stas, Pármeno? eho numnam híc relictus cústos,
Ne quís forte internúntius clam a mílite ad istam cúrset?
Pa. Facéte dictum: míra vero míliti quae pláceant.
Set vídeo erilem fílium minórem huc advenire.
Mirór, quid ex Piraeo ábierit: nam ibi cústos publice ést nunc,
Non témere est: et properáns venit: nescío quid circumspéctat.

Actus II. Scena III.

Chaerea adulescens. Parmeno.

Ch. O'ccidi.
Neque vírgo est usquam: néque ego, qui illam e cónspectu amisí meo.
Ubi quaéram, ubi investígem, quem percónter, qua insistám via,
Incértus sum. una haec spés est; ubi ubi est, diú celari nón potest.
O fáciem pulchram: déleo omnis dehínc ex animo múlieres:
Taedét cotidiánarum harum fórmarum. *Pa.* ecce autem álterum,
Néscio quid de amóre loquitur: o infortunatúm senem!
Hic véro est, qui si occéperit,
Ludúm jocumque dícas fuisse illum álterum,
Praeut húius rabies quaé dabit.
Ch. Ut illúm di deae omnes sénium perdant, qui hódie me remorátus est;
Meque ádeo, qui restíterim; tum autem qui íllum flocci fécerim.
Sét eccum Parmenónem. salve. *Pa.* quíd tu es tristis? quídve es álacris?
U'nde is? *Ch.* egone? néscio hercle, neque únde eam, neque quórsum eam:
Ita prórsum oblitus súm mei.
Pa. Qui quaéso? *Ch.* amo. *Pa.* hem. *Ch.* nunc, Pármeno, te óstendes, qui vír sies.
Scis té mihi saepe póllicitum esse: Chaérea, aliquid ínveni
Modo, quód ames: utilitátem in ea re fáciam ut cognoscás meam:
Cum in céllulam ad te pátris penum omnem cóngerebam clánculum.

Pa. Age inépte. *Ch.* hoc hercle fáctum'st. fac sis núnc promissa appáreant:
Sive ádeo digna rés est, ubi tu nérvos intendás tuos.
Haut símilis virgo'st vírginum nostrárum; quas matrés student
Demíssis humeris ésse, vincto péctore, ut gracilaé sient.
Si qua ést habitior paúlo, pugilem esse aíunt: deducúnt cibum:
Tametsí bona est natúra, reddunt cúratura júnceas:
Itaque érgo amantur. *Pa.* quíd tua istaec? *Ch.* nóva figura orís. *Pa.* papae.
Ch. Color vérus, corpus sólidum et succi plénum. *Pa.* anni? *Ch.* anni? sédecim.
Pa. Flos ípse. *Ch.* nunc hanc tú mihi vel vi, vél clam, vel precário
Fac trádas: mea nihil réfert, dum potiár modo.
Pa. Quid, vírgo cuja'st? *Ch.* néscio hercle. *Pa.* undé'st? *Ch.* tantundem. *Pa.* ubi hábitat?
Ch. Ne id quídem. *Pa.* ubi vidisti? *Ch.* ín via. *Pa.* qua rátione illam amísti?
Ch. Id équidem adveniens mécum stomachabár modo:
Neque quémquam ego esse hominem árbitror, cui mágis bonae
Felícitates ómnes aversaé sient.
Quid hóc est sceleris? périi. *Pa.* quid factúm'st? *Ch.* rogas? Patrís cognatum atque aéqualem Archidémidem
Nostíne? *Pa.* quidni? *Ch.* is, dum hánc sequor, fit mi óbviam.
Pa. Incómmode hercle. *Ch.* immo énimvero infelíciter:
Nam incómmoda alia súnt dicenda, Pármeno.
Illúm liquet mi déjerare, his ménsibus
Sex séptem prorsus nón vidisse próxumis;
Nisi núnc, cum minime véllem, minimeque ópus fuit.
Eho nónne hoc monstri símile'st? quid aïs? *Pa.* máxume.
Ch. Contínuo adcurrit ád me, quam longé quidem,
Incúrvus, tremulus, lábiis demissís, gemens:
„Heus heús, tibi dico, Chaérea," inquit. réstiti.
„Scin' quíd ego te volébam?" dic. „cras ést mihi ludícium." quid tum? „ut díligenter núnties
Patri, ádvocatus máne mi esse ut méminerit."
Dum haec lóquitur, abiit hóra. rogo num quíd velit.
„Recte," ínquit. abeo. cum húc respicio ad vírginem,
Illa sése interea cómmodum huc advórterat
In hanc nóstram plateam. *Pa.* mírum ni hanc dicít, modo Huic quaé data'st dono. *Ch.* húc cum advenio, núlla erat.
Pa. Comités secuti scílicet sunt vírginem.
Ch. Verúm; parasitus cum áncilla. *Pa.* ipsa'st: ílicet:
Desíne: jam conclamátum'st. *Ch.* alias rés agis.
Pa. Istúc ago equidem. *Ch.* nóstin' quaeso díc mihi, aut Vidístin'? *Pa.* vidi, nóvi: scio, quo abdúcta sit.

Ch. Eho Pármeno mi, nóstin', et scis úbi siet?
Pa. Húc deducta'st ád meretricem Thaídem: ei donó data'st.
Ch. Quís is est tam poténs, cum tanto múnere hoc? *Pa.* milés Thraso,
Phaédriae rivális. *Ch.* duras frátris partis praédicas.
Pa. I'mmo enim si sciás quod donum dóno huic contra cómparet,
Mágis id dicas. *Ch.* quódnam quaeso hercle? *Pa.* cúnuchum.
Ch. illumne, óbsecro,
I'nhonestum hominem, quém mercatus ést heri, senem múlierem?
Pa. I'stunc ipsum. *Ch.* homó quatietur cérte cum donó foras.
Sét istam Thaidém non scivi nóbis vicinam. *Pa.* haút diu'st.
Ch. Périi, numquamne étiam me illam vídisse? ehodum díc mihi:
E'stne, ut fertur, fórma? *Pa.* sane. *Ch.* at níhil ad nostram hanc. *Pa.* ália res.
Ch. O'bsecro hercle, Pármeno, fac ut pótiar. *Pa.* faciam sédulo,
Dábo operam, adjutábo: num quid me áliud? *Ch.* quo nunc ís? *Pa.* domum,
U't mancipia haec, íta uti jussit fráter, ducam ad Thaídem.
Ch. O' fortunatum ístum eunuchum; quí quidem in hanc detúr domum!
Pa. Quíd ita? *Ch.* rogitas? súmma forma sémper conservám domi
Vidébit, conloquétur: aderit úna in unis aédibus:
Cibúm nonnúmquam cápiet cum ea: intérdum propter dórmiet.
Pa. Quid sí nunc tute fórtunatus fías? *Ch.* qua re, Pármeno?
Respónde. *Pa.* capias tu íllius vestem. *Ch.* véstem? quid tum póstea?
Pa. Pro illó te deducam. *Ch.* aúdio. *Pa.* te illum ésse dicam. *Ch.* intéllego.
Pa. Tu illís fruare cómmodis, quibus íllum dicebás modo:
Cibum úna capias, ádsis, tangas, lúdas, propter dórmias:
Quandóquidem illarum néque te quisquam nóvit, neque scit quí sies.
Praetérea forma et aétate ipse es, fácile ut pro eunuchó probes.
Ch. Díxti pulchre: númquam vidi mélius consiliúm dari.
Age eámus intro núnc iam: orna me, ábduc, duc, quantúm potest.
Pa. Quid agís? jocabar équidem. *Ch.* garris. *Pa.* périi, quid ego egí miser?
Quo trúdis? perculerís jam tu me. tíbi equidem dicó, mane.
Ch. Eámus. *Pa.* pergin'? *Ch.* cértum'st. *Pa.* vide ne nímium calidum hoc sít modo.
Ch. Non ést profecto: síne. *Pa.* at enim istaec ín me cudetúr faba. *Ch.* ah!
Pa. Flagítium facimus. *Ch.* án id flagitium'st, si ín domum meretríciam

Dedúcar, et illis crúcibus, quae nos nóstramque adulescéntiam
Habent déspicatam, et quaé nos semper ómnibus cruciánt modis,
Nunc réferam gratiam: átque eas itidem fállam, ut ab illis fállimur?
An pótius par atque aéquum'st, pater ut á me ludatúr dolis? 95
Quod quí rescierint, cúlpent; illud mérito factum omnés putent.
Pa. Quid istíc? si certum'st fácere, facias: vérum ne post cónferas
Culpam ín me. *Ch.* non faciám. *Pa.* jubesne? *Ch.* júbeo,
cogo, atque ímpero;
Numquám defugiam auctóritatem. *Pa.* séquere: di vortánt bene.

Actus III. Scena I.

Thraso miles. Gnatho. Parmeno.

Th. Magnás vero agere grátias Thaís mihi?
Gn. Ingéntis. *Th.* ain' tu, laéta'st? *G.* non tam ipsó quidem
Donó, quam abs te datum ésse: id vero sério
Triúmphat. *P.* huc prováso ut ubi tempús siet,
Dedúcam. set eccum mílitem. *Th.* est istúc datum 5
Profécto, ut grata míhi sint quae facio ómnia.
Gn. Advórti hercle animum. *Th.* vél rex semper máxumas
Mihi agébat quicquid féceram; aliis nón item.
Gn. Labóre alieno mágno partam glóriam
Verbís saepe in se tránsfert, qui habét salem, 10
Quod in té est. *Th.* habes. *G.* rex te érgo in oculis. — *Th.* scílicet.
Gn. Gestáre. *T.* verum: crédere omnem exércitum,
Consília. *G.* mirum. *Th.* túm sicubi eum sátietas
Hominum, aút negoti sí quando odium céperat,
Requiéscere ubi volébat, quasi: nostín'? *G.* scio. 15
Quasi ubi íllam expueret míseriam ex animó. *Th.* tenes.
Tum mé convivam sólum abducebát sibi. *G.* hui,
Regem élegantem nárras. *Th.* immo síc homo'st:
Perpaúcorum hominum'st. *G.* ímmo nullorum, árbitror,
Si técum vivit. *Th.* ínvidere omnés mihi, 20
Mordére clanculum: égo non flocci péndere:
Illi ínvidere mísere: verum unús tamen
Inpénse, elephantis quem l'ndicis praefécerat:
Is úbi molestus mágis est, quaeso, inquám, Strato,
Eone és ferox, quia habés imperium in béluas? 25
Gn. Pulchré mehercle díctum et sapientér. papae,
Iuguláras hominem. quíd ille? *Th.* mutus ílico.
Gn. Quidni ésset? *P.* di vostrám fidem! hominem pérditum
Miserúmque: et illum sácrilegum. *Th.* quid illúd, Gnatho,
Quo pácto Rhodium tétigerim in convívio, 30
Numquám tibi dixi? *G.* númquam: sed narra óbsecro.
Plus mílies jam audívi. *Th.* una in convívio

Erat híc, quem dico, Rhódius adulescéntulus:
Forte hábui scortum: coépit ad id adlúdere,
Et me írridere. quíd agis, homini inquam, ínpudens?
Lepus túte es, et pulméntum quaeris? *G.* há ha hae.
Th. Quid ést? *G.* facete, lépide, laute, níl supra.
Tuum óbsecro ne hoc díctum erat? vetus crédidi.
Th. Audíeras? *G.* saepe: et fértur in primís. *Th.* meum'st.
Gn. Dolet díctum inprudenti ádulescenti, et líbero.
P. At té di perdant. *G.* quíd ille quaeso? *Th.* pérditus.
Risu ómnes qui aderant, émoriri: dénique
Metuébant omnes jám me. *G.* non injúria.
Th. Set heús tu, purgon' égo me de istac Thaídi,
Quod eám me amare súspicata'st? *G.* níl minus.
Immo aúge magis suspícionem. *Th.* cúr? *G.* rogas?
Scin', sí quando illa méntionem Phaédriae
Facit aút si laudat; te út male urat? *Th.* séntio.
Gn. Id út ne fiat, haéc res sola'st rémedio.
Ubi nóminabit Phaédriam, tu Pámphilam
Contínuo. si quando ílla dicet, Phaédriam
Intrómittamus cómissatum: Pámphilam
Cantúm, tu, provocémus. si laudábit haec
Illíus formam: tu hújus contra. dénique
Par tú pari referto, quod eam mórdeat.
Th. Siquidém me amaret, tum ístuc prodessét, Gnatho.
Gn. Quando íllud quod tu dás, exspectat átque amat,
Jam dúdum te amat: jámdudum illi fácile fit,
Quod dóleat: metuit sémper, quem ipsa núnc capit
Fructúm, ne quando irátus tu alio cónferas.
Th. Bene díxti: ac mihi istuc nón in mentem vénerat.
Gn. Ridículum: non enim cógitaras: céterum
Idem hóc aut melius túte invenissés, Thraso.

Actus III. Scena II.

Thais. Thraso. Parmeno. Gnatho. Pythias ancilla.

Th. Audíre vocem vísa sum modo mílitis.
Atque éccum. salve, mí Thraso. *Thr.* o Thaís mea,
Meum suávium, quid ágitur? ecquid nós amas
De fídicina istac? *P.* quám venuste! quód dedit
Princípium adveniens! *Th.* plúrimum meritó tuo.
Gn. Eámus ergo ad cénam: quid stas? *P.* hem álterum:
Abdómini hunc natum dícas. *Thr.* ubi vis, nón moror.
P. Adíbo, atque adsimulábo quasi nunc éxeam.
Itúran', Thais, quópiam es? *Th.* ehem, Pármeno,
Bene fécisti: hodie itúra. *P.* quo? *Th.* quid, hunc nón vides?

P. Video, ét me taedet. úbi vis dona adsúnt tibi
A Phaédria. *Thr.* quid stámus? cur non ímus hinc?
P. Quaeso hércle ut liceat, páce quod fiát tua,
Dare huíc quae volumus, cónvenire et cónloqui.
Thr. Perpúlchra, credo, dóna, haut nostris símilia.
P. Res índicabit. heús jubete istós foras
Exíre, quos jussi, ócius. procéde tu huc.
Ex Aéthiopia est úsque haec. *Thr.* hic sunt trés minae.
Gn. Vix. *P.* úbi tu es, Dore? accéde huc. hem eunúchum tibi,
Quam líberali fácie? quam aetate íntegra?
Th. Ita mé di ament, honéstus est. *P.* quid tu aís, Gnatho?
Num quíd habes quod contémnas? quid tu autém, Thraso?
Tacént: satis laudant. fác periclum in líteris,
Fac ín palaestra, in músicis: quae líberum
Scire aéquom'st adulescéntem, sollertém dabo.
Thr. Ego íllum eunúchum, si ópus siet, vel sóbrius.
P. Atque haéc qui misit, nón sibi soli póstulat
Te vívere, et sua caúsa excludi céteros;
Neque púgnas narrat, néque cicatrícés suas
Osténtat; neque tibi óbstat, quod quidám facit:
Verum úbi molestum nón erit, ubi tú voles,
Ubi témpus tibi erit, sát habet, tum si récipitur.
Thr. Appáret servom hunc ésse domini paúperis
Miseríque. *G.* nam hercle némo posset, sát scio,
Qui habéret, qui paráret alium, hunc pérpeti.
Pa. Tace tú: quem ego infra esse ínfimos omnís puto
Hominés: nam qui huic adséntari animum indúxeris,
E flámma petere té cibum posse árbitror.
Thr. Iamne ímus? *Th.* hos prius íntroducam, et quaé volo
Simul ímperabo: póstea continuo éxeo.
Thr. Ego hinc ábeo. tu istanc ópperire. *P.* haut cónvenit
Una íre cum amica ímperatorem ín via.
Thr. Quid tíbi ego multa dícam? domini símilis es.
Gn. Ha ha haé. *Thr.* quid rides? *G.* ístud quod dixtí modo:
Et illúd de Rhodio díctum in mentem cúm venit.
Set Thális exit. *Thr* ábi prae: cura, ut sínt domi
Paráta. *G.* fiat. *Th.* díligenter, Pýthias,
Fac cúres, si forte húc Chremes advénerit,
Ut óres, primum ut rédeat: si id non cómmodum'st,
Ut máneat: si id non póterit, ad me addúcito.
Py. Ita fáciam. *Th.* quid? quid áliud volui dícere?
Ehem cúrate istam díligenter vírginem:
Domi ut sítis, facite. *Thr.* eámus. *Th.* vos me séquimini.

Actus III. Scena III.

Chremes. Pythias ancilla.

Ch. Profécto quanto mágis magisque cógito,
Nimírum dabit haec Tháis mihi magnúm malum:
Ita me áb ea astute vídeo labefactárier,
Iam túm cum primum jússit me ad se adcérsier.
Rogét quis, quid tibi cúm ea; ne norám quidem.
Ubi véni, causam, ut íbi manerem, répperit:
Ait rém divinam fécisse, et rem sériam
Velle ágere mecum. jám erat tum suspício,
Doló malo haec fieri ómnia. ipsa accúmbere
Mecúm; mihi sese dáre: sermonem quaérere.
Ubi fríget, huc evásit, quam pridém pater
Mi et máter mortui éssent. dico, jám diu.
Rus Súnio ecquod hábeam, et quam longe á mari.
Credo eí placere hoc, spérat se a me avéllere.
Postrémo, ecqua inde párva periissét soror;
Ecquís cum ea una; ecquíd habuisset cúm perit;
Ecquís eam posset nóscere. haec cur quaéritet?
Nisi si ílla forte, quae ólim periit párvola,
Eam sése intendit ésse, ut est audácia.
Verum éa si vivit, ánnos nata'st sédecim:
Non májor: Thais, quám ego sum, majúscula'st.
Misít porro orare, út venirem, sério.
Aut dícat quid volt, aút molesta né siet.
Non hércle veniam tértio. heus heus, écquis hic?
Ego súm Chremes. *Py.* o cápitulum lepidíssimum.
Ch. Dico égo mi insidias fíeri? *Py.* Thais máxumo
Te orábat opere, ut crás redires. *Ch.* rús eo.
Py. Fac amábo. *Ch.* non possum, ínquam. *Py.* at tu aput nos híc mane,
Dum rédeat ipsa. *Ch.* níl minus. *Py.* cur mí Chremes?
Ch. Malám rem hinc ibis? *Py.* si ístuc ita certúm'st tibi,
Amábo, ut flluc tránseas, ubi illá'st. *Ch.* eo.
Py. Abi, Dórias, cito húnc deduc ad mílitem.

Actus III. Scena IV.

Antipho adulescens.

An. Heri áliquot adulescéntuli coíimus in Piraéo,
In húnc diem ut de sýmbolis essémus. Chaeream eí rei
Praefécimus: dati ánuli: locus, témpus constitútum'st.
Praetériit tempus, quo ín loco dictúm'st, parati níhil est.
Homo ípse nusquam'st: néque scio quid dícam, aut quid conjéctem.

Nunc mi hóc negoti céteri dedére, ut illum quaéram.
Idque ádeo visam, sí domi'st. set quísnam a Thaide éxit?
Is ést, an non est? ípsus est. quid hoc hóminis? quid hoc ornáti'st?
Quid illúd mali'st? nequeó satis mirári neque conjícere.
Nisi quícquid est, procul hínc lubet prius quíd sit sciscitári.

Actus III. Scena V.

Chaerea. Antipho.

Ch. Númquis hic est? némo est. numquis hínc me sequitur? némo homo'st.
Iámne erumpere hóc licet mihi gaúdium? pro Iúppiter!
Nunc ést profecto, intérfici cum pérpeti me póssum,
Ne hoc gaúdium contáminet vita aégritudine áliqua.
Sed néminemne cúriosum intérvenire núnc mihi,
Qui mé sequatur quóque eam; rogitándo obtundat, énicet:
Quid géstiam, aut quid laétus sim, quo pérgam, unde emergam, úbi siem
Vestítum hunc nactus, quíd mihi quaeram, sánus sim anne insániam?
An. Adíbo, atque ab eo grátiam hanc, quam vídeo velle, iníbo.
Chaérea, quid est quód sic gestis? quíd sibi hic vestítus quaerit?
Quíd est, quod laetus és? quid tibi vis? sátine sanus's? quíd me adspectas?
Tacés quid? *Ch.* o festús dies hominís! amice, sálve!
Nemo ómnium'st, quem ego núnc magis vidére cuperem, quám te.
An. Narra ístuc quaeso quíd sit. *Ch.* immo ego te óbsecro, hercle! ut aúdias.
Nostíne hanc, quam amat fráter? *A.* novi; némpe, opinor, Thaídem.
Ch. Istam ípsam. *A.* sic commémineram. *Ch.* hodie quaédam est ei donó data
Virgo: éjus quid ego tíbi nunc faciem praédicem aut laudem, A'ntipho:
Cum me ípse noris quam élegans formárum spectatór siem?
In hác commotus sum. *A.* aín' tu? *Ch.* primam díces, scio, si víderis.
Quid múlta verba? amáre coepi. fórte fortuná domi
Erat quídam eunuchus, quém mercatus fráter fuerat Thaídi:
Neque ís deductus étiam tum ad eam. súmmonuit me Pármeno
Ibi sérvus, quod ego arrípui. *A.* quid id est? *Ch.* tácitus citius aúdies;
Ut véstem cum illo mútem, et pro illo júbeam me illoc dúcier.
An. Pro eunúchon'? *Ch.* sic est. *A.* quíd ut ex ea re tándem caperes cómmodi?
Ch. Rogás? viderem, audírem, essem una quícum cupiebam, A'ntipho.

Num párva causa, aut práva ratio'st? tráditus sum múlieri.
Illa ílico ubi me accépit, laeta véro ad se abducít domum:
Conménd at virginém. *A.* cui? tibine? *Ch.* míhi. *A.* satis tutó tamen.
Ch. Edícit ne vir quísquam ad eam adeat: ét mi ne abscedam, ímperat:
In ínteriore párte ut maneam sólus cum sola. ádnuo
Terram íntuens modéste. *A.* miser. *Ch.* ego, ínquit, ad cenam hínc eo:
Abdúcit secum ancíllas: paucae, quaé circum illam essént, manent
Novíciae puéllae. continuo haéc adornant út lavet.
Adhórtor properent. dum ápparatur, vírgo in conclaví sedet
Suspéctans tabulam quándam pictam; ubi ínerat pictura haéc, Iovem
Quo pácto Danaes mísisse ajunt quóndam in gremium imbrem aúreum.
Egomét quoque id spectáre coepi: et quía consímilem lúserat
Iam olim ílle ludum, inpéndio magis ánimus gaudebát mihi;
Deum sése in hominem convertisse, et pér alienas tégulas
Venísse clanculum pér impluvium: fúcum factum múlieri.
At quém deum? qui témpla caeli súmma sonitu concutit.
Ego homúncio hoc non fécerim? ego vero íllud fecerim ác lubens.
Dum haec mécum reputo, adcérsitur lavátum interea vírgo:
Iit, lávit, rediit; deínde eam in lectu íllae conlocárunt.
Sto exspéctans, si quid mi ímperent. venit úna, heus tu, inquit, Dóre,
Cape hóc flabellum, et véntulum huic sic fácito, dum lavámur:
Ubi nós laverimus, sí voles, laváto. accipio trístis.
An. Tum equidem ístuc os tuum ínpudens vidére nimium véllem,
Qui essét status, flabéllulum tenére te asinum tántum.
Ch. Vix élocuta'st hóc, foras simul ómnes proruúnt se;
Abeúnt lavatum, pérstrepunt; ita út fit, domini ubi ábsunt.
Intérea somnus vírginem obprimít. ego limis spécto
Sic pér flabellum clánculum: simul ália circumspécto
Satine explorata sint. video esse. péssulum ostio óbdo.
An. Quid túm? *Ch.* quid tum? quid, fátue? *A.* fateor. *Ch.* án ego occasiónem
Mi osténtam, tantam, tám brevem, tam optátam, tam insperátam
Amitterem? tum pól ego is essem véro, qui adsimulábar.
An. Sane hércle ut dicis. sét interim de sýmbolis quid áctum'st?
Ch. Parátum'st. *A.* frugi es: úbi? domin'? *Ch.* immo áput libertum Díscum.
An. Perlónge'st. *Ch.* set tanto ócius properémus. *A.* muta véstem.
Ch. Ubi mútem? perii: nam éxulo domó nunc: metuo frátrem,
Ne intús sit: porro autém patrem, ne rúre redierít jam.
An. Eámus ad me, ibi próxumum'st ubi mútes. *Ch.* recte dícis.

Eámus: et de istác simul quo pácto porro póssim
Potíri, consiliúm volo capere úna tecum. *A.* fíat.

Actus IV. Scena I.

Dorias ancilla.

I'ta me di ament, quántum ego illum vídi, non nil tímeo misera,
Né quam ille hodie insánus turbam fáciat, aut vim Tháidi.
Nam póstquam iste advenít Chremes aduléscens, frater vírginis,
Militem rogat út illum admitti júbeat: ille contínuo irasci,
Néque negare audére: Thais pórro instare, ut hóminem invitet.
I'd faciebat rétinendi illius caúsa: quia illa quaé cupiebat
Dé sorore ejus índicare, ad eám rem tempus nón erat.
Invítat tristis; mánsit. ibi illa cum íllo sermonem óccipit.
Míles vero síbi putare addúctum ante oculos aémulum,
Fácere contra huic aégre: heus, inquit, púer, accerse Pámphilam,
U't delectet híc nos: illa exclámat, minime géntium.
I'n convivium íllam? miles téndere inde ad júrgium.
I'nterea aurum síbi clam mulier démit, dat mihi ut aúferam:
Hóc est signi, ubi prímum poterit, se íllinc subducét scio.

Actus IV. Scena II.

Phaedria.

Dum rús eo, coepi égomet mecum intér vias,
Ita út fit, ubi quid ín animo est moléstiae,
Aliám rem ex alia cógitare, et ea ómnia in
Pejórem partem. quíd opus'st verbis? dum haéc puto,
Praetérii inprudens víllam. longe jam ábieram,
Cum sénsi: redeo rúrsum, male me véro habens:
Ubi ad ípsum venio déverticulum, cónstiti:
Occépi mecum cógitare, hem, bíduum hic
Manéndum'st soli síne illa? quid tum póstea?
Nil ést. quid? nil? si nón tangendi cópia est,
Eho né videndi quídem erit? si illud nón licet,
Saltem hóc licebit. cérte extrema línea
Amáre, haut nihil est. víllam praetereó sciens.
Set quíd hoc, quod timida súbito egreditur Pýthias?

Actus IV. Scena III.

Pythias. Dorias. Phaedria.

Py. U'bi ego illum scelerósum misera atque ínpium inveniam? aút ubi quaeram?

Hócine tam audax fácinus facere esse aúsum? perii. *Ph.* hoc quíd sit vereor.
Py. Quín etiam insupér scelus, postquam lúdificatus'st vírginem,
Vestem ómnem miserae díscidit, tum ipsám capillo cónscidit.
Ph. Hem. *Py.* quí nunc si detúr mihi;
Ut ego únguibus facile ílli in oculos ínvolem venéfico?
Ph. Néscio quid profécto absente nóbis turbatúm'st domi.
Adíbo. quid istuc? quíd festinas? aút quem quaeris, Pýthias?
Py. Ehem Phaédria, ego quem quaéram? in' hinc, quo dígnus's, cum donís tuis
Tam lépidis. *Ph.* quid istuc ést rei?
Py. Rógan'? eunuchum quém dedisti nóbis? quas turbás dedit!
Vírginem, quam erae déderat dono míles, vitiavít. *Ph.* quid ais?
Py. Périi. *Ph.* temulénta es. *Py.* utinam sic sint, mihi qui mále volunt.
Do. Au óbsecro, mea Pýthias, quod ístuc nam monstrúm fuit?
Ph. Insánis: qui istuc fácere eunuchus pótuit? *Py.* ego illum néscio: hoc,
Quod fécit, res ipsa índicat:
Virgo ípsa lacrumat, néque cum rogites, quíd sit, audet dícere.
Ille aútem bonus vir núsquam apparet. étiam hoc misera súspicor,
Aliquíd domo abeuntem ábstulisse. *Ph.* néqueo mirarí satis,
Quo hinc ílle abire ignávos possit lóngius: nisi sí domum
Forte ád nos rediit. *Py.* víse, amabo, núm sit. *Ph.* jam, faxó, scies.
Do. Perii, óbsecro, tam infándum facinus, méa tu, ne audiví quidem.
Py. At pól ego amatorés audieram múlierum esse eos máxumos,
Set níl potesse: vérum miserae nón in mentem vénerat:
Nam illum áliquo conclusíssem, neque illi cómmisissem vírginem.

Actus IV. Scena IV.

Phaedria. Dorus. Pythias. Dorias.

Ph. Exí foras, sceléste: at etiam réstitas,
Fugítive? prodi, mále conciliate. *Do.* óbsecro. *Ph.* oh,
Illúc vide, os ut síbi distorsit cárnufex.
Quid huc tíbi reditio'st? véstis quid mutátio'st?
Quid nárras? paulum sí cessassem, Pýthias,
Domi nón offendissem, íta jam adornarát fugam.
Py. Haben' hóminem, amabo? *Ph.* quídni habeam? *Py.* o factúm bene.
D. Istúc pol vero béne. *Py.* ubi est? *Ph.* rogitas? nón vides?
Py. Videam, óbsecro, quem? *Ph.* hunc scílicet. *Py.* quis hic ést homo?
Ph. Qui ad vós deductus hódie'st. *Py.* hunc oculís suis
Nostrárum numquam quísquam vidit, Phaédria.

Ph. Non vídit? *Py.* an tu hunc crédidisti esse, óbsecro,
Ad nós deductum? *Ph.* námque alium habui néminem. *Py.* au,
Ne cómparandus híc quidem ad illum'st. ílle erat
Honésta facie et líberali. *Ph.* ita vísus est
Dudúm, quia varia véste exornatús fuit:
Nunc eó videtur foédus, quia illam nón habet.
Py. Tace óbsecro: quasi véro paulum intérsiet.
Ad nós deductus hódie est adulescéntulus,
Quem tú videre véro velles, Phaédria.
Hic ést vietus, vétus, veternosús senex,
Colóre mustellíno. *Ph.* hem, quae haec est fábula?
Eo rédiges me, ut, quid émerím egomet, nésciam?
Eho tu, émin' ego te? *D.* emísti. *Py.* jube mi dénuo
Respóndeat. *Ph.* roga. *Py.* vénisti hodie ad nós? negat.
At ille álter venit nátus annos sédecim:
Quem sécum adduxit Pármeno. *Ph.* agedum, hoc mi éxpedi
Primum: ístam, quam habes, únde habes vestém? taces?
Monstrum hóminis, non dictúrus's? *D.* venit Chaérea.
Ph. Fratérne? *D.* ita. *Ph.* quando? *D.* hódie. *Ph.* quam
dudúm? *D.* modo.
Ph. Quicúm? *D.* cum Parmenóne. *Ph.* norasne eúm prius?
D. Non. *Ph.* únde fratrem méum esse scibas? *D.* Pármeno
Dicébat eum esse. is mi hánc dedit vestem. *Ph.* óccidi.
D. Meam ipse índuit: post úna ambo abiérunt foras.
Py. Iám satis credis sóbriam esse me, ét nil mentitám tibi? 35
Iám satis certum'st, vírginem vitiátam esse? *Ph.* age nunc, bélua,
Crédis huic, quod dícat? *Py.* quid isti crédam? res ipsa índicat.
Ph. Cóncede istuc paúlulum. audin'? étiam nunc paulúm: sat est.
Díc dum hoc rursum, Chaérea tuam véstem detraxít tibi?
D. Fáctum. *Ph.* et eam est indútus? *D.* factum. *Ph.* et pró te
huc deductús'st? D. ita.
Ph. Iúppiter magne, ó scelestum atque aúdacem hominem.
Py. vaé mihi:
E'tiam nunc credés, indignis nós esse inrisás modis?
Ph. Mírum, ni tu crédis, quod iste dícat. quid agam néscio.
Heús negato rúrsus. possumne hódie ego ex te exscúlpere
Vérum? vidistíne fratrem Chaéream? *D.* non. *Ph.* nón potest
Síne malo fatéri, video: séquere hac: modo aït: módo negat.
O'ra me. *D.* obsecró te vero, Phaédria. *Ph.* i intro? *D.* eoí ei.
Ph. A'lio pacto honéste quomodo hínc abscedam néscio;
A'ctum'st siquidem. tú me hic etiam, nébulo, ludificábere?
Py. Pármenonis tám scio esse hanc téchnam, quam me vívere.
Do. Sic est. *Py.* inveniám pol hodie, párem ubi referam grátiam.
Sét nunc quid faciéndum censes, Dórias? *D.* de istác rogas
Vírgine? *Py.* ita, utrum táceamne, an praedícem? *D.* tu pol, sí sapis,

Quód scis, nescis, néque de eunucho, néque de vitio vírginis.
Hác re et te omni túrba evolves, ét illi gratum féceris.
I'd modo dic, abísse Dorum. *Py.* ita fáciam. *D.* set videón' Chremen?
Tháis jam aderit. *Py.* quíd ita? *D.* quia, cum inde ábeo, jam tum incéperat
Túrba inter eos. *Py.* aúfer aurum hoc: égo scibo ex hoc, quíd siet.

Actus IV. Scena V.

Chremes. Pythias.

Ch. Attát data hercle vérba mihi sunt: vícit vinum, quód bibi.
Ac dum áccubabam, quám videbar míhi esse pulchre sóbrius!
Postquám surrexi, néque pes, neque mens sátis suum officium facit.
Py. Chremé. *Ch.* quis est? ehem, Pýthias: vah, quánto nunc formósior
Vidére mihi, quam dúdum? *Py.* certe tú quidem pol multo hílarior.
Ch. Verbum hércle hoc verum erít, „Sine Cerere et Líbero frigét Venus."
Set Tháis multo me ántevenit? *Py.* ánne abiit jam a mílite?
Ch. Iamdúdum: aetatem. lítes factae súnt inter eos máxumae.
Py. Nil díxit, tu ut sequerére sese? *Ch.* níl, nisi abiens mi ínnuit.
Py. Eho, nónne id sat erat? *Ch.* át nescibam, id dícere illam, nísi quia
Corréxit miles, quód intellexi mínus: nam me extrusít foras.
Set eccam ípsam: miror úbi ego huic antevórterim.

Actus IV. Scena VI.

Thais. Chremes. Pythias.

Th. Crédo equidem, illum jam ádfuturum, ut íllam a me eripiát; sine veniat.
A'tqui si illam dígito attigerit, óculi illi ilico éffodientur.
U'sque adeo illius férre possum inéptiam et magnífica verba,
Vérba dum sint: vérum si ad rem cónferentur, vápulabit.
Ch. Tháis, ego jam dúdum hic adsum. *Th.* o, mí Chremes, te ipsum éxpeto.
Scín' tu turbam hanc própter te esse fáctam? et adeo ad te ádtinere hanc
O'mnem rem? *Ch.* ad me? quí, quaeso, istuc? *Th.* quía, dum tibi sorórem studeo
Réddere ac restítuere, haec atque huíusmodi sum múlta passa.
Ch. U'bi ea'st? *Th.* domi aput me. *Ch.* hém. *Th.* quid est?
E'ducta ita, uti téque illaque dignum'st. *Ch.* quid aïs? *Th.* íd quod res est.
Hánc tibi dono dó, neque repeto pró illa quicquam abs té preti.

Ch. Et habétur et referétur, Thais, íta, uti merita es, grátia.
Th. A't enim cave, ne príus, quam hanc a me accípias, amittás, Chreme:
Nam haéc ea'st, quam míles a me ví nunc ereptúm venit.
Abi tú, cistellam, Pýthias, domo éffer cum monuméntis.
Ch. Viden' tu íllum, Thais? *Py.* úbi sita'st? *Th.* in rísco. odiosa céssas?
Ch. Mílitem secum ád te quantas cópias addúcere?
A'ttat. *Th.* num formídulosus, óbsecro, es, mi homo? *Ch.* ápagesis.
E'gon' formidulósus? nemo'st hóminum, qui vivát, minus.
Th. A'tque ita opus'st. *Ch.* ah, métuo qualem tú me esse hominem exístumes.
Th. I'mmo hoc cogitáto: quicum rés tibi est, peregrínus est:
Mínus potens, quam tú, minus notus, mínus amicorum híc habens.
Ch. Scío istuc. set tu quód cavere póssis, stultum admíttere'st.
Málo ego, nos prospícere, quam hunc ulcísci accepta injúria.
Tú abi: atque obsera óstium intus, dúm ego hinc transcurro ád forum:
Vólo ego, adesse hic ádvocatos nóbis in turba hác. *Th.* mane.
Ch. Mélius est. *Th.* mane. *Ch.* omítte, jam adero. *Th.* níl opus est istís, Chreme.
Hóc modo dic, sorórem esse illam tuam: ét te parvam vírginem
A'misisse: núnc cognosse. sígna ostende. *Py.* adsúnt. *Th.* cape.
Sí vim faciet, ín jus ducito hóminem: intellextín'? *Ch.* probe.
Th. Fác, animo haec praesénti ut dicas. *Ch.* fáciam. *Th.* attolle pállium.
Périi, huic ipsi est ópus patrono, quém defensorém paro.

Actus IV. Scena VII.

Thraso. Gnatho. Sanga. Chremes. Thais.

Thr. Hancíne ego ut contuméliam tam insígnem in me accipiám, Gnatho?
Morí me satius'st, Símalio, Donáx, Syrisce, séquimini.
Primum aédis expugnábo. *Gn.* recte. *Thr.* vírginem eripiám. *Gn.* probe.
Thr. Male múlcabo ipsam. *Gn.* púlchre. *Thr.* in medium huc ágmen cum vectí, Donax;
Tu, Símalio, in sinístrum cornu; tú, Syrisce, in déxterum.
Çedo álios: ubi centúrio'st Sanga, et mánipulus furum? *Sa.* éccum, adest.
Thr. Quid, ignáve? peniculón' pugnare, quí istum huc portes, cógitas?
Sa. Egone? ímperatoris virtutem nóveram, et vim mílitum:
Sine sánguine hoc non pósse fieri: qui abstergerem vólnera?

Thr. Ubi álii? *Sa.* qui, malum, álii? solus Sánnio servát domi.
Thr. Tu hosce ínstrue: ego ero póst principia: inde ómnibus signúm dabo.
Gn. Illúc est sapere: ut hósce instruxit, ípsus sibi cavít loco.
Thr. Idem hóc jam Pyrrhus fáctitavit. *Ch.* víden' tu, Thais, quam híc rem agit?
Nimírum consílium íllud rectum'st de occludendis aédibus.
Th. Sané, qui tibi nunc vír videtur ésse, hic nebulo mágnus est:
Ne métuas. *Thr.* quid vidétur? *Gn.* fundam tibi nunc nimis vellém dari,
Ut tu íllos procul hinc éx occulto caéderes: facerént fugam.
Thr. Sét eccam Thaidem ípsam video. *Gn.* quám mox inruimús? *Thr.* mane:
O'mnia prius éxperiri, quam ármis, sapientém decet.
Quí scis an, quae júbeam, sine vi fáciat? *Gn.* di, vostrám fidem,
Quánti est sapere? númquam accedo, quín abs te abeam dóctior.
Thr. Tháis, primum hoc míhi responde: cúm tibi do istam vírginem,
Díxtin', hos mihí dies soli dáre te? *Th.* quid tum póstea?
Thr. Rógitas? quae mi ante óculos coram amátorem adduxtí tuum:
Quíd cum illoc agás? et cum eo clám te subduxtí mihi.
Th. Lúbuit. *Thr.* Pamphilam érgo huc redde, nísi si mavis éripi.
Ch. Tíbi illam reddat, aút tu eam tangas? ómnium. *Gn.* ah, quid agís? tace.
Thr. Quíd tu tibi vis? égo non tangam meám? *Ch.* tuam autem, fúrcifer?
Gn. Cáve sis: nescis, cuí maledicas núnc viro. *Ch.* non tu hínc abis?
Scin' tu, ut tibi res se hábeat? si quicquam hódie hic turbae coéperis,
Fáciam, ut hujus locí dieique meíque semper mémineris.
Gn. Míseret tui me, qui húnc tantum hominem fácias inimicúm tibi.
Ch. Díminuam ego capút tuum hodie, nísi abis. *Gn.* ain' veró, canis?
Sícine agis? *Thr.* quis tú homo es? quid tibi vís? quid cum illa reí tibi est?
Ch. Scíbis: principio éam esse dico líberam. *Thr.* hem. *Ch.* civem A'tticam. *Thr.* hui.
Ch. Meám sororem. *Thr.* os dúrum. *Ch.* miles, núnc adeo edicó tibi,
Né vim facias úllam in illam. Tháis, ego eo ad Sóphronam
Nútricem, ut eam addúcam, et signa osténdam haec. *Thr.* tun' me próhibeas,
Meám ne tangam? *Ch.* próhibebo inquam. *Gn.* audín' tu? hic furti se ádligat:
Sátis tibi est? *Thr.* idem hoc tú aïs, Thais? *Th.* quaére, qui respóndeat.

Thr. Quíd nunc agimus? *Gn.* quín redimus: jam haéc tibi aderit súpplicans
U'ltro. *Thr.* credin'? *Gn.* ímmo certe: nóvi ingenium múlierum:
Nólunt, ubi velís: ubi nolis, cúpiunt ultro. *Thr.* béne putas.
Gn. Iám dimitto exércitum? *Thr.* ubi vis. *Gn.* Sánga, ita, ut fortís decet
Mílites, domí focique fác vicissim ut mémineris.
Sa. Iámdudum animus ést in patinis. *Gn.* frúgi es. *Thr.* vos me hac séquimini.

Actus V. Scena I.

Thais. Pythias.

Th. Pergín', scelesta, mécum perplexé loqui?
„Scio, néscio, abiit, audívi, ego non ádfui.“
Non tu ístuc mihi dictúra aperte es, quícquid est?
Virgó conscissa véste lacrumans ópticet;
Eunúchus abiit: quámobrem? quid factúm'st? taces?
Py. Quid tibi ego dicam misera? illum eunuchúm negant
Fuísse. *Th.* quis fuit ígitur? *Py.* iste Chaérea.
Th. Qui Chaérea? *Py.* iste ephébus frater Phaédriae.
Th. Quid ais venefica? *Py.* átqui certo cómperi.
Th. Quid is óbsecro ad me, aut quámobrem adductus'st. *Py.* néscio:
Nisi amásse credo Pámphilam. *Th.* hem, misera óccidi,
Infélix, si quidem tu ístaec vera praédicas.
Num id lácrumat virgo? *Py.* id opínor. *Th.* quid aïs, sácrilega?
Istúcine interminata sum hinc abiéns tibi?
Py. Quid fáccrem? ita, ut tu jústi, soli crédita'st.
Th. Scelésta ovem lupó commisi. díspudet,
Sic míhi data esse vérba. quid illuc hóminis est?
Py. Era méa tace, tace óbsecro, salvaé sumus:
Habémus hominem ipsum. *Th.* úbi is est? *Py.* hem ad sinísteram.
Viden'? *Th.* vídeo. *Py.* comprehéndi jube, quantúm potest.
Th. Quid illó faciemus, stúlta? *Py.* quid faciás, rogas?
Vide amábo, si non, cum áspicias, os ínpudens
Vidétur. *Th.* non. *Py.* tum quaé eius confidéntia'st?

Actus V. Scena II.

Chaerea. Thais. Pythias.

Ch. Aput A'ntiphonem utérque, mater ét pater,
Quasi dédita opera, dómi erant, ut nulló modo
Introíre possem, quín viderent me. ínterim
Dum ante óstium sto, nótus mihi quidam óbviam

Venít. ubi vidi, ego me ín pedes, quantúm queo,
In ángiportum quóddam desertum; índe item
In áliud, inde in áliud: íta miserrimus
Fuí fugitando, né quis me cognósceret.
Set éstne haec Thais, quám video? ipsa'st. haéreo.
Quid fáciam? quid mea aútem? quid faciét mihi?
Th. Adeámus. bone vir, Dóre, salve: díc mihi,
Aufúgistin'? *Ch.* era, fáctum. *Th.* satin' id tíbi placet?
Ch. Non. *Th.* crédin', te inpune hábiturum? *Ch.* unam hanc nóxiam
Amítte: si aliam admísero umquam, occídito.
Th. Num meám saevitiam véritus's? *Ch.* non. *Th.* non? quid igitur?
Ch. Hanc métui, ne me críminaretúr tibi.
Th. Quid féceras? *Ch.* paulúm quid. *Py.* cho paulum ínpudens.
An paúlum hoc esse tíbi videtur, vírginem
Vitiáre civem? *Ch.* meám conservam crédidi.
Py. Consérvam? vix me cóntineo, quin ínvolem in
Capíllum. monstrum; etiam últro derisum ádvenit.
Th. Abin' hínc insana? *Py.* quid íta? vero débeam,
Credo, ísti quicquam fúrcifero, si id fécerim:
Praesértim cum se sérvum fateatúr tuum?
Th. Missa haéc faciamus. nón te dignum, Chaérea,
Fecísti: nam si ego dígna hac contumélia
Sum máxume, at tu indígnus, qui facerés, tamen.
Neque édepol, quid nunc cónsili capiám, scio
De vírgine istac: íta conturbasti mihi
Ratiónes omnis, út eam ne possím suis,
Ita ut aéquum fuerat, ítaque ut studui, trádere:
Ut sólidum parerem hoc mí beneficium, Chaérea.
Ch. At núnc dehinc spero aetérnam inter nos grátiam
Fore, Thais. saepe ex huíusmodi re quápiam et
Malo éx principio mágna familiáritas
Confláta'st. quid si hoc quíspiam voluít deus?
Th. Equidém pol in eam pártem accipioque ét volo.
Ch. Immo íta quaeso. unum hoc scíto; contuméliae
Non mé fecisse caúsa, set amoris. *Th.* scio.
Et pól propterea mágis nunc ignoscó tibi.
Non ádeo inhumano égo sum ingenio, Chaérea,
Neque ita ínperita, ut quíd amor valeat, nésciam.
Ch. Te quóque jam, Thais, íta me di bene ament, amo.
Py. Tum pól ab istoc tibi, éra, cavendum intéllego.
Ch. Non aúsim. *Py.* nil tibi quícquam credo. *Th.* désinas.
Ch. Nunc égo te in hac re mi óro ut adjutrix sies,
Ego mé tuae comméndo et committó fidei:
Te míhi patronam cápio, Thais: te óbsecro:

Emóriar, si non hánc uxorem dúxero.
Th. Tamen sí pater quid. *Ch.* áh volet, certó scio:
Civís modo haec sit. *Th.* paúlulum opperírier
Si vís, jam frater ípse hic aderit vírginis:
Nutrícem adcersitum iít, quae illam aluit párvolam:
In cógnoscendo túte ipse aderis, Chaérea.
Ch. Ego véro manco. *Th.* vísne interea, dúm venit,
Domi ópperiamur pótius, quam hic ante óstium?
Ch. Immó percupio. *Py.* quám tu rem actura, óbsecro, es?
Th. Nam quíd ita? *Py.* rogitas? húnc tu in aedis cógitas
Recípere posthac? *Th.* cúr non? *Py.* crede hoc meaé fidei,
Dabit híc pugnam aliquam dénuo. *Th.* au, tace, óbsecro.
Py. Parúm perspexe eius míhi videre audáciam.
Ch. Non fáciam, Pythias. *Py.* nón pol credo, Chaérea,
Nisi sí commissum nón erit. *Ch.* quin, Pýthias,
Tu mé servato. *Py.* néque pol servandúm tibi
Quicquám dare ausim, néque te servare: ápage te.
Th. Adest óptume ipse fráter. *Ch.* perii hercle: óbsecro
Abeámus intro, Tháis: nolo me ín via
Cum hac véste videat. *Th.* quámobrem tandem? an quía pudet?
Ch. Id ípsum. *Py.* id ipsum? vírgo vero. *Th.* i praé, sequor.
Tu istíc mane, ut Chremem íntroducas, Pýthias.

Actus V. Scena III.

Pythias. Chremes. Sophrona nutrix.

Py. Quid, quíd venire in méntem nunc possít mihi?
Quidnám, qui referam sácrilego illi grátiam,
Qui hunc súpposivit nóbis? *Ch.* move vero ócius
Te, nútrix. *So.* moveo. *Ch.* vídeo, set nil prómoves.
Py. Iamne óstendisti sígna nutrici? *Ch.* ómnia.
Py. Amábo, quid aït? cógnoscitne? *Ch.* ac mémoriter.
Py. Bene édepol narras: namílli faveo vírgini.
Ite íntro; jamdudum éra vos exspectát domi.
Virúm bonum eccum Pármenonem incédere
Videó: vide ut otiósus it, si dís placet.
Speró, me habere, qui húnc excruciem meó modo.
Ibo íntro, de cognítione ut certúm sciam:
Post éxeo, atque hunc pérterrebo sácrilegum.

Actus V. Scena IV.

Parmeno. Pythias.

Pa. Reviso, quidnam Chaérea hic rerúm gerat.
Quod si ástu rem tractávit, di, vostrám fidem,

Quantam ét quam veram laúdem capiet Pármeno?
Nam ut míttam, quod eï amórem difficíllimum et
Caríssimum, a meretríce avara vírginem
Quo amábat, eum conféci sine moléstia,
Sine súmptu, sine dispéndio: tum hoc álterum,
Id véro'st, quod ego míhi puto palmárium
Me répperisse, quó modo adulescéntulus
Meretrícum ingenia et móres posset nóscere,
Matúre ut cum cognórit, perpetuo óderit.
Quae dúm foris sunt, níl videtur múndius,
Nec mágis compositum quícquam, nec magis élegans:
Quae cum amátore suo cúm cenant, ligúrriunt.
Harúm videre inlúviem, sordes, ínopiam;
Quam inhonéstae solae sínt domi atque avidae cibi;
Quo pácto ex jure hestérno panem atrúm vorent;
Nosse ómnia haec salúti est adulescéntulis.
Py. Ego pól te pro istis dictis et factís, scelus,
Ulcíscar; ut ne inpúne nos inlúseris.
Pró deum fidem, fácinus foedum! o infélicem adulescéntulum!
O' scelestum Pármenonem, qui ístum huc adduxít! *Pa.* quid est?
Py. Míseret me: itaque ut né viderem, mísera huc effugí foras,
Quaé futura exémpla dicunt ín eum indigna. *P.* o Iúppiter,
Quaé illaec turba'st? númnam ego perii? adíbo. quid istuc, Pýthias?
Quíd aïs? in quem exémpla fient? *Py.* rógitas, audacíssume?
Pérdidisti istúm, quem adduxti pro eúnucho, adulescéntulum,
Dúm studes dare vérba nobis. *Pa.* quíd ita? aut quid factúm'st? cedo.
Py. Dícam: virginem ístam, Thaidi hódie quae donó data'st,
Scís eam civem hinc ésse? et fratrem eii ésse adprime nóbilem? 30
Pa. Néscio. *Py.* atqui síc inventa'st: éam iste vitiavít miser.
Ílle ubi id rescívit factum fráter violentíssimus —
Pa. Quídnam fecit? *Py.* cónligavit prímum eum miserís modis.
Pa. Cónligavit? *Py.* ét quidem orante, út ne id faceret, Thaide.
Pa. Quíd aïs? *Py.* nunc minátur porro sése id, quod moechís solet:
Quód ego numquam vídi fieri, néque velim. *Pa.* qua audácia
Tántum facinus aúdet? *Py.* quid ita tántum? *Pa.* an non hoc máxumum'st?
Quís homo pro moecho úmquam vidit ín domo meretrícia
Prénd quemquam? *Py.* néscio. *Pa.* at ne hoc nésciatis, Pýthias;
Díco, edico vóbis, nostrum esse íllum erilem fílium. *Py.* hem,
O'bsecro an is est? *Pa.* né quam in illum Tháis vim fierí sinat.
A'tque adeo autem cúr non egomet íntro eo? *Py.* vide, Pármeno,
Quíd agas, ne neque ílli prosis, ét tu pereas: nam hóc putant,

Quícquid factum'st, á te esse ortum. *Pa.* quíd igitur faciám miser?
Quidve incipiam? ecce aútem video rúre redeuntém senem:
Dícam huic, an non dícam? dicam hercle: étsi mihi magnúm malum
Scío paratum: sét necesse est: húic ut subveniát. *Py.* sapis.
E'go abeo intro: tu ísti narra omnem órdinem, ut factum siet.

Actus V. Scena V.

Laches. Parmeno.

La. Ex meó propinquo rúre hoc capio cómmodi:
Neque agrí, neque urbis ódium me umquam pércipit.
Ubi sátias coepit fíeri, commutó locum.
Set estne ílle noster Pármeno? et certe ípsus est.
Quem praéstolare, Pármeno, hic ante óstium?
Pa. Quis homó'st? ehem, salvom te ádvenisse gaúdeo.
La. Quem praéstolare? *P.* périi: lingua haerét metu. *L.* hem,
Quid est, quód tu trepidas? sátine salve? díc mihi.
Pa. Ere, prímum te arbitrári id, quod resést, velim:
Quicquíd huïus factum'st, cúlpa non factúm'st mea.
La. Quid? *P.* récte sane intérrogasti. opórtuit
Rem praénarrasse me. émit quendam Phaédria
Eunúchum, quem dono huíc daret. *L.* cui? *P.* Tháidi.
La. Emít? perii hercle. quánti? *P.* vigintí minis.
La. Actúm'st. *P.* tum quandam fídicinam amat hinc Chaérea.
L. hem,
Quid? ámat? an jam scit ílle quid meretríx siet?
An in ástu venit? áliud ex alió malum.
Pa. Ere né me spectes: me ínpulsore haec nón facit.
La. Omítte, de te dícere. ego te, fúrcifer,
Si vívo. set istuc quícquid est, primum éxpedi.
Pa. Is pro íllo eunucho ad Tháidem huc dedúctus est.
La. Pro eunúchon'? *P.* sic est. húnc pro moecho póstea
Compreháendere intus, ét constrinxere. *L.* óccidi.
Pa. Audáciam meretrícum specta. *L.* númquid est
Aliúd mali damníve, quod non díxeris,
Relíqüom? *P.* tantum est. *L.* césso huc introrúmpere?
Pa. Non dúbium est, quin mi mágnum ex hac re sít malum:
Nisi quía necessum fúit hoc facere. id gaúdeo,
Proptér me hisce aliquid ésse eventurúm mali:
Nam jámdiu aliquam caúsam quaerebát senex,
Quamobrem ínsigne aliquid fáceret iis: nunc répperit.

Actus V. Scena VI.

Pythias. Parmeno.

Py. Numquam édepol quicquam jámdiu, quod mágis vellem evenire,
Mi evénit, quam quod módo senex intro ád nos venit érrans.

Mihi sólae ridiculó fuit, quae, quíd timeret, scíbam.
Pa. Quid hoc aútem'st? *Py.* nunc id pródeo, ut convéniam Parmenónem.
Set ubi, óbsecro, est? *P.* me quaérit haec. *Py.* atque éccum video: adíbo.
Pa. Quid ést, inepta? quíd tibi est? quid rides? pergin'? *Py.* périi: Deféssa jam sum mísera te ridéndo. *Pa.* quid ita? *Py.* rógitas? Numquám pol hominem stúltiorem vídi, nec vidébo. ah, Non póssum satis narráre, quos ludós praebueris íntus. At étiam primo cállidum ac disértum credidi hóminem.
Quid? ílicone crédere ea, quae díxi, oportuít te? An poénitebat flágiti, te auctóre quod fecísset Aduléscens, ni miserum ínsuper etiám patri indicáres? Nam quíd illi credis ánimi tum fuísse, ubi vestem vídit Illam ésse eum indutúm pater? quid? jám scis, te perísse?
Pa. Hem, quíd dixisti, péssuma? an mentíta es? etiam rides? Itan' lépidum tibi visum ést, scelus, nos ínridere? *Py.* nímium.
Pa. Siquidem ístuc inpune hábueris. *Py.* verúm. *Pa.* reddam hercle. *Py.* crédo.
Set ín diem istuc, Pármeno, est fortásse, quod mináre.
Tu jám pendebis, quí stultum adulescéntulum nobílitas Flagítiis, et patri índicas: utérque exempla in te édent.
Pa. Nullús sum. *Py.* hic pro illo múnere tibi honós est habitus: ábeo.
Pa. Egomét meo indició miser, quasi sórex, hodie périi.

Actus V. Scena VII.

Gnatho. Thraso.

G. Quíd nunc? qua spe, aut quó consilio huc ímus? quid coeptás, Thraso?
Th. E'gone? ut Thaidí me dedam, et fáciam, quod jubeát. *G.* quid est?
Th. Quí minus, quam Herculés servivit O'mphalae? *Gn.* exemplúm placet.
U'tinam tibi commítigari vídeam sandalió caput.
Sét fores crepuérunt ab ea. *Th.* périi. quid hoc autém'st mali?
Húnc ego numquam víderam etiam: quídnam hic properans prósilit?

Actus V. Scena VIII.

Chaerea. Parmeno. Phaedria. Gnatho. Thraso.

Ch. O' populares, écquis me hodie vívit fortunátior?
Nemo hércle quisquam: nam ín me plane dí potestatém suam

Omnem óstendere: cui tam subito tót contigerint cómmoda.
Pa. Quid hic laétus est? *C.* o Pármeno mi, o meárum voluptatum ómnium
Invéntor, inceptór, perfector, scín' me, in quibus sim gaúdiis? 5
Scis, Pámphilam meam invéntam civem? *Pa.* audívi. *Ch.* scis, sponsám mihi?
Pa. Bene, íta me di ament, fáctum. *Gn.* audin' tu, hic quíd aït? *Ch.* tum autem Phaédriae,
Meo frátri, gaudeo ésse amorem omnem ín tranquillo: unâ'st domus.
Thaís se patri cómmendavit: ín clientelam ét fidem
Nobís dedit se. *Pa.* frátris igitur Thäis tota'st? *Ch.* scílicet. 10
Pa. Iam hoc áliud est, quod gaúdeamus: míles pelletúr foras.
Ch. Tu fráter ubi ubi est fác quam primum haec aúdiat. *Pa.* visám domum.
Th. Numquíd, Gnatho, tu dúbitas quin ego núnc perpetuo périerim?
Gn. Sine dúbio opinor. *Ch.* quíd commemorem prímum, aut laudem máxume?
Illúmne, qui mi dédit consilium, ut fácerem; an me, qui id aúsus sum 15
Incípere; an fortunám conlaudem, quaé gubernatrix fuit;
Quae tót res, tantas, tam ópportune in únum conclusít diem;
An mei patris festívitatem et fácilitatem? o Iúppiter,
Serva óbsecro haec bona nóbis. *Ph.* di vostrám fidem, incredíbilia
Pármeno modo quaé narravit. sét ubi est frater? *Ch.* praésto adest. 20
Ph. Gaúdeo. *Ch.* satis crédo. nihil est Thaíde hac, fratér, tua
Dígnius quod amétur: ita nostrae ómni est fautrix fámiliae. *Ph.* hui,
Míhi illam laudas? *T.* périi, quanto mínus spei est, tanto mágis amo.
O'bsecro, Gnatho, ín te spes est. *Gn.* quíd vis faciam? *T.* pérfice hoc,
Précibus, pretio, ut haércam in parte áliqua tandem aput Thaídem. 25
Gn. Difficile est. *T.* si quíd conlibitum'st, nóvi te. hoc si efféceris,
Quódvis donum, praémium a me optáto, id optatúm feres.
Gn. I'tane? *T.* sic erít. *Gn.* si efficio hoc, póstulo ut tua míhi domus
Té praesente, absénte pateat; ínvocato ut sít locus
Sémper. *Th.* do fidém, futurum. *Gn.* accíngar. *Ph.* quem ego hic aúdio? 30
O' Thraso. *T.* salvéte. *Ph.* tu fortásse, quae facta híc sient,
Néscis. *T.* scio. *Ph.* cur te érgo in his ego cónspicor regiónibus?
Th. Vóbis fretus. *P.* scín' quam fretus? míles, edicó tibi,
Sí te in platea offéndero hac post úmquam, quod dicás mihi
A'lium quaerebam, íter hac habui: périisti. *Gn.* heia, haut sic decet. 35

Ph. Dictum'st. *Gn.* non cognósco vostrum tám superbum.
Ph. sic erit.
Gn. Prius audite paúcis: quod cum díxero, si plácuerit,
Fácitote. *Ph.* audiámus. *Gn.* tu concéde paulum istúc, Thraso.
Principio ego vos crédere ambos hóc mi vehementér volo,
Me, hújus quicquid fáciam, id facere máxume causá mea:
Vérum si idem vóbis prodest, vós non facere inscítia'st.
Ph. Quíd id est? *Gn.* militem égo rivalem récipiundum cénseo. *Ph.* hem.
Ch. Récipiundum? *Gn.* cógita modo. tu hércle cum illa, Phaédria,
U't libenter vívis (et enim béne libenter víctitas)
Quód des paulum'st, ét necesse est, múltum accipere Thaídem.
U't tuo amori súppeditare póssint sine sumptú tuo
O'mnia haec; magis ópportunus, néc magis ex usú tuo,
Némo est. principio ét habet, quod det: ét dat nemo lárgius.
Fátuus est, insúlsus, bardus, stértit noctes ét dies:
Néque istum metuas, né amet mulier: fácile pellas, úbi velis.
Ch. Quíd agimus? *Gn.* praetérea hoc etiam, quód ego vel primúm puto,
A'ccipit homo némo melius prórsum neque prolíxius.
Ch. Mírum ni illoc hómine quoquo pácto opus'st. *Ph.* idem ego árbitror.
Gn. Récte facitis. únum etiam vos óro, ut me in vostrúm gregem
Récipiatis: sátis diu jam hoc sáxum volvo. *Ph.* récipimus.
Ch. A'c libenter. *G.* át ego pro isto, Phaédria, et tu, Chaérea,
Húnc comedendum et déridendum vóbis propinó. *Ch.* placet.
Ph. Dignus est. *G.* Thraso, úbi vis accede. *T.* óbsecro te, quíd agimus?
Gn. Quíd? isti te ignorábant: postquam eis móres ostendí tuos:
E't conlaudaví secundum fácta et virtutés tuas,
I'mpetravi. *T.* béne fecistis. grátiam habeo máxumam.
Númquam etiam fui úsquam, quin me omnés amarint plúrimum.
Gn. Díxin' ego in hoc ésse vobis A'tticam elegántiam?
Ph. Níl praeter promíssum est. ite hac. vós valete, et plaúdite.

TERENTII HEAUTON TIMORUMENOS.

C. SULPITII APOLLINARIS PERIOCHA IN HEAUTON TIMORUMENON.

In militiam proficisci gnatum Clíniam,
Amántem Antiphilam, cómpulit durús pater:
Animique sese angébat, facti poénitens.
Mox, út reversus est, clám patrem divórtitur
Ad Clitiphonem. is amábat scortum Bácchidem.
Cum arcésseret cupítam Antiphilam Clínia:
Ut éjus Bacchis vénit amica, ac sérvolae
Habitúm gerens Antiphila. Factum id, quó patrem
Suúm celaret Clítipho. hic technis Syri
Decém minas meretriculae aufert á sene.
Antiphila Clitiphónis reperitúr soror.
Hanc Clínia, aliam Clítipho uxorem áccipit.

GRAECA EST MENANDRU. ACTA LUDIS MEGALENSIB. L. CORNELIO LENTULO L. VALERIO FLACCO AEDILIB. CURULIB. EGIT AMBIVIUS TURPIO. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDI. ACTA PRIMUM TIBIIS IMPARIBUS. DEINDE DUABUS DEXTRIS. ACTA'ST III. M. IUVENTIO TI. SEMPRONIO COSS.

Fabulae interlocutores.

CHREMES, senex, vicinus Menedemi.

MENEDEMUS, senex ἑαυτὸν τιμωρούμενος i. e. ipse se puniens.

CLITIPHO, adulescens, filius Chremetis, Bacchidem amans.

CLINIA, Menedemi filius, Antiphilam amans.

SYRUS, servus Chremetis.

DROMO, servus Menedemi.

BACCHIS, meretrix a Clitiphone amata.

ANTIPHILA, amata Cliniae, Chremetis filia.

SOSTRATA, Chremetis uxor.

NUTRIX.

PHRYGIA, ancilla Bacchidis.

PROLOGUS.

Ne cuí sit vestrum mírum, cur partís seni
Poéta dederit, quaé sunt adulescéntium:
Id prímum dicam: deínde quod veni éloquar.
Ex íntegra Graeca íntegram comoédiam
Hodié sum acturus, Heaúton timorúmenon:
Simpléx quae ex arguménto facta est dúplici.
Novam ésse ostendi, et quaé esset: nunc, qui scrípserit,
Et cúja Graeca sít, ni partem máxumam
Exístimarem scíre vostrum, id dícerem.
Nunc, quámobrem has partis dídicerim, paucís dabo.
Orátorem esse vóluit me, non prólogum:
Vostrúm judicium fécit: me actorém dedit:
Sed hic áctor tantum póterit a facúndia,
Quantum ílle potuit cógitare cómmode,
Qui orátionem hanc scrípsit, quam dictúrus sum.
Nam quód rumores dístulerunt málevoli,
Multás contaminásse Graecas, dúm facit
Paucás Latinas: íd esse factum hic nón negat,
Neque sé pigere, et deínde factum iri aútumat.
Habét bonorum exémplum: quo exemplo sibi
Licére id facere, quód illi fecerúnt, putat.
Tum quód malevolus vétus poeta dictitat,
Repénte ad studium se ápplicasse hunc músicum,
Amícum ingenio frétum, haut naturá sua:
Arbítrium vestrum, véstra existumátio
Valébit. quare omnís vos oratós volo,
Ne plús iniquúm póssit, quam aequúm orátio.
Facite, aéqui sitis: dáte crescendi cópiam,
Novárum qui spectándi faciunt cópiam
Sine vítiis; ne ille pró se dictum exístumet.
Qui núper fecit, sérvo currenti ín via
Decésse populum, cúr in sanos saéviat?
De illíus peccatis plúra dicet, cúm dabit
Aliás novas; nisi fínem maledictís facit.
Adéste aequo animo: dáte potestatém mihi,
Statáriam agere ut líceat per siléntium;

Ne sémper servos cúrrens, iratús senex,
Edáx parasitus, sycophanta autem ínpudens,
Avárus leno, adsídue agendi sínt mihi
Clamóre summo, cúm labore máxumo.
Mea caúsa causam hanc jústam esse animum indúcite,
Ut áliqua pars labóris minuatúr mihi.
Nam núnc novas qui scríbunt, nil parcúnt seni:
Si quaé laboriósa est, ad me cúrritur:
Si lénis est, ad álium defertúr gregem.
In hác est pura orátio. experímini,
In utrámque partem ingénium quid possít meum.
Si númquam avare prétium statui artí meae,
Et eum ésse quaestum in ánimum induxi máxumum,
Quam máxume servíre vostris cómmodis:
Exémplum statuite ín me, ut adulescéntuli
Vobís placere stúdeant potius, quám sibi.

Actus I. Scena I.

Chremes. Menedemus, senes.

Quamquam haéc inter nos núper notitia ádmodum 'st,
Inde ádeo quod agrum in próxumo hic mercátus es:
Nec reí fere sane ámplius quicquám fuit:
Tamén vel virtus túa me, vel vicínitas,
Quod ego ín propinqua párte amicitiaé puto,
Facit, út te audacter móneam et familiáriter;
Quod míhi videre praéter aetatém tuam
Facere, ét praeter quam rés te adhortatúr tua.
Nam pró deum atque hominúm fidem, quid vís tibi?
Quid quaéris? annos séxaginta nátus es,
Aut plús, ut conjicio. ágrum in his regiónibus
Meliórem neque pretí majoris némo habet;
Servós non pluris: proínde quasi nemó siet,
Ita túte adtente illórum officia fúngere.
Numquám tam mane egrédior, neque tam vésperi
Domúm revortor, quín te in fundo cónspicer
Fodere, aút arare, aut áliquid facere dénique.
Nullúm remittis témpus; neque te réspicis.
Haec nón voluptati tíbi esse, satis certó scio.
„At ením me, quantum hic óperis fiat, poénitet.“
Quod in ópere faciundo óperae consumís tuae,
Si súmas in illis éxercendis, plús agas.
Me. Chremé, tantumne ab ré tua 'st otí tibi,
Aliéna ut cures; éa quae níhil ad te ádtinent?
Ch. Homó sum: humani níhil a me alienúm puto.

Vel mé monere hoc, vél percontarí puta:
Rectúm 'st? ego ut faciam. nón est? te ut detérream.
Me. Mihi sic est usus: tíbi ut opus factó 'st, face.
Ch. An cuíquam est usus hómini, se ut cruciét? *M.* mihi.
Ch. Si quíd laboris, nóllem: set quid istúc mali est?
Quaesó, quid de te tántum meruisti? *M.* oíeï.
Ch. Ne lácruma: atque istuc, quícquid est, fac me út sciam.
Ne rétice: ne verére: crede inquám mihi.
Aut cónsolando aut cónsilio aut re júvero.
Me. Scire hóc vis? *Ch.* hac quidem caúsa, qua dixí tibi.
Me. Dicétur. *Ch.* at istos rástros intereá tamen
Adpóne, ne labóra. *M.* minime. *Ch.* quám rem agis?
Me. Sine mé, vacivom témpus ne quod dém mihi
Labóris. *Ch.* non sinam, ínquam. *M.* ah, non aequóm facis.
Ch. Hui, tám gravis hos quaéso? *M.* sic meritúm 'st meum.
Ch. Nunc lóquere. *M.* filium únicum adulescéntulum
Habeo. áh, quid dixi? habére me? immo habuí, Chreme:
Nunc hábeam necne incértum 'st. *Ch.* quid ita istúc? *M.* scies.
Est é Corintho hic ádvena anus paupércula:
Ejus fíliam ille amáre coepit vírginem,
Prope jam út pro uxore habéret: haec clam me ómnia.
Ubi rém rescivi; coépi non humánitus,
Neque ut ánimum decuit aégrotum adulescéntuli,
Tractáre, set vi et viá pervolgatá patrum:
Cotídie accusábam: hem tibine haec díutius
Licére speras fácere me vivó patre,
Amícam ut habeas própe jam in uxoris loco?
Errás, si id credis, ét me ignoras, Clínia.
Ego té meum esse dici tantispér volo,
Dum quód te dignum 'st, fácies: set si id nón facis,
Ego, quód me in te sit fácere dignum, invénero.
Nulla ádeo ex re istuc fít, nisi nimio ex ótio.
Ego istúc aetatis nón amori operám dabam,
Set in A'siam hinc abii própter pauperiem, átque ibi
Simúl rem et gloriam ármis belli répperi.
Postrémo adeo res rédiit, adulescéntulus
Saepe éadem et graviter aúdiendo víctus est:
Putávit, me et actáte et benevoléntia
Plus scíre et providére, quam se ipsúm sibi:
In A'siam ad regem mílitatum abiít, Chreme.
Ch. Quid aís? *M.* clam me est profectus: mensis trís abest,
Ch. Ambo áccusandi: etsi íllud inceptúm tamen
Animi ést pudentis sígnum et non instrénui.
Me. Ubi cómperi ex iis, quí fuere ei cónscii,
Domúm revortor maéstus, atque animó fere

Contúrbato, atque incérto prae aegritúdine.
Adsído: adcurrunt sérvi: soccos détrahunt:
Video álios festináre, lectos stérnere,
Cenam ápparare: pró se quisque sédulo
Faciébant, quo illam míhi lenirent míseriam.
Ubi vídeo, haec coepi cógitare: hem, tót mea
Solíus solliciti sínt causa, ut me unum éxpleant?
Ancíllae tot me véstiant? sumptús domi
Tantós ego solus fáciam, qui gnatum únicum,
Quem páriter uti his décuit aut etiam ámplius,
Quod illa aétas magis ad haéc utenda idónea est,
Eum ego hínc ejeci míserum injustitiá mea?
Maló quidem me dígnum quovis députem,
Si id fáciam. nam usque dum ílle vitam illám colet
Inopém, carens patria ób meas injúrias,
Intérea usque illi dé me suppliciúm dabo,
Labórans, parcens, quaérens, illi sérviens.
Ita fácio prorsus: níl relinquo in aédibus,
Nec vás, nec vestiméntum: conrasi ómnia.
Ancíllas, servos, nísi eos, qui opere rústico
Faciúndo facile súmptum exsercirént suum,
Omnís produxi ac véndidi. inscripsi ílico
Aedís mercede. quási talenta ad quíndecim
Coégi: agrum hunc mercátus sum: hic me exérceo.
Decrévi, tantispér me minus injúriae,
Chremé, meo gnato fácere, dum fiám miser:
Nec fás esse, ulla mé voluptate híc frui,
Nisi ubi ílle huc salvos rédierit meus párticeps.
Ch. Ingénio te esse in líberos lení puto,
Et illum óbsequentem, sí quis recte aut cómmode
Tractáret. verum néque illum tu satis nóveras,
Nec te ílle; hoc quod fit, úbi non vere vívitur.
Tu illúm, numquam ostendísti, quanti pénderes,
Nec tíbi ille 'st credere aúsus, quae est aequóm patri.
Quod si ésset factum, haec númquam evenissént tibi.
Me. Ita rés est, fateor: péccatum a me máxumum 'st.
Ch. Menedéme, at porro récte spero, et illúm tibi
Salvom ádfuturum esse híc confído própediem.
Me. Utinam íta di faxint. *Ch.* fácient. nunc si est cómmodum,
Dionýsia hic sunt hódie: aput me sís volo.
Me. Non póssum. *Ch.* cur non? quaéso tandem aliquántulum
Tibi párce: idem absens fácere te hoc volt fílius.
Me. Non cónvenit, qui illum ád laborem impéllerim,
Nunc me ípsum fugere. *Ch.* sícine est senténtia?
Me. Sic. *Ch.* béne vale. *M.* et tu. *Ch.* lácrumas excussít mihi,

Miserétque me ejus: sét ut diei témpus est,
Tempús 'st, monere me húnc vicinum Phániam,
Ad cénam ut veniat: íbo, visam sí domi est.
Nihil ópus fuit monitóre: jam dudúm domi
Praesto áput me esse ajunt: égomet convivás moror. 120
Ibo ádeo hinc intro. sét quid crepuerúnt fores
Hinc á me? quisnam egréditur? huc concéssero.

Actus I. Scena II.

Clitipho adulescens. Chremes.

Níhil adhuc est, quód vereare, Clínia: haut quaquam étiam cessant:
E't illam simúl cum nuntio tibi ádfuturam hodié scio.
Próin tu solicitúdinem istam fálsam, quae te excrúciat, mittas.
Ch. Quícum loquitur fílius?
Cl. Páter adest, quem vólui: adibo. páter, opportune ádvenis. 5
Ch. Quíd id est? *Cl.* hunc Menedémum nostin', nóstrum vicinúm? *Ch.* probe.
Cl. Huic fílium scis ésse? *Ch.* audivi esse: ín Asia. *Cl.* non ést, pater:
Aput nós est. *Ch.* quid aïs? *Cl.* ádvenientem, e návi egredientem, ílico
Abdúxi ad cenam: nám mihi cum eo jam índe usque a puéritia
Fuit sémper familiáritas. *Ch.* voluptátem magnam núntias. 10
Quam véllem Menedemum ínvitatum, ut nóbiscum esset ámplius:
Ut hánc laetitiam néc opinanti prímus objicerem eí domi.
A'tque etiam nunc témpus est. *Cl.* cave fáxis; non opus ést, pater.
Ch. Quaprópter? *Cl.* quia enim incértum 'st etiam, quíd se faciat. módo venit.
Timet ómnia, patris íram, et animum amícae se erga ut sít suae. 15
Eam mísere amat: proptér eam haec turba atque ábitio evenít. *Ch.* scio.
Cl. Nunc sérvolum ad eam in úrbem misit, ét ego nostrum unà Syrum.
Ch. Quid nárrat? *Cl.* quid ille? míserum se esse. *Ch.* míserum? quem minus crédere 'st?
Quid réliqüi 'st, quin hábeat, quae quidem in hómine dicuntúr bona?
Paréntis, patriam incólumem, amicos, génus, cognatos, diúitias: 20
Atque haéc perinde súnt ut illius ánimus, qui ea póssidet:

Qui utí scit, ei bona; illi, qui non útitur recté, mala.
Cl. Immo ille fuit senex importunus sémper; et nunc níl magis
Vereór, quam ne quid in illum iratus plús satis faxít, pater.
Ch. Illéne? set repprimám me: nam in metu ésse hunc, illi
est útile.
Cl. Quid túte tecum? *Ch.* dícam. ut ut erat, mánsum tamen
opórtuit.
Fortásse aliquantum iníquior erat praéter ejus lubídinem:
Paterétur: nam quem férret, si paréntem non ferrét suum?
Huncíne erat aequom ex illius more, an illum ex hujus vívere?
Et quód illum insimulant dúrum, id non est. nám parentum
injúriae
Uníusmodi sunt férme; paulo qui ést homo tolerábilis,
Scortári crebro nólunt; nolunt crébro convivárier:
Praebént exigue súmptum: atque haec sunt támen ad virtutem
ómnia.
Verum ánimus ubi semél se cupiditáte devinxít mala,
Necésse est, Clitiphó, consilia cónsequi consímilia. hoc
Scitúm 'st, periclum ex áliis facere, tíbi quid ex usú siet.
Cl. Ita crédo. *Ch.* ego ibo hinc íntro, ut videam, nóbis ce-
nae quíd siet.
Tu, ut témpus est diéi, vide sis, né quo hinc abeas lóngius.

Actus I. Scena III.

Clitipho.

Quam iníqui sunt patrés in omnis ádulescentis júdices!
Qui aequom ésse censent, nós jam a pueris ílico nascí senes;
Neque illárum adfines ésse rerum, quás fert adulescéntia.
Ex suá libidiné moderantur, núnc quae est, non quae olím fuit.
Mihi si úmquam filiús erit, ne ille fácili me utetúr patre:
Nam et cógnoscendi et ígnoscendi dábitur peccatí locus:
Non út meus, qui míhi per alium osténdit suam senténtiam.
Perii: ís mi, ubi adbibít plus paulo, súa quae narrat fácinora?
Nunc aít: periclum ex áliis facito, tíbi quid ex usú siet.
Astútus: ne ille haut scít, quam mihi nunc súrdo narret fábu-
lam.
Magis núnc me amicae dícta stimulant: „Dá mihi, atque ad-
fér mihi:“
Cui quód respondeám nil habeo: néque mę quisquam est
míserior.
Nam hic Clínia, etsi is quóque suarum rérum sat agitát, tamen
Habét bene et pudíce eductam, ignáram artis meretríciae.
Meá 'st potens, procáx, magnifica, súmptuosa, nóbilis.

Tum quód dem ei, recte 'st: nám nihil esse míhi religio 'st dícere.
Hoc égo mali non prídem inveni: néque etiamdum scít pater.

Actus II. Scena I.

Clinia. Clitipho.

Si míhi secundae rés de amore méo essent, jam dudúm, scio,
Venísset: set vereór, ne mulier me ábsente hic corrúpta sit.
Concúrrunt multa, opínionem hanc quaé mihi animo exaúgeant:
Occásio, locus, aétas, mater, cuíus sub imperió 'st, mala:
Cui níl jam praeter prétium dulce 'st. *Clit.* Clínia. *Clin.* ei miscró mihi.
Clit. Etiám caves, ne vídeat forte hic te á patre aliquis éxiens?
Clin. Faciám: set nescio quíd profecto mi ánimus praesagít mali.
Clit. Pergín' istuc prius dijúdicare, quám scias, quid reí siet?
Clin. Si níl mali esset, jam híc adesset. *Clit.* jam áderit. *Clin.* quando istúc jam erit?
Clit. Non cógitas, hinc lóngule esse? et nósti mores múliérum:
Dum móliuntur, dúm comuntur, ánnus est. *Clin.* o Clítipho,
Timeó. *Clit.* respira: eccúm Dromonem cúm Syro una: adsúnt tibi.

Actus. II. Scena II.

Syrus, Dromo, servi. Clinia. Clitipho.

Sy. Aín' tu? *Dr.* sic est: vérum interea, dúm sermones caédimus,
I'llae sunt relíctae. *Clit.* mulier tíbi adest; audin', Clínia?
Clin. E'go vero audió nunc demum et vívo et valeo, Clítipho.
Sy. Mínime mirum: adeo ímpeditae súnt: ancillarúm gregem
Dúcunt secum. *Clin.* périi, unde illi súnt ancillae? *Clit.* mén' rogas?
Sy. Nón oportuít relictas: pórtant quid rerum! *Clin.* eí mihi.
Sy. Aúrum, vestem: et vésperascit, ét non noverúnt viam.
Fáctum a nobis stúlte est. abi dum tú, Dromo, illis óbviam:
Própere: quid stas? *Clin.* vaé misero mi, quánta de spe décidi.
Clit. Quí istuc? quae res té sollicitat aútem? *Clin.* rogitas, quíd siet?
Víden' tu? ancillas, aúrum, vestem, quám ego cum una ancíllula
Híc reliqui, unde ésse censes? *Clit.* váh, nunc demum intéllego.
Sy. Dí boni, quid túrbae 'st? aedes nóstrae vix capiént, scio.

Quíd comedent? quid ébibent? quid séne erit nostro míserius?
Sét video, eccos, quós volebam. *Clin.* o Iúppiter, ubinam
ést fides?
Dum ego própter te errans pátria careo démens, tu intercá loci
Conlócupletasti, Antíphila, te, et me in his deseruistí malis;
Proptér quam in summa infámia sum, et meó patri minus sum
óbsequens.
Cujus núnc pudet me et míseret, qui harum móres cantabát
mihi,
Monuísse frustra, néque eum potuisse úmquam ab hac me ex-
péllere:
Quod támen nunc faciam: túm, cum gratum mi ésse potuit,
nólui.
Nemo ést miserior me. *Sy.* híc de nostris vérbis errat vídelicet,
Quae hic súmus locuti. Clínia, aliter túum amorem, atque
est, áccipis:
Nam et víta 'st eadem, et ánimus te erga idem ác fuit;
Quantum éx ipsa re cónjecturam fécimus.
Clin. Quid est óbsecro? nam míhi nunc nil rerum ómnium 'st,
Quod málim, quam me hoc fálso suspicárier.
Sy. Hoc prímum, ut ne quid huíus rerum ignorés: anus,
Quae est dicta mater ésse ei antehac, nón fuit:
Ea óbiit mortem: ex ípsa in itere hoc, álterae
Dum nárrat, forte audívi. *Clit.* quaenam 'st áltera?
Sy. Mane: hóc, quod coepi, prímum enarrem, Clítipho:
Post ístuc veniam. *Clit.* própera. *Sy.* jam primum ómnium,
Ubi véntum ad aedis ést, Dromo pultát fores:
Anus quaédam prodit: haéc ubi aperit óstium,
Contínuo hic se conjécit intro, ego cónsequor:
Anus fóribus obdit péssulum, ad lanám redit.
Hic scíri potuit, aút nusquam alibi, Clínia,
Quo stúdio vitam suám te absente exégerit;
Ubi de ínproviso est ínterventum múlieri:
Nam ea túm res dedit exístumandi cópiam
Cotídianae vítae consuetúdinem;
Quae, cuíusque ingenium ut sít, declarat máxume.
Texéntem telam stúdiose ipsam offéndimus;
Mediócriter vestítam veste lúgubri,
Ejus ánnis causa, opínor, quae erat mórtua,
Sine aúro: tum ornatam, íta uti quae ornantúr sibi;
Nullá malam re esse éxpolitam múliebri:
Capíllus sparsus, prólixus, circúm caput
Rejéctus neclegénter, pax. *Clin.* Syre mi, óbsecro,
Ne me ín laetitiam frústra conjiciás. *Sy.* anus
Subtémen nebat: praéterea una ancíllula

Erat; éa texebat úna, pannis óbsita,
Neclécta, inmunda inlúvie. *Clit.* si haec sunt, Clínia,
Vera, íta uti credo, quís te est fortunátior?
Scin' hánc, quam dicit sórdidatam et sórdidam?
Magnum hóc quoque signum 'st, dóminam esse extra nóxiam,
Cum ejús tam neclegúntur internúntii.
Nam disciplina est iísdem, munerárier
Ancíllas primum, ad dóminas qui adfectánt viam.
Clin. Perge, óbsecro te, et cáve, ne falsam grátiam
Studeás inire. quíd aït, ubi me nóminas?
Sy. Ubi dícimus rediísse te, et rogáre, uti
Veníret ad te, múlier telam désinit
Contínuo, et lacrumis ópplet os totúm sibi:
Ut fácile scias, desíderio id fierí tuo.
Clin. Prae gaúdio, ita me dí ament, ubi sim néscio:
Ita tímui. *Clit.* at ego nil ésse scibam, Clínia.
Agedúm vicissim, Sýre, dic, quae illa 'st áltera.
Sy. Addúcimus tuam Bácchidem. *Clit.* hem, quid? Bácchidem?
E'ho, sceleste, quó illam ducis? *Sy.* quó ego illam? ad nos scílicet.
Clit. A'd patremne? *Sy.* ad eum ipsum. *Clit.* o hominis ínpudentem audáciam. *Sy.* heus tu,
Nón fit sine períclo facinus mágnum et commemorábile.
Clit. Hóc vide: in mea víta tu tibi laúdem is quaesitúm, scelus?
U'bi si paulúlum modo quid te fúgerit, ego périerim.
Quíd illa facias? *Sy.* át enim. *Clit.* quid enim? *Sy.* sí sinis, dicó. *Clin.* sine.
Clit. Síno. *Sy.* ita res est haéc nunc, quasi cum — *Clit.* quás, malum, ambagés mihi
Nárrare occipít? *Clin.* Syre, verum hic dícit: mitte. ad rém redi.
Sy. E'nimvero reticére nequeo: múltimodis injúrius 's,
Clítipho, neque férri potis es. *Clin.* aúdiundum hercle ést, tace.
Sy. Vís amare: vís potiri: vís quod des illi, éffici:
Túum esse in potiundó periclum nón vis: haut stulté sapis:
Síquidem id sapere 'st, vélle te id, quod nón potest, contíngere.
Aút haec cum illis súnt habenda, aut ílla cum his mitténda sunt.
Hárum duarum cónditionum núnc utram malís, vide:
E'tsi consilium hóc, quod cepi, réctum esse et tutúm scio.
Nam áput patrem tua amíca tecum síne metu ut sit, cópia 'st:
Túm quod illi argentum és pollicitus, eádem hac inveniám via:
Quód ut efficerem, orándo surdas jam aúris reddiderás mihi.

Quíd alid tibi vis? *Clit.* síquidem hoc fiet. *Sy.* síquidem, experiundó scies.
Clit. A'ge age, cedo istuc tuúm consilium: quíd id est? *Sy.* adsimulábimus,
Túam amicam hujus ésse. *Clit.* pulchre: cédo quid hic faciét sua?
A'n ea quoque dicétur hujus, si úna haec dedecori ést parum?
Sy. I'mmo ad tuam matrem déducetur. *Clit.* quíd eo? *Sy.* longum 'st, Clítipho,
Sí tibi narrem, quámobrem id faciam: véra causa est. *Clit.* fábulae:
Níl satis firmi vídeo, quamobrem accípere hunc mi expediát metum.
Sy. Máne, habeo aliud, si íste est metus, quod ámbo confiteámini
Síne periclo esse. *Clit.* huiusmodi obsecro áliquid reperi. *Sy.* máxume:
Ibo óbviam huic; dicam, út revortatúr domum. *Clit.* hem,
Quid díxti? *Sy.* ademptum tíbi jam faxo omném metum:
In aúrem utramvis ótiose ut dórmias.
Clit. Quid ágo nunc? *Clin.* tune? quód boni — *Clit.* Syre, díc modo
Verum. *Sy.* áge modo: hodie séro ac nequicquám voles.
Clin. Di dánt, fruare, dúm licet: nam néscias —
Clit. Syre, ínquam. *Sy.* perge pórro, tamen istúc ago.
Clin. Eius sít potestas pósthac an numquám tibi.
Clit. Verum hércle istuc est: Sýre, Syre, inquam, heus, heús, Syre.
Sy. Concáluit: quid vis? *Clit.* rédi, redi. *Sy.* adsum, díc, quid est?
Jam hoc quóque negabis tíbi placere. *Clit.* immó, Syre,
Et mé et meum amorem et fámam permittó tibi.
Tu es júdex. ne quid áccusandus sís, vide.
Sy. Ridículum est, te istuc me ádmonere, Clítipho:
Quasi ístic mea res mínor agatur, quám tua.
Hic sí quid nobis fórte adversi evénerit,
Tibi erúnt parata vérba: huic homini vérbera.
Quaprópter haec res ne útiquam neglectu ést mihi:
Set istúnc exora, ut suam ésse adsimulet. *Clin.* scílicet
Factúrum me esse, in cúm res rediit jám locum,
Ut sít necessum. *Clit.* mérito te amo, Clínia.
Clin. Verumílla ne quid títubet. *Sy.* perdoctá 'st probe.
Clit. At hóc demiror, quí tam facile pótueris
Persuádere illi, quaé solet quos spérnere.
Sy. In témpore ad eam véni, quod rerum ómnium 'st
Primúm: nam miserum quéndam offendi ibi mílitem
Eius nóctem orantem: haec árte tractabát virum,
Ut íllius animum cúpidum inopia incéndcret:

Eadémque ut esset áput te hoc quam gratíssimum.
Set heús tu, vide sis, né quid inprudéns ruas.
Patrém novisti, ad hás res quam sit pérspicax:
Ego te aútem novi, quam ésse soleas ínpotens:
Invérsa verba, evérsas cervicés tuas,
Gemitús, screatus, tússis, risus ábstine.
Clit. Laudábis. *Sy.* vide sis. *Clit.* tútemet mirábere.
Sy. Set quám cito sunt cónsecutae múlieres?
Clit. Ubi súnt? cur retines? *Sy.* jám nunc haec non ést tua.
Clit. Scio, áput patrem: at nunc ínterim. *Sy.* nihiló magis.
Clit. Sine. *Sy.* nón sinam, inquam. *Clit.* quaéso paulispér.
Sy. veto.
Clit. Saltém salutare. *Sy.* ábeas si sapiás. *Clit.* eo.
Quid istíc? *Sy.* manebit. *Clit.* o hóminem felicem. *Sy.* ámbula.

Actus. II. Scena III.

Bacchis. Antiphila. Clinia. Syrus.

Ba. E'depol te, mea Antíphila, laudo et fórtunatam júdico,
I'd cum studuisti, ísti formae ut móres consimilés forent.
Minimeque, ita me dí ament, miror, sí te sibi quisque éxpetit.
Nám mihi, quale ingénium haberes, fúit indicio orátio.
E't cum egomet nunc mécum in animo vítam tuam consídero,
O'mniumque adeó vostrarum, vólgus quae ab se ségregant;
E't vos esse istíusmodi, et nos nón esse, haut mirábile 'st:
Nam éxpedit bonís esse vobis; nós, quibuscum est res, nón sinunt:
Quíppe forma inpúlsi nostra nós amatorés colunt:
Haéc ubi inmutáta est, illi súum animum alio cónferunt;
Nísi prospectum intérea a nobis ést, desertae vívimus.
Vóbis cum uno sémel ubi aetatem ágere decretúm 'st viro;
Cuíus mos maxumé 'st consimilis vóstrum, hi se ad vos ádplicant.
Hóc beneficio utríque ab utrisque véro devincímini;
U't numquam ulla amóri vestro incídere possit cálamitas.
An. Néscio alias: mé quidem semper scío fecisse sédulo,
U't ex illius cómmodo meum cómpararem cómmodum. *Cl.* ah.
Ergó, mea Antiphila, tú nunc sola réducem me in patriám facis:
Nam dum ábs te absum, omnes míhi labores fuére, quos cepí, leves,
Praetérquam tui caréndum quod erat. *Sy.* crédo. *Cl.* Syre,
vix súffero.
Hocíne me miserum nón licere meó modo ingeniúm frui?
Sy. Immo, út patrem tuum vídi esse habitum, díu etiam durás dabit.
Ba. Quisnam híc adulescens ést, qui intuitur nós? *A.* ah, retine me, óbsecro.
Ba. Amábo quid tibi ést? *A.* disperii, périi misera. *B.* quíd stupes,

Antíphila? *A.* videon' Clíniam, an non? *B.* quém vides? *Cl.* salve ánime mi.
An. O, mi éxspectate Clínia, salve. *Cl.* út vales?
An. Salvum ádvenisse gaúdeo. *Cl.* tenéone te,
Antíphila, maxume ánimo exoptatám meo?
Sy. Ite íntro: nam vos jámdudum exspectát senex.

Actus III. Scena I.

Chremes. Menedemus.

Ch. Lucíscit hoc jam. césso pultare óstium
Vicíni? primum ex me út sciat, sibi fílium
Rediísse: etsi adulescéntem hoc nolle intéllego.
Verúm cum videam, míserum hunc tam excruciárier
Ejus ábitu, celem tam ínsperatum gaúdium;
Cum illí pericli níhil ex indició siet?
Haut fáciam: nam quod pótero adjutabó senem.
Item ut fílium meum amíco atque aequalí suo
Video ínservire, et sócium esse in negótiis;
Nos quóque senes est aéquum senibus óbsequi.
Me. Aut égo profecto ingénio egregie ad míseriam
Natús sum; aut illud fálsum 'st, quod volgo aúdio
Dicí, diem adimere aégritudinem hóminibus:
Nam míhi quidem cotídie augescít magis
De fílio aegritúdo; et quanto diútius
Abést, magis cupio tánto, et magis desídero.
Ch. Set ipsúm foras egréssum video; ibo, ádloquar.
Menedéme, salve: núntium adportó tibi,
Cuius máxume te fíeri participém cupis.
Me. Num quídnam de gnató meo audistí, Chreme?
Ch. Valet átque vivit. *M.* úbinam 'st quaeso? *Ch.* aput me híc domi.
Me. Meus gnátus? *Ch.* sic est. *M.* vénit? *Ch.* certe. *M.* Clínia
Meus vénit? *Ch.* dixi. *M.* eámus, duc me ad eum, óbsecro.
Ch. Non vólt, te scire, sé redisse etiam: ét tuum
Conspéctum fugitat: própter peccatum hóc timet,
Ne túa duritia antíqua illa etiam adaúcta sit.
Me. Non tu eí dixisti, ut éssem? *Ch.* non. *M.* quamobrém, Chreme?
Ch. Quia péssume istuc ín te atque in illum cónsulis,
Si té tam leni et vícto esse animo osténderis.
Me. Non póssum: satis jam, sátis pater durús fui. *Ch.* ah,
Veheméns utramque in pártem, Menedeme, és nimis,
Aut lárgitate nímia aut parsimónia.
In cándem fraudem ex hác re atque ex illa íncides.

Primum ólim potius, quám paterere fílium
Commétare ad muliércculam, quae paúlulo
Tum erát contenta, cuíque erant grata ómnia;
Protérruisti hinc. éa coacta ingrátiis
Postílla coepit víctum volgo quaérere.
Nunc cúm sine magno intértrimento nón potest
Habéri, quidvis dáre cupis. nam, ut tú scias,
Quam ea núnc instructa púlchre ad pernicióm siet;
Primúm jam ancillas sécum adduxit plús decem,
Onerátas veste atque aúro: satrapa sí siet
Amátor, numquam súfferre ejus sumptús queat:
Nedúm tu possis. *M.* éstne ea intus? *Ch.* sít rogas?
Sensí: nam unam eji cénam atque ejus cómitibus
Dedí: quod si iterum míhi sit danda, actúm siet.
Nam, ut ália omittam, pýtisando módo mihi
Quid víni absumpsit? Síc hoc, dicens; A'sperum,
Pater, hóc est; aliud lénius sodés vide:
Relévi dolia ómnia, omnis sérias:
Omnís sollicitos hábui: atque haec úna nox.
Quid té futurum cénses, quem adsidue éxedent?
Sic mé di amabunt, út me tuarum míscritum 'st,
Menedéme, fortunárum. *M.* faciat, quód lubet:
Sumát, consumat, pérdat, decretúm 'st pati,
Dum illúm modo habeam mécum. *Ch.* si certúm 'st tibi,
Sic fácere, illud permágni referre árbitror,
Ut né scientem séntiat te id síbi dare.
Me. Quid fáciam? *Ch.* quidvis pótius, quam quod cógitas:
Per álium quemvis út des: falli té sinas
Technís per servolum: étsi subsensi íd quoque,
Illós ibi esse, id ágere inter se clánculum.
Syrus cum íllo vestro cónsusurrant, cónferunt
Consília ad adulescéntes: et tibi pérdere
Talántum hoc pacto sátius est, quam illó minam.
Non núnc pecunia ágitur, set illud, quó modo
Minimó periclo id démus adulescéntulo.
Nam sí semel tuum ánimum ille intelléxerit,
Prius próditurum té tuam vitam, ét prius
Pecúniam omnem, quam ábs te amittas fílium: hui,
Quantám fenestram ad néquitiem patefóceris?
Tibi aútem porro ut nón sit suave vívere:
Nam déteriores ómnes sumus licéntia.
Quodcúmque inciderit ín mentem, volét: neque id
Putábit pravomne án rectum sit, quód petet.
Tu rém perire, et ípsum non poteris pati.
Dare dénegaris: íbit ad illud ílico,

Quo máxume aput te sé valere séntiet,
Abitúrum se abs te esse ílico minitábitur.
Me. Vidére verum, atque íta uti res est, dícere.
Ch. Somnum hércle ego hac nocte óculis non vidí meis,
Dum id quaéro, tibi qui fílium restítuerem.
Me. Cedo déxtram: porro te óro, idem ut faciás, Chreme.
Ch. Parátus sum. *M.* scin', quíd nunc facere té volo?
Ch. Dic. *M.* quód sensisti, illós me incipere fállere,
Id út maturent fácere: cupio illí dare,
Quod vólt; cupio ipsum jám videre. *Ch.* operám dabo.
Syrus ést prehendendus, átque adhortandús mihi.
A mé nescio quis éxit: concede hínc domum,
Ne nós inter nos cónsentire séntiant.
Paulum hóc negoti mi óbstat: Simus ét Crito
Vicíni nostri hic ámbigunt de fínibus:
Me cépere arbitrum: íbo ac dicam, ut díxeram,
Operám daturum me, hódie non posse iís dare.
Contínuo hic adero. *M.* ita quaéso. di vostrám fidem!
Ita cónparatam esse hóminum naturam ómnium,
Aliéna ut melius vídeant et dijúdicent,
Quam súa? an eo fit, quía re in nostra aut gaúdio
Sumus praépediti nímio aut aegritúdine?
Hic míhi nunc quanto plús sapit, quam egomét mihi?
Ch. Dissólui me, ocýus operam ut tibí darem.

Actus III. Scena II.

Syrus. Chremes.

Sy. Hac íllac circumcúrsa: inveniendum ést tamen
Argéntum; intendenda ín senem est fallácia.
Ch. Num mé fefellit, hósce id struere? vídelicet
Ille Clíniaï sérvos tardiúsculus 'st,
Idcírco huic nostro trádita 'st província.
Sy. Quis hic lóquitur? perii. númnam haec audivít? *Ch.* Syre.
Sy. hem.
Ch. Quid tu ístic? *Sy.* recte. equidém te demirór, Chreme,
Tam máne, qui heri tántum biberis. *Ch.* níl nimis.
Sy. Nil, nárras? visa véro 'st, quod dicí solet,
Aquilaé senectus. *Ch.* heía. *Sy.* mulier cómmoda et
Facéta haec meretrix. *Ch.* sáne idem visa ést mihi.
Sy. Et quidem hércle forma lúculenta. *Ch.* sic satis.
Sy. Ita nón ut olim, sét uti nunc, sané bona:
Miniméque miror, Clínia hanc si déperit:
Set habét patrem quendam ávidum, miserum atque áridum,
Vicínum hunc: nostin'? át quasi is non divítiis

Abúndet, gnatus eius profugit inopia.
Scis, esse factum, ut dico? *Ch.* quid ego ni sciam?
Hominem pistrino dignum. *Sy.* quem? *Ch.* istunc servolum
Dico adulescentis. *Sy.* Syre, tibi timui male.
Ch. Qui passus est, id fieri. *Sy.* quid facerét? *Ch.* rogas?
Aliquid reperiret, fingeret fallácias,
Unde esset adulescénti, amicae quód daret,
Atque hunc difficilem invítum servarét senem.
Sy. Garris. *Ch.* haec facta ab illo oportebát, Syre.
Sy. Eho quaéso laudas, qui eros fallunt? *Ch.* in loco
Ego véro laudo. *Sy.* récte sane. *Ch.* quippe qui
Magnárum saepe id remedium aegritúdinum est:
Jam huic mansisset únicus gnatús domi.
Sy. Iocón' an serio ille haec dicat néscio;
Nisi mihi quidem addit ánimum, quo lubeát magis.
Ch. Et nunc quid exspectát, Syre? an dum hinc dénuo
Abeát, cum tolerare illius sumptus nón queat?
Nonne ád senem aliquam fábricam fingit? *Sy.* stólidus est.
Ch. At te ádjutare opórtet adulescéntuli
Causá. *Sy.* facile equidem fácere possum, sí jubes:
Etenim quo pacto id fieri soleat, cálleo.
Ch. Tanto hércle melior. *Sy.* nón est mentirí meum.
Ch. Fac érgo. *Sy.* at heus tu, fácitodum eadem haec mémineris,
Si quid hujus simile fórte aliquando evénerit,
Ut sunt humana, túus ut faciat filius.
Ch. Non úsus veniet, spéro. *Sy.* spero hercle égo quoque:
Neque có nunc dico, quó quicquam illum sénserim:
Set sí quid, ne quid; quaé sit ejus aetás, vides:
Et n égo te, si usus véniat, magnificé, Chreme,
Tractáre possim. *Ch.* de istoc, cum usus vénerit,
Vidébimus, quod ópus sit: nunc istúc age.
Sy. Numquám commodius úmquam erum audiví loqui,
Nec cúm malefacere créderem mi inpúnius
Licére. quisnam a nóbis egreditúr foras?

Actus III. Scena III.

Chremes. Clitipho. Syrus.

Ch. Quid istuc, quaeso? quí istic mos est, Clítipho? itane fieri
oportet?
Cl. Quid ego feci? *Ch.* vídin' ego te módo manum in sinum
huíc meretrici
Inserere? *Sy.* acta haec rés est. perii. *Cl.* méne? *Ch.* hisce
oculis, né nega.
Facis ádeo indigne injúriam illi, quí non abstineás manum:

Nam istaéc quidem contumélia est:
Hóminem amicum récipere ad te, atque éjus amicam súbigitare.
Vél heri in vino quám inmodestus fuísti? *Sy.* factum. *Ch.* quám molestus!
U't equidem, ita me dí ament, metui, quíd futurum dénique esset!
Nóvi ego amántis: ánimum advertunt gráviter, quae non cénseas.
Cl. A't fides mi aput húnc est, nil me istíus facturúm, pater.
Ch. E'sto: at certe cóncedas hinc áliquo ab ore corum áliquantisper.
Múlta fert libído: ea prohibet fácere tua praeséntia.
Ego dé me facio cónjecturam. némo 'st meorum amícorum hodie,
Apút quem expromere ómnia mea occúlta, Clitipho, aúdeam,
Aput álium prohibet dignitas; aput álium ipsius factí pudet;
Ne inéptus, ne protérvos videar: quód illum facere crédito.
Set nóstrum est intellégere; utcumque atque úbicumque opus sit, óbsequi.
Sy. Quíd istic narrat? *Cl.* périi. *Sy.* Clitipho, haéc ego praecipió tibi?
Hóminis frugi et témperantis fúnctus 's officiúm. *Cl.* tace sodes.
Sy. Récte sane. *Ch.* Sýre, pudet me. *Sy.* crédo; neque id injúria: quin
Míhi molestum 'st. *Cl.* pérgin'? *Sy.* hercle vérum dico, quód videtur.
Cl. Nónne accedam ad íllos? *Ch.* eho, quaeso, úna accedundí via est?
Sy. A'ctum 'st: hic prius se índicarit, quám ego argentum effécero.
Chremé, vin' tu homini stúlto mi auscultáre? *Ch.* quid faciám? *Sy.* jube hunc
Abíre hinc aliquo. *Cl.* quó ego hinc abeam? *Sy.* quó lubet: da illís locum:
Abi deámbulatum. *Cl.* deámbulatum, quó? *Sy.* vah, quasi desít locus.
Abi sáne istac, istórsum, quovis. *Ch.* récte dicit, cénseo.
Cl. Dí te eradicént, Syre, qui me hinc éxtrudas. *Sy.* at tú tibi istas
Pósthac comprimitó manus.

Actus III. Scena IV.

Sy. Cénsen' vero? quíd illum porro crédis facturúm, Chreme?
Nísi eum, quantum tíbi opis di dant, sérvas, castigás mones.
Ch. E'go istuc curabo. *Sy.* átqui nunc, ere, híc tibi adservándus est.
Ch. Fíet. *Sy.* si sapiás: nam mihi jam mínus minusque obtémperat.

Ch. Quíd tu? ecquid de illó, quod dudum técum egi, egistí, Syre?
Aút est tibi, quod pláceat, an nondum étiam? *Sy.* de fallácia
Dícis? est: invéni nuper quándam. *Ch.* frugi es. cédo, quid est?
Sy. Dícam: verum, ut áliud ex alio íncidit. *Ch.* quidnám, Syre?
Sy. Péssuma haec est méretrix. *Ch.* ita vidétur. *Sy.* immo, sí scias.
Váh, vide quod incéptet facinus. Fuít quaedam anus Corínthia
Híc; huic drachumárum argenti haec mílle dederat mútuum.
Ch. Quíd tum? *Sy.* ea mortuá 'st: reliquit fíliam adulescéntulam.
E'a relicta huic árraboni est pro íllo argento. *Ch.* intéllego.
Sy. Hánc secum huc addúxit, eam, quae est núnc aput uxorém tuam.
Ch. Quíd tum? *Sy.* Cliniam órat, sibi ut id núnc det: illa illí tamen
Póst datum iri mílle numum praés sit. *Ch.* et praes sít quidem? *Sy.* hui,
Dúbium id est? ego síc putavi. *Ch.* quíd nunc facere cógitas?
Sy. E'gone? ad Menedemum íbo: dicam, hanc ésse captam ex Cária,
Dítem et nobilém: si redimat, mágnum esse in ea ré lucrum.
Ch. E'rras. *Sy.* quid ita? *Ch.* pró Menedemo núnc tibi ego respóndeo:
„Nón emo." *Sy.* quid áïs? optata lóquere. *Ch.* atqui non ést opus.
Sy. Nón est opus? *Ch.* non hércle vero. *Sy.* quí istuc, miror. *Ch.* jám scies.
Sy. Máne, mane, quid est, quód tam a nobis gráviter crepuerúnt fores?

Actus III. Scena V.

Sostrata. Chremes. Nutrix. Syrus.

So. Nisi me ánimus fallit, híc profecto est ánulus, quem ego súspicor:
Is, quícum exposita est gnáta. *Ch.* quid volt síbi, Syre, haec orátio?
So. Quid est? ísne tibi vidétur? *Nu.* dixi equidem, úbi mi ostendisti, ílico,
Eum ésse. *So.* at satis ut cóntemplata módo sis, mea nutríx. *Nu.* satis.
So. Abi núnc ïam intro; atque ílla si jam láverit, mihi núntia.
Hic égo virum interea ópperibor. *Sy.* té volt: videas quíd velit:
Nescío quid tristis ést: non temere 'st: métuo quid sit. *Ch.* quíd siet?
Ne ista, hércle, magno jám conatu mágnas nugas díxerit.

So. Ehem mí vir. *Ch.* ehem mea úxor. *So.* te ipsum quaéro.
Ch. loquere, quíd velis.
So. Prímum hoc te oro, né quid credas me ádversum edictúm tuum
Fácere esse ausam. *Ch.* vín' me istuc tibi, etsi íncredibile 'st, crédere?
Crédo. *Sy.* nescio quíd peccati pórtat haec purgátio.
So. Méministin' me grávidam, et mihi te máxumo opere edícere,
Sí puellam párerem, nolle tólli? *Ch.* scio quid féceris.
Sustulísti. *Sy.* si sic ést factum, domina, érgo erus damno aúctus est.
So. Mínime: set erat híc Corinthia ánus haut inpura: ei dedi
E'xponendam. *Ch.* o lúppiter, tantam ésse in animo inscítiam?
So. Périi. quid ego féci? *Ch.* at rogitas? *So.* sí peccavi, mí Chreme,
I'nsciens feci. *Ch.* íd quidem ego, si tú neges, certó scio,
Te ínscientem atque ínprudentem dícere ac facere ómnia;
Tót peccata in hác re ostendis. nám jam primum, sí meum
I'mperium exsequí voluisses, íneremptam opórtuit:
Nón simulare mórtem verbis, re ípsa spem vitaé dare.
A't id omitto: mísericordia, ánimus maternús: sino.
Quám bene vero abs té prospectum est! quíd voluisti? cógita:
Némpe illi anui pródita abs te fília est planíssume,
Pér te vel uti quaéstum faceret, vél uti venirét palam.
Crédo, id cogitásti: Quidvis sátis est, dum vivát modo.
Quíd cum illisce agás, qui neque jus, néque bonum atque aequóm sciunt?
Mélius, pejus, prósit, obsit, níl vident, nisi quód lubet?
So. Mí Chreme, peccávi, fateor: víncor. nunc hoc te óbsecro;
Quándo tuus est ánimus, natu grávior, ignoscéntior,
U't meae stultitiaé justitia túa sit aliquid praésidi.
Ch. Scílicet equidem ístuc factum ignóscam: verum, Sóstrata,
Mále docet te méa facilitas múlta. sed istuc quícquid est,
Quá hoc occeptum 'st caúsa, eloquere. *S.* ut stúltae et miserae omnés sumus
Réligiosae; cum éxponendam dó illi, de digito ánulum
Détraho: et eum díco ut una cúm puella expóneret;
Sí moreretur, ne éxpers partis ésset de nostrís bonis.
Ch. I'stuc recte: cónservasti té atque illam. *So.* hic is est ánulus.
Ch. U'nde habes? *So.* quam Bácchis secum addúxit adulescéntulam: *Sy.* hem.
Ch. Quíd ea narrat? *So.* éa, lavatum dum ít, servandum míhi dedit.
A'nimum non advórti primum: sét postquam aspexi, ílico

Cógnovi, ad te exílui. *Ch.* quid nunc súspicare aut ínvenis
Deílla? *So.* nesció; nisi ex ipsa quaéras, unde hunc hábuerit,
Sí potis est reperíri. *Sy.* interii: plús spei video, quám volo,
Nóstra est, si ita est. *Ch.* vívitne illa, cuí tu dederas? *So.* néscio.
Ch. Quíd renuntiávit olim? *So.* fécisse id, quod jússeram.
Ch. Nómen mulierí cedo quod sit, út quaeratur. *So.* Phíltere.
Sy. Ípsa est. mirum, ní illa salva est, ét ego perii. *Ch.* Sóstrata,
Séquere me intro hac. *So.* út praeter spem evénit. quam timuí male,
Né nunc animo ita ésses duro, ut ólim in tollendó, Chreme.
Ch. Nón licet hominem ésse saepe ita út volt, si res nón sinit.
Núnc ita tempus férf, mi ut cupiam fíliam; olim níl minus.

Actus III. Scena VI.

Syrus.

Nisi me ánimus fallit, haút permultum a me áberit infortúnium:
Ita hác re in angustum óppido nunc meaé coguntur cópiae:
Nisi áliqua video, ne ésse amicam hanc gnáti resciscát senex.
Nam, quód de argento spérem aut posse póstulem me fállere,
Nihil ést: triumpho, sí licet me látere tecto abscédere.
Cruciór, bolum mihi tántum ereptum tám desubito e faúcibus.
Quid agam? aút quid comminíscar? ratio de íntegro ineundá 'st mihi.
Nil tám difficile 'st, quín quaerendo invéstigari póssiet.
Quid, si hóc nunc sic incípiam? nihil est. quíd, si sic? tantúmdem ago.
At síc opinor. nón potest. immo óptume. euge habeo óptumam.
Retraham hércle opinor ád me idem illud fúgitivum argentúm tamen.

Actus IV. Scena I.

Clinia. Syrus.

Nullá mihi res posthác potest jam intérvenire tánta,
Quae mi aégritudinem ádferat: tanta haéc laetitia obórta est.
Dedó patri me núnc ïam, ut frugálior sim, quám volt.
Sy. Nil mé fefellit: cógnita est, quantum aúdio hujus vérba.
Istúc tibi ex senténtia tua óbtigisse laétor.
Cl. O mí Syre, audisti óbsecro? *Sy.* quidní? qui usque una adfúerim.
Cl. Cuiquam aéque audisti cómmode quicquam évenisse? *Sy.* núlli.
Cl. Atque íta me di ament, út ego nunc non tám meapte caúsa
Laetór, quam illius: quam égo scio esse honóre quovis dígnam.

Sy. Ita crédo: set nunc, Clínia, age, da té mihi vicíssim:
Nam amíci quoque res, ést videndum, in túto ut conlocétur:
Ne quíd de amica núnc senex. *Cl.* o Iúppiter. *Sy.* quiésce.
Cl. Antíphila mea nubét mihi. *Sy.* sicíne mi interloquére?
Cl. Quid fáciam? Syre mi, gaúdeo: fer mé. *Sy.* fero hercle véro.
Cl. Deórum vitam aptí sumus. *Sy.* frustra óperam, opinor, súmo.
Cl. Loquere: aúdio. *Sy.* at jam hoc nón ages. *Cl.* agám.
Sy. videndum est, ínquam,
Amíci quoque res, Clínia, tui in túto ut conlocétur.
Nam sí nunc a nobís abis, et Bácchidem hic relínquis;
Nostér resciscet ílico, esse amícam hanc Clitiphónis:
Si abdúxeris; celábitur, itidem út celata adhúc est.
Cl. At enim ístoc nihil est mágis, Syre, meis núptiis advórsum:
Nam quo óre appellabó patrem? tenés, quid dicam? *Sy.* quídni?
Cl. Quid dícam? quam causam ádferam? *Sy.* quin nólo mentiáre:
Apérte, ita ut res sése habet, narráto. *Cl.* quid aïs? *Sy.* júbeo:
Illám te amare, et vélle uxorem: hanc ésse Clitiphónis.
Cl. Bonam átque justam rem óppido imperás, et factu fácilem.
Et scílicet jam me hóc voles patrem éxorare, ut célet
Senem vóstrum. *Sy.* immo ut rectá via rem nárret ordine ómnem. *Cl.* hem.
Satin' sánus es, aut sóbrius? tu quídem illum plane pródis:
Nam quí ille poterit ésse in tuto, díc mihi.
Sy. Huíc equidem consílio palmam do: híc me magnífice écfero,
Quí vim tantam in me ét potestatem hábeam tantae astútiae,
Véra dicendo út eos ambos fállam; ut cum narrét senex
Vóster nostro, esse ístam amicam gnáti, non credát tamen.
Cl. A't enim spem istoc pácto rursum núptiarum omnem éripis.
Nám dum amicam hanc méam esse credet, nón committet fíliam.
Tú fors, quid me fíat, parvi péndis, dum illi cónsulas.
Sy. Quíd, malum, me aetátem censes vélle id adsimulárier?
U'nus est diés, dum argentum erípio: pax: nihil ámplius.
Cl. Tántum sat habes? quíd tum quaeso, si hóc pater rescíverit?
Sy. Quíd, si redeo ad íllos, qui ajunt, quíd si nunc caelúm ruat?
Cl. Métuo, quid agam. *Sy.* métuis? quasi non éa potestas sít tua,
Quó velis in témpore ut te exsólvas, rem faciás palam.
Cl. A'ge, age, traducátur Bacchis. *Sy.* óptume, ipsa exít foras.

Actus IV. Scena II.

Bacchis. Clinia. Syrus. Dromo. Phrygia, ancilla.

Ba. Satis pól proterve mé Syri promíssa huc induxérunt,
Decém minas, quas míhi dare est pollícitus. quod si is núnc me

Decéperit, saepe óbsecrans me, ut véniam, frustra véniet:
Aut cúm venturam díxero et constítuero, cum is cérto
Renúntiabit, Clítipho cum in spé pendebit ánimi;
Decípiam, ac non veniám. Syrus mihi térgo poenas péndet.
Cl. Satis scíte promittít tibi. *Sy.* atqui tu hánc jocari crédis?
Faciét, nisi caveo. *B.* dórmiunt. ego pól istos commovébo.
Mea Phrýgia, audistin', módo iste homo quam víllam demonstrávit
Charíni? *Ph.* audivi. *B.* próxumam esse huic fúndo ad dextram? *Ph.* méminí.
Ba. Currículo percurre: áput eum milés Dionysia ágitat.
Sy. Quid haec coéptat? *B.* dic, me hic óppido esse invítam atque adservári:
Verum áliquo pacto vérba me his datúram esse et ventúram.
Sy. Perii hércle. Bacchis, máne, mane: quo míttis istanc, quaéso?
Iube máneat. *B.* i. *Sy.* quin ést paratum argéntum. *B.* quin ego hic máneo.
Sy. Atquí jam dabitur. *B.* út lubet. num ego ínsto? *Sy.* at scin' quid, sódes?
Ba. Quid? *Sy.* tránseundum núnc tibi ad Menedémum est, et tua pómpa
Eo tráducenda est. *B.* quám rem agis, scelus? *Sy.* égon'? argentum cúdo,
Quod tíbi dem. *B.* dignam mé putas, quam inlúdas? *Sy.* non est témere.
Ba. Etiámne tecum hic rés mihi est? *Sy.* minimé: tuum tibi réddo.
Ba. Eátur. *Sy.* sequere hac: heús, Dromo. *Dr.* quis mé volt? *Sy.* Syrus. *Dr.* quid ést rei?
Sy. Ancíllas omnis Bácchidis tradúce huc ad vos própere.
Dr. Quamobrém? *Sy.* ne quaeras: écferant, quae sécum huc attulérunt.
Sperábit sumptum síbi senex levátum esse harunc ábitu:
Ne ille haút scit, hoc paulúm lucri quantum eíi damni appórtet.
Tu néscis, id quod scís, Dromo, si sápies. *Dr.* mutum díces.

Actus IV. Scena III.

Chremes. Syrus.

Ita mé di amabunt, út nunc Menedemí vicem
Miserét me; tantum dévenisse ad eúm mali.
Illáncine mulierem álere cum illa fámilia?
Etsí scio, hosce aliquót dies non séntiet:
Ita mágno desidério fuit ei fílius.
Verum úbi videbit, tántos sibi sumptús domi

Cotídiano fíeri, nec fierí modum,
Optábit, rúrsum ut ábeat ab se fílius.
Syrum óptume eccum. *Sy.* césso hunc adorirí? *Ch.* Syre.
Sy. hem.
Ch. Quid ést? *Sy.* te mi ipsum jámdudum optabám dari.
Ch. Vidére egisse jám nescio quid cúm sene.
Sy. De illó, quod dudum? dictum ac factum réddidi.
Ch. Bonán' fide? *Sy.* bona. *Ch.* hércle non possúm pati,
Quin tíbi caput demúlceam: accede húc, Syre:
Faciám boni tibi áliquid pro ista re, ác lubens.
Sy. At sí scias quam scíte in mentem vénerit.
Ch. Vah, glóriare evénisse ex sententia?
Sy. Non hércle vero, vérum dico. *Ch.* díc quid est?
Sy. Tui Clitiphonis ésse amicam hanc Bácchidem
Menedémo dixit Clínia; et ea grátia
Se eam tráduxisse, né tu id persentísceres.
Ch. Probé. *Sy.* dic sodes. *Ch.* nímium, inquam. *Sy.* immo
sic satis.
Set pórro ausculta; quíd super falláciae est.
Se deínde dicit tuám vidisse fíliam:
Eius síbi complacitam fórmam, postquam aspéxerit:
Hanc cúpere uxorem. *Ch.* módone quae inventa ést? *Sy.* eam:
Et quídem jubebit pósci. *Ch.* quamobrem istúc, Syre?
Nam prórsus nihil intéllego. *Sy.* vah, tárdus es.
Ch. Fortásse. *Sy.* argentum dábitur eii ad núptias,
Aurum átque vestem quí, tenesne? *Ch.* cómparet?
Sy. Id ípsum. *Ch.* at ego illi néque do neque despóndeo.
Sy. Nam quámobrem? *Ch.* quamobrem? mé rogas? homini?
Sy. út lubet.
Non égo dicebam, in pérpetuum ut illam illí dares:
Verum út simulares. *Ch.* nón meum 'st simulátio:
Ita tu ístaec tua miscéto, ne me admísceas.
Ego, cuí daturus nón sum, ut ei despóndeam?
Sy. Credébam. *Ch.* minime. *Sy.* scíte poterat fíeri:
Et ego hóc, quia dudum tú tantopere jússeras,
Eo coépi. *Ch.* credo. *Sy.* céterum equidem istúc, Chreme,
Aequí bonique fácio. *Ch.* atqui cum máxume
Volo, té dare operam, ut fíat, verum aliá via.
Sy. Fiát: quaeratur áliud, sed illud, quód tibi
Dixí de argento, quód ista debet Bácchidi,
Id núnc reddendum 'stílli: neque tu scílicet
Eo núnc confugies, quíd mea? num míhi datum 'st?
Num jússi? num illa oppígnerare fíliam
Meám me invito pótuit? vere illúd, Chreme,
Dicúnt, jus summum saépe summa est málitia.

Ch. Haut fáciam. *Sy.* immo aliis sí licet, tibi nón licet.
Omnés te in lauta esse ét bene aucta ré putant.
Ch. Quin égomet jam ad eam déferam. *Sy.* immo fílium
Iube pótius. *Ch.* quamobrem? *Sy.* quía enim in hunc suspício'st
Transláta amoris. *Ch.* quíd tum? *Sy.* quia vidébitur
Magis vérisimile id ésse, cum hic illí dabit:
Et símul conficiam fácilius ego, quód volo.
Ipse ádeo adest: abi: éffer argentum. *Ch.* éffero.

Actus IV. Scena IV.

Clitipho. Syrus.

Cl. Nulla ést tam facilis rés, quin difficilís siet,
Quam invítus facias. vél me haec deambulátio,
Quam nón laboriósa, ad languorém dedit.
Nec quícquam magis nunc métuo, quam ne dénuo
Miser áliquo extrudar hínc, ne accedam ad Bácchidem.
Ut té quidem omnes dí deae, quantúm'st, Syre,
Cum túo isto invento cúmque incepto pérduint.
Hujúsmodi mihi res sémper comminíscere,
Ubi me éxcarnufices. *Sy.* íbin' hinc quo dígnus es?
Quam paéne tua me pérdidit protérvitas!
Cl. Vellem hércle factum, ita méritus's. *Sy.* meritus? quómodo?
Ne me ístuc prius ex te aúdivisse gaúdeo,
Quam argéntum haberes, quód daturus jám fui.
Cl. Quid ígitur dicam tibi vis? abiísti, mihi
Amícam adduxti, quám non liceat tángere.
Sy. Iam nón sum iratus. sét scin', ubi nunc sít tibi
Tua Bácchis? *Cl.* aput nos. *Sy.* nón. *Cl.* ubi ergo? *Sy.* aput Clíniam.
Cl. Perii. *Sy.* bono animo es: jam árgentum ad eam déferes,
Quod eï és pollicitus. *Cl.* gárris. unde? *Sy.* a tuó patre.
Cl. Ludís fortasse me. *Sy.* ípsa re experíbere.
Cl. Ne ego fórtunatus hómo sum. deamo té, Syre.
Sy. Set páter egreditur. cáve, quicquam admirátus sís,
Qua caúsa id fiat: óbsecundato ín loco:
Quod ímperabit fácito: loquitor paúcula.

Actus IV. Scena V.

Chremes. Clitipho. Syrus.

Ch. Ubi Clítipho nunc? *Sy.* éccum me, inque. *Cl.* eccum híc. tibi.

Ch. Quid reí esset dixti huic? *Sy.* díxi pleraque ómnia.
Ch. Cape hóc argentum, ac défer. *Sy.* i. quid stás, lapis?
Quin áccipis? *Cl.* cedo sáne. *Sy.* sequere hac me ócius:
Tu hic nós, dum eximus, ínterea opperíbere:
Nam níhil est, illic quód moremur diútius.
Ch. Minás quidem jam décem habet a me fília,
Quas pró alimentis ésse nunc ducó datas;
Hasce órnamentis cónsequentur álterae;
Porro haéc talenta dótis adposcént duo.
Quam múlta, justa injústa, fiunt móribus?
Mihi núnc, relictis rébus, inveniúndus est
Aliquis, labore invénta mea cui dém bona.

Actus IV. Scena VI.

Menedemus. Chremes.

Me. Multo ómnium me núnc fortunatíssimum
Factúm puto esse, gnáte; cum te intéllego
Resipísse. *Ch.* ut errat. *M.* té ipsum quaerebám, Chreme:
Servá, quod in te est, fílium et me et fámiliam.
Ch. Cedo, quíd vis faciam? *M.* invénisti hodie fíliam.
Ch. Quid tum? *M.* hánc uxorem síbi dari volt Clínia.
Ch. Quaesó, quid hominis és. *M.* quid? *Ch.* jamne oblítus es,
Intér nos quid sit díctum de fallácia,
Ut eá via abs te argéntum auferretúr? *M.* scio.
Ch. Ea rés nunc agitur ípsa. *M.* quid narrás, Chreme?
Immo haéc quidem, quae apút me est, Clitíphónis est
Amíca. *Ch.* ita ajunt: ét tu credis ómnia:
Et illam ájunt velle uxórem, ut cum despónderim,
Des, qui aúrum ac vestem atqueália, quae opus sunt, cómparet.
M. Id ést profecto: id amícae dabitur. *Ch.* scílicet
Datum íri. *M.* ah, frustra sum ígitur gavisús miser.
Quidvís tamen jam málo, quam hunc amíttere.
Quid núnc renuntiem ábs te responsúm, Chreme?
Ne séntiat me sénsisse, atque aegré ferat.
Ch. Aegré? nimium illi, Ménedeme, índulgés. *M.* sine:
Incéptum'st: perfice hóc mi perpetuó, Chreme.
Ch. Dic cónvenisse, egísse te de núptiis.
M. Dicám. quid deinde? *Ch.* mé facturum esse ómnia,
Generúm placere; póstremo etiam, sí voles,
Despónsam quoque esse dícito. *M.* em, istuc vólueram.
Ch. Tanto ócius te ut póscat, et tu, id quód cupis,
Quam ocíssime ut des. *M.* cúpio. *Ch.* ne tu própediem,
Ut istám rem vídeo, istíus obsaturábere.
Set haéc ut ut sunt, caútim et paulatím dabis,

Si sáp'es. *M.* faciam. *Ch.* abi íntro: vide, quid póstulet.
Ego dómi ero, si quid mé voles. *M.* sané volo:
Nam té scientem fáciam, quicquid égero.

Actus V. Scena I.

Menedemus. Chremes.

M. E'go, me non tam astútum, neque ita pérspicacem esse, id scio:
Sét hic adjutor méus et monitor ét praemonstratór Chremes
Hóc mihi praestat: ín me quidvis hárum rerum cónvenit,
Quaé sunt dicta in stúltum, caudex, stípes, asinus, plúmbeus:
I'n illum nil potést: exsuperat eius stultitia haec ómnia.
Ch. O'he, jam desiné deos uxor grátulando obtúndere,
Túam esse inventam gnátam: nisi illos éx tuo ingenio júdicas,
U't nil credas íntellegere, nísi idem dictum'st cénties.
Sét interim, quid illíc jamdudum gnátus cessat cúm Syro?
M. Quós aïs hominés, Chreme, cessáre? *Ch.* ehem Menedeme, ádvenis?
Díc mihi, Cliniaé, quae dixi, núntiastin'? *M.* ómnia.
Ch. Quíd aït? *M.* gaudere ádeo occepit; quási qui cupiunt núptias.
Ch. Há ha hae. *M.* quid risísti? *Ch.* servi vénere in mentém Syri
Cálliditates. *M.* ítane? *Ch.* voltus quóque hominum fingít scelus.
M. Gnátus quod se adsímulat laetum, id dícis? *Ch.* id. *M.* idem istúc mihi
Vénit in mentém. *Ch.* veterator. *M.* mágis, si magis nóris, putes
I'ta rem esse. *Ch.* ain' tu? *M.* quín tu ausculta. *Ch.* mánedum, hoc prius scire éxpeto,
Quíd perdideris. nam úbi desponsam núntiasti fílio;
Cóntinuo injecísse verba tíbi Dromonem scílicet,
Spónsaë aurum, véstem, ancillas, ópus esse: argentum út dares.
M. Nón. *Ch.* qui non? *M.* non, ínquam. *Ch.* neque ipse gnátus? *M.* nil prorsúm, Chreme.
Mágis unum etiam instáre, ut hodie cónficerentur núptiae.
Ch. Míra narras. quid Syrus meus? ne ís quidem quicquám? *M.* nihil.
Ch. Quámobrem, nescio. *M.* équidem miror, quiália tam plané scias.
Sét ille tuum quoqué Syrus idem míre finxit fílium,
U't ne paululúm quidem subolat, ésse amicam hanc Clíniae.

Ch. Quíd aïs? *M.* mitto jam ósculari atque ámplexari: id níl puto.
Ch. Quíd est, quod ampliús simuletur? *M.* váh. *Ch.* quid est? *M.* audí modo:
E'st mihi ultimís conclave in aédibus quoddám retro,
Húc est intro látus lectus: véstimentis strátus est.
Ch. Quíd postquam hoc est fáctum? *M.* dictum fáctum, huc abiit Clítipho.
Ch. Sólus? *M.* solus. *Ch.* tímeo. *M.* Bacchis cónsecuta'st ílico.
Ch. Sóla? *M.* sola. *Ch.* périi. *M.* ubi abiere íntro, operuere óstium. *Ch.* hem,
Clínia haec fieri videbat? *M.* quídni? mecum unà simul.
Ch. Fili ést amica Bácchis; Menedeme: óccidi.
M. Quamobrém? *Ch.* decem diérum vix mi est fámilia.
M. Quid? istúc times, quod ille óperam amico dát suo?
Ch. Immó, quod amicae. *M.* sí dat. *Ch.* an dubium íd tibi est?
Quemquámne tam animo cómi esse et leni putas,
Qui sé vidente amícam patiatúr suam?
M. Quidní? quo verba fácilius dentúr mihi.
Ch. Derídes? merito. ut míhi nunc ego suscénseo.
Quot rés dedere, ubi póssem persentíscere,
Nisi si éssem lapis? quae vídi? vae miseró mihi.
At né illud haut inúltum, si vivó, ferent:
Nam jám. *M.* non tu te cóhibes? non te réspicis?
Non tíbi ego exempli sátis sum? *Ch.* prae iracúndia,
Menedéme, non sum apút me. *M.* tene istúc loqui?
Nonne íd flagitium'st, te áliis consiliúm dare,
Foris sápere, tibi non pósse te auxiliárier?
Ch. Quid fáciam? *M.* id, quod tu mé fecisse aibás parum:
Fac, té esse patrem ut séntiat: fac, ut aúdeat
Tibi crédere omnia, ábs te petere et póscere:
Ne quam áliam quaerat cópiam, ac te déserat.
Ch. Immo ábeat potius málo quovis géntium,
Quam híc per flagitium ad inopiam redigát patrem:
Nam si íllius pergo súppeditare súmptibus,
Menedéme, mihi illic vére ad rastros rés redit.
M. Quod incómmodi tibi in hác re accipies, nísi caves?
Difficilem ostendes té esse, et ignoscés tamen
Post: ét id ingratum. *Ch.* ah, néscis, quam doleam. *M.* út lubet.
Quid hoc, quód volo, ut illa núbat nostro? nísi quid est,
Quod mávis. *Ch.* immo et géner et adfinés placent.
M. Quid dótis dicam té dixisse fíliae?
Quid ópticuisti? *Ch.* dótis? *M.* ita dico. *Ch.* áh. *M.* Chreme,
Ne quíd vereare, sí minus: nil nos dós movet.

Ch. Dúo talenta pró re nostra ego ésse decreví satis:
Sét ita dictu est ópus, si me vis sálvom esse et rem et fílium,
Mé mea omniá bona doti díxisse illi. *M.* quám rem agis?
Ch. I'd mirari té simulato, et íllum hoc rogitató simul,
Quámobrem id faciam. *M.* quín ego vero, quámobrem id facias, néscio.
Ch. E'gone? ut ejus ánimum, qui nunc lúxuria et lascívia
Diffluit, retúndam, redigam, ut, quó se vortat, nésciat.
M. Quíd agis? *Ch.* mitte ac síne, me in hac re gérere mihi morém. *M.* sino:
I'tane vis? *Ch.* ita. *M.* fíat. *Ch.* ac jam, uxórem ut accersát, paret.
Híc ita, ut liberós est aequom, díctis confutábitur,
Sét Syrum. *M.* quid eum? *Ch.* égo, si vivo, eum ádeo exornatúm dabo,
A'deo pexum, usque út dum vivat, méminerit sempér mei;
Quí sibi me pro déridículo ac délectamentó putat.
Nón, ita me di amént, auderet, fácere haec viduae múlieri,
Quae ín me fecit. —

Actus V. Scena II.

Clitipho. Menedemus. Chremes. Syrus.

Cl. — I'tane tandem, quaéso, est, Menedeme, út pater
Tam ín brevi spatio ómnem de me ejécerit animúm patris?
Quódnam ob facinus? quíd ego tantum scéleris admísi miser?
Vólgo faciunt. *M.* scío, tibi esse hoc grávius multo ac dúrius,
Cuí fit: verum ego haút minus aegre pátior. id qui, néscio
Néc rationem cápio, nisi quod tíbi bene ex animó volo.
Cl. Híc patrem astare aíbas? *M.* eccum. *Ch.* quíd me incusas, Clítipho?
Quícquid ego huius féci, tibi prospéxi et stultitiaé tuae.
U'bi te vidi animo ésse omisso, et suávia in praeséntia
Quaé essent, prima habére, neque consúlere in longitúdinem:
Cépi rationem, út neque egeres, néque ut haec posses pérdere.
U'bi, cui decuit prímo, tibi non lícuit per te míhi dare;
A'bii ad proxumós, tibi qui erant: eís commisi et crédidi.
I'bi tuae stultítiae semper erít praesídium, Clítipho,
Víctus, vestitús, quo in tectum té receptes. *Cl.* eí mihi.
Ch. Sátius est, quam te ípso herede haec póssidere Bácchidem.
Sy. Dísperii. sceléstus quantas túrbas concivi ínsciens?
Cl. E'mori cupió. *Ch.* prius, quaeso, dísce, quid sit vívere.
U'bi scies, si displícebit víta, tum istoc útitor.
Sy. E're, licetne? *Ch.* lóquere, *Sy.* at tuto, *Ch.* lóquere.
Sy. quae istaec právitas,

Quaéve amentia ést, quod peccavi égo, id obesse huic? *Ch.* ílicet.
Né te admisce: némo accusat, Sýre, te; nec tu arám tibi,
Néc precatorém pararis. *Sy.* quíd agis? *Ch.* nil suscénseo,
Néc tibi, nec tíbi: nec vos est aéquom, quod fació mihi.
Sy. Abiít? rogasse véllem. *Cl.* quid, Syre? *Sy.* únde mi peterém cibum:
Ita nós abalienávit. tibi jam esse ád sororem intéllego.
Cl. Adeón' rem rediisse, út periclum etiam á fame mihi sít, Syre?
Sy. Modo líceat vivere, ést spes. *Cl.* quae? *Sy.* nos ésurituros satis.
Cl. Inrídes in re tánta, neque me quícquam consilio ádjuvas?
Sy. Immo ét ibi nunc sum, et úsque id egi dúdum, dum loquitúr pater.
Et quántum ego intellégere possum. *Cl.* quíd? *Sy.* non abcrit lóngius.
Cl. Quid id érgo? *Sy.* sic est, nón esse horum te árbitror. *Cl.* qui istúc, Syre?
Satin' sánus es? *Sy.* ego dícam, quod mi in méntem est: tu dijúdica.
Dum istis fuisti sólus, dum nulla ália delectátio,
Quae própior esset, te índulgebant; tíbi dabant: nunc fília
Postquam ést inventa, invénta vero est caúsa, qua te expélleront.
Cl. Est vérisimile. *Sy.* an tu ób peccatum hoc tám esse illum iratúm putas?
Cl. Non árbitror. *Sy.* nunc áliud specta: mátres omnes fíliis
In péccato adjutríces, auxilio ín paterna injúria
Solent ésse: id non fit. *Cl.* vérum dicis: quid érgo nunc faciám, Syre?
Sy. Suspícionem istánc ex illis quaére: rem profér palam: aut,
Si nón est verum, ad misericordiam ámbos adducés cito;
Aut scíbis, cujus sis. *Cl.* récte suades: fáciam. *Sy.* sat recte hóc mihi
In méntem venit: námque adulescens, quam ín minima spe sítus erit,
Tám facillume pátris pacem in léges conficiét suas.
Etiam haút scio, anne uxórem ducat: ác Syro nil grátiae.
Quid hoc aútem? senex exít foras: ego fúgio. adhuc quod fáctum'st,
Mirór, non jusse, me ábripi hinc: nunc ád Menedemum hunc pérgam.
Eum míhi precatorém paro: seni nóstro nil fidei hábeo.

Actus V. Scena III.

Sostrata. Chremes.

So. Profe'cto, nisi cavés tu homo, aliquid gnáto conficiés mali:
Idque ádeo miror, quómodo
Tam inéptum quicquam tíbi venire in méntem, mi vir, pótuerit.
Ch. Oh, pérgin' mulier ésse? nullamne égo rem umquam in vitá mea
Voluí, quin tu in eá re mi advorsátrix fueris, Sóstrata?
At, sí jam rogitem, quíd est, quod peccem; aut quámobrem id fácias; néscias,
In quá re nunc tam cónfidenter réstas, stulta. *So.* ego néscio?
Ch. Immó scis potius. quám quidem redit ad íntegrum eadem orátio. *So.* oh,
Iníquos es, qui mé tacere dé re tanta póstules.
Ch. Non póstulo: jam lóquere: nihilo mínus ego hoc faciám tamen.
So. Fácies? *Ch.* verum. *So.* nón vides quantúm mali ex ea re éxcites?
Súbditum se súspicatur. *Ch.* aín' tu? *So.* certe síc erit.
Ch. Cónfitere. *So.* au óbsecro, istuc nóstris inimícis siet.
E'gon' confitear, meúm non esse fílium, qui sít meus?
Ch. Quid? métuis, ne non, cúm velis, convíncas, esse illúm tuum?
So. Quod fília est invénta? *Ch.* non: set, quó magis credundúm siet,
Quod ést consimilis móribus,
Convínces facile, ex té esse natum: nám tui similis ést probe:
Nam ílli nil viti ést relictum, quín id itidem sít tibi.
Túm praeterea tálem, nisi tu, núlla pareret fílium.
Sét ipse egreditur, quám severus: rém cum videas, cénseas!

Actus V. Scena IV.

Clitipho. Sostrata. Chremes.

Cl. Si úmquam ullum fuit témpus, mater, cum égo voluptatí tibi
Fúerim, dictus fílius tuus tuá voluntate, óbsecro,
Eíus ut memínerís, atque inopis núnc te miserescát mei;
Quód peto et voló, parentis meós ut commonstrés mihi.
So. O'bsecro, mi gnáte, ne istuc in animum inducás tuum,
A'lienum esse té. *Cl.* sum. *So.* miseram me, hócine quaesisti, óbsecro?
I'ta mihi atque huic sís superstes, ut éx me atque ex hoc nátus es:

E't cave posthac, sí me amas, umquam ístuc verbum ex te audiam.
Ch. A't ego, si me métuis, mores cáve in te esse istos séntiam.
Cl. Quós? *Ch.* si scire vís, ego dicam: gérro, iners, fraus, hélluo,
Gáneo, damnósus: crede, et nóstrum te esse crédito.
Cl. Nón sunt haec paréntis dicta. *Ch.* nón, si ex capite sís meo
Nátus, item ut ajúnt Minervam esse éx Iove, ea causá magis
Pátiar, Clitiphó, flagitiis tuís me infamem fíeri.
So. Dí istaec prohibeánt. *Ch.* deos nescio: égo quod potero, sédulo.
Quaéris id, quod habés, parentis: quód abest, non quaerís, patri
Quó modo obsequáre: et serves, quód labore invénerit.
Tén' mi per fallácias addúcere ante oculós? pudet
Dícere hac praesénte verbum túrpe: at te id nulló modo
Fácere puduit. *Cl.* éheu, quam ego nunc tótus displiceó mihi,
Quám pudet: neque, quód principium incípiam ad placandúm, scio.

Actus V. Scena V.

Menedemus. Chremes. Clitipho. Sostrata.

Me. E'nimvero Chremés nimis graviter crúciat adulescéntulum,
Nímisque inhumane. éxeo ergo, ut pácem conciliem. óptume
I'psos video. *Ch.* chém, Menedeme, cúr non accersí jubes
Fíliam, et quod dótis dixi, fírmas? *So.* mi vir, te óbsecro,
Né facias. *Cl.* pater, óbsecro mi ignóscas. *M.* da veniám, Chreme:
Sine te éxorent. *Ch.* egon' méa bona ut dem Bácchidi donó sciens?
Nón faciam. *M.* at nos nón sinemus. *Cl.* sí me vivom vís, pater,
I'gnosce. *So.* age, Chremés mi. *M.* age, quaeso, né tam offirma té, Chreme.
Ch. Quíd istic? video, nón licere, ut coéperam, hoc perténdere.
Me. Fácis, ut te decét. *Ch.* ea lege hoc ádeo faciam: si íd facit,
Quód ego hunc aequom cénseo. *Cl.* pater, ómnia faciam: ímpera.
Ch. U'xorem ut ducás. *Cl.* pater. *Ch.* nihil aúdio. *M.* ad me récipio;
Fáciet. *Ch.* nil etiam aúdio ipsum. *Cl.* périi. *So.* an dubitas, Clítipho?

Ch. I'mmo utrum volt. *M.* fáciet omnia. *So.* haéc dum incipias, grávia sunt:
Dúmque ignores: úbi cognoris, fácilia. *Cl.* faciám, pater.
So. Gnáte mi, ego pol tíbi dabo illam lépidam, quam tu fácile ames,
Fíliam Phanócratae nostri. *Cl.* rúfamne illam vírginem,
Caésiam, sparso óre, adunco náso? non possúm, pater.
Ch. Heía, ut elegáns est: credas ánimum ibi esse. *So.* aliám dabo.
Cl. I'mmo, quandoquidém ducenda est, égomet habeo própemodum,
Quám volo. *So.* nunc laúdo, gnate. *Cl.* Archónidi hujus fíliam.
So. Pérplacet. *Cl.* pater, hóc nunc restat. *Ch.* quíd? *Cl.* Syro ignoscás volo,
Quaé mea causa fécit. *Ch.* fiat. Vós valete, et plaúdite.

PROLOGUS.

Postquám poeta sénsit, scripturám suam
Ab iníquis observári, et adversários
Rapere ín pejorem pártem, quam acturí sumus:
Indício de se ipse érit: vos eritis júdices,
Laudín' an vitio dúci factum id opórteat.
Synápothnescontes Díphili comoédia 'st;
Eam Cómorientes Plaútus fecit fábulam.
In Graéca adulescens ést, qui lenoni éripit
Meretrícem in prima fábula: eum Plautús locum
Relíquit integrum. eum híc locum sumpsít sibi
In Adélphos, verbum dé verbo expressum éxtulit.
Eam nós acturi súmus novam: pernóscite,
Furtúmne factum exístumetis, án locum
Reprehénsum, qui praetéritus neclegéntia 'st.
Nam quód isti dicunt málevoli, homines nóbilis
Eum ádjutare, adsídueque una scríbere,
Quod illí maledictum véhemens esse exístumant,
Eam laúdem hic ducit máxumam; cum illís placet,
Qui vóbis univérsis et populó placent:
Quorum ópera in bello, in ótio, in negótio,
Suo quísque tempore úsus 'st sine supérbia.
Dehinc ne éxspectetis árgumentum fábulae:
Senés, qui primi vénient, hi partim áperient;
In agéndo partim osténdent. facite, aequánimitas
Poétae ad scribendum aúgeat indústriam.

Actus. I. Scena I.

Micio.

Storáx. non rediit hác nocte a cena Aéschinus:
Neque sérvolorum quísquam, qui advorsum íerant.
Profécto hoc vere dícunt: si absis úspiam,
Aut úbi si cesses; évenire ea sátius est,
Quae in te úxor dicit ét quae in animo cógitat
Iráta, quam illa, quaé parentes própitii.

ACTA LUDIS FUNEBRIB. AEMILI PAULLI QUOS FECERE Q. FABIUS MAXIMUS P. CORNELIUS AFRICANUS. EGERE L. ATILIUS PRAENESTINUS MINUTIUS PROTHIMUS. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDI TIBIIS SARRANIS. FACTA E GRAECA MENANDRU L. ANICIO M. CORNELIO COSS.

Fabulae interlocutores.

DEMEA, senex, pater Aeschini et Ctesiphonis.

AESCHINUS, adulescens, Demeae naturalis filius, idemque filius adoptivus Micionis patrui.

PAMPHILA, Aeschiniamica, postremum uxor.

HEGIO, senex, cognatus et amicus Simuli, patris defuncti Pamphilae. Pamphilae patronus.

MICIO, senex, frater Demeae, pater adoptivus Aeschini.

CTESIPHO, adulescens, filius Demeae, frater Aeschini.

SOSTRATA, Pamphilae mater.

CANTHARA, Pamphilae nutrix.

SANNIO, leno; herus fidicinae, a Ctesiphone amatae.

SYRUS, PARMENO, DROMO, servi vel Aeschini vel Micionis.

GETA, servus Sostratae.

PROLOGUS.

Postquám poeta sénsit, scripturám suam
Ab iníquis observári, et adversários
Rapere ín pejorem pártem, quam acturí sumus:
Indício de se ipse érit: vos eritis júdices,
Laudín' an vitio dúci factum id opórteat.
Synápothnescontes Díphili comoédia 'st;
Eam Cómorientes Plaútus fecit fábulam.
In Graéca adulescensést, qui lenoni éripit
Meretrícem in prima fábula: eum Plautús locum
Relíquit integrum. eum híc locum sumpsít sibi
In Adélphos, verbum dé verbo expressum éxtulit.
Eam nós acturi súmus novam: pernóscite,
Furtúmne factum exístumetis, án locum
Reprehénsum, qui praetéritus neclegéntia 'st.
Nam quód isti dicunt málevoli, homines nóbilis
Eum ádjutare, adsídueque una scríbere,
Quod illí maledictum véhemens esse exístumant,
Eam laúdem hic ducit máxumam; cum illís placet,
Qui vóbis univérsis et populó placent:
Quorum ópera in bello, in ótio, in negótio,
Suo quísque tempore úsus 'st sine supérbia.
Dehinc ne éxspectetis árgumentum fábulae:
Senés, qui primi vénient, hi partim áperient;
In agéndo partim osténdent. facite, aequánimitas
Poétae ad scribendum aúgeat indústriam.

ACTUS. I. SCENA I.

MICIO.

Storáx. non rediit hác nocte a cena Aéschinus:
Neque sérvolorum quísquam, qui advorsum íerant.
Profécto hoc vere dícunt: si absis úspiam,
Aut úbi si cesses; évenire ea sátius est,
Quae in te úxor dicit ét quae in animo cógitat
Iráta, quam illa, quaé parentes própitii.

Uxór, si cesses, aút te amare cógitat,
Aut téte amari, aut pótare atque animo óbsequi,
Et tíbi bene esse sóli, sibi cum sít male.
Ego, quía non rediit fílius, quae cógito?
Quibus núnc sollicitor rébus? ne aut ille álserit,
Aut úspiam cecíderit, aut praefrégerit
Aliquíd. vah, quemquamne hóminem in animo instítuere, aut
Paráre, quod sit cárius, quam ipse ést sibi?
Atque éx me hic natus nón est, set ex fratre. ís adeo
Dissímilis studio est. jam índe ab adulescéntia
Ego hánc clementem vítam urbanam, atque ótium
Secútus sum: et, quod fórtunatum istí putant,
Uxórem numquam habui. ílle, contra haec ómnia,
Ruri ágere vitam: sémper parce ac dúriter
Se habére: uxorem dúxit: nati fílii
Duo: índe ego hunc majórem adoptaví mihi:
Edúxi a parvolo, hábui, amavi pró meo:
In eó me oblecto: sólum id est carúm mihi.
Ille út item contra, me hábeat, facio sédulo:
Do, praétermitto: nón necesse habeo, ómnia
Pro meó jure agere: póstremo, alii clánculum
Patrés quae faciunt, quaé fert adulescéntia,
Ea né me celet, cónsuefeci fílium.
Nam, quí mentiri aut fállere, ita uti fít, patrem
Audébit, tanto mágis audebit céteros.
Pudóre et liberálitate líberos
Retinére, satius ésse credo, quám metu.
Haec frátri mecum nón conveniunt, néque placent.
Venit ád me saepe clámans, Quid agis, Mício?
Cur pérdis adulescéntem nobis? cúr amat?
Cur pótat? cur tu his rébus sumptum súggeris?
Vestítu nimio indúlges: nimium inéptus es.
Nimium ípse est durus praéter aequumque ét bonum:
Et érrat longe, meá quidem senténtia,
Qui impérium credat grávius esse aut stábilius,
Vi quód fit, quam illud, quód amicitia adjúngitur.
Mea sic est ratio, et sic animum inducó meum:
Maló coactus quí suum officiúm facit,
Dum id réscitum iri crédit, tantispér cavet:
Si spérat, fore clam, rúrsum ad ingeniúm redit.
Ille, quém beneficio adjúngas, ex animó facit:
Studet pár referre; praésens absensque ídem erit.
Hoc pátrium est, potius cónsuefacere fílium,
Sua spónte recte fácere, quam alienó metu:
Hoc páter ac dominus ínterest: hoc quí nequit,

Fateátur, nescire ímperare líberis.
Set éstne hic ipsus, dé quo agebam? et cérte is est.
Nescío quid tristem vídeo: credo jam, út solet,
Iurgábit. salvom te ádvenire, Démea,
Gaudémus. —

Actus I. Scena II.

Demea. Micio.

De. — Ehem, opportúne: te ipsum quaérito.
Mi. Quid trístis es? *D.* rogás me, ubi nobis Aéschinus
Siét, quid tristis égo sim? *M.* dixin' hóc fore?
Quid fécit? *D.* quid ille fécerit? quem néque pudet
Quicquám: nec metuit quémquam: neque legém putat
Tenére se ullam. nam illa, quae antehac fácta sunt,
Omítto: modo quid désignavit? *M.* quídnam id est?
De. Forés effregit, átque in aedis ínruit
Aliénas: ipsum dóminum atque omnem fámiliam
Mulcávit usque ad mórtem: eripuit múlierem,
Quam amábat. clamant ómnes, indigníssume
Factum ésse: hoc adveniénti quot mihi, Mício,
Dixére? in ore 'st ómni populo. dénique,
Si cónferendum exémplum est, non fratrém videt
Rei óperam dare, ruri ésse parcum ac sóbrium?
Nullum húius factum símile. haec cum illi, Mício,
Dicó, tibi dico. tú illum corrumpí sinis.
Mi. Homine ímperito númquam quicquam injústius 'st,
Qui, nísi quod ipse fécit, nil rectúm putat.
De. Quorsum ístuc? *M.* quia tu, Démea, haec male júdicas.
Non ést flagitium, míhi crede, adulescéntulum
Scortári, neque potáre: non est: néque fores
Effríngere. haec si néque ego, neque tu fécimus,
Non síit egestas fácere nos. tu núnc tibi
Id laúdi duces, quód tum fecisti ínopia?
Injúrium 'st: nam si ésset, unde fíeret,
Facerémus. et illum tú tuum, si essés homo,
Sinerés nunc facere, dúm per aetatém licet;
Potiús quam, ubi te exspectátum ejecissét foras,
Aliéniore aetáte post facerét tamen.
De. Pro Iúppiter, tu homo ádigis me ad insániam.
Non ést flagitium, fácere haec adulescéntulum? *M.* ah,
Auscúlta, ne me optúndas de hac re saépius.
Tuum fílium dedísti adoptandúm mihi:
Is méus est factus: sí quid peccat, Démea,
Mihi péccat: ego illi máxumam partém feram.

Obsónat, potat, ólet unguenta; dé meo:
Amat; dábitur a me argéntum, dum erit cómmodum:
Ubi nón erit, fortásse excludetúr foras.
Forés effregit, réstituentur: díscidit
Vestém, resarciétur. est, dis grátia,
Et únde haec fiant, ét adhuc non molésta sunt.
Postrémo aut desine, aút cedo quemvis árbitrum:
Te plúra in hac re péccare ostendam. *D.* eí mihi,
Pater ésse disce ab íllis, qui verí sient.
Mi. Natúra tu illi páter es, consiliís ego.
De. Tun' cónsulis quicquam? *M.* áh, si pergis, ábiero.
De. Sicíne agis? *M.* an ego tótiens de eadem re aúdiam?
De. Curae ést mihi. *M.* et mihi cúrae est. verum, Démea,
Curémus aequam utérque partem; tu álterum,
Ego item álterum. nam cúrare ambos, própemodum
Repóscere illum est, quém dedisti. *D.* ah, Mício.
Mi. Mihi síc videtur. *D.* quíd istic? si istuc tíbi placet,
Profúndat, perdat, péreat, nihil ad me áttinet.
Iam sí verbum ullum pósthac. *M.* rursum, Démea,
Irascere? *D.* an non crédis? repeton', quém dedi?
Aegré 'st: alienus nón sum: si obsto: em, désino.
Unúm vis curem, cúro. et est dis grátia,
Cum ita, út volo, est; istě tuus ipse séntiet
Postérius: nolo in íllum gravius dícere.
M. Nec níl, neque omnia haéc sunt, quae dicít; tamen
Non níl molesta haec súnt mihi: set osténdere,
Me aegré patí, illi nólui: nam ítá 'st homo:
Cum pláco, advorsor sédulo et detérreo;
Tamen víx humane pátitur: verum si aúgeam,
Aut étiam adjutor sím ejus iracúndiae,
Insániam profécto cum illo. etsi Aéschinus
Non núllam in hac re nóbis facit injúriam.
Quam hic nón amavit méretricem? aut cui nón dedit
Aliquíd? postremo, núper (credo jam ómnium
Taedébat) dixit, vélle uxorem dúcere.
Sperábam, jam deférvisse adulescéntiam:
Gaudébam. ecce autem de íntegro: nisi, quícquid est,
Volo scíre; atque hominem cónvenire, si áput forum est.

Actus II. Scena I.

Sannio leno. Aeschinus. Parmeno.

Sa. O'bsecro, populáres, ferte mísero atque innocénti auxilium:
Súbvenite inopi. *Ae.* ótiose, núnc iam ilico híc consiste:

Quíd respectas? níl pericli 'st: númquam, dum ego adero, híc te tanget.
Sa. E'go istam invitis ómnibus —
Ae. Quamquam ést scelestus, nón committet hódie umquam, iterum ut vápulet.
Sa. Aéschine, audi, né te ignarum fuísse dicas meórum morum,
Léno ego sum. *Ae.* scio. *Sa.* át ita, ut usquam fuít fide quisquam óptuma.
Tú quod te postérius purges, hánc injuriám mihi nolle
Fáctam esse, hujus non fáciam. crede hoc, égo meum jus persequar:
Néque tu verbis sólves umquam, quód mi re maleféceris.
Nóvi ego vestra haec, „Nóllem factum, júsjurandum dábitur, te indignum
E'sse injuria hác"; indignis cum égomet sim acceptús modis.
Ae. A'bi prae strenue; ác forem aperi. *Sa.* céterum hoc nihíl facis.
Ae. I íntro nunc ïam. *Sa.* át enim non sinam. *Ae.* áccede illuc, Pármeno:
Nímium istoc abísti: hic propter húnc adsiste: em, sic volo.
Cáve nunc jam, oculos á meis oculis quóquam demoveás tuos:
Ne móra sit, si innuerím, quin pugnus cóntinuo in mala haéreat.
Sa. Istúc volo ergo ipsum éxperiri. *Ae.* em, sérva. *Par.* omitte múlierem.
Sa. O fácinus miserandúm! *Ae.* geminabit, nísi caves. *Sa.* hei míseriam!
Ae. Non ínnueram: verum ín istam partem pótius peccató tamen.
I núnc ïam. *Sa.* quid hoc reíi est? regnumne, Aéschine, hic tu póssides?
Ae. Si póssiderem, ornátus esses éx tuis virtútibus.
Sa. Quid tíbi rei mecum 'st? *Ae.* níl. *Sa.* quid? nostin', quí sim? *Ae.* non desídero.
Sa. Tetigín' tui quicquam? *Ae.* si áttigisses, férres infortúnium.
Sa. Qui tíbi meam magis lícet habere, pró qua ego argentúm dedi?
Respónde. *Ae.* ante aedis nón fecisse erit mélius hic convícium:
Nam sí molestus pérgis esse, jam íntro abripiere; átque ibi
Usque ád necem opperiére loris. *Sa.* lóris liber? *Ae.* sic erit.
Sa. O hóminem impurum: hicíne libertatem ájunt aequam esse ómnibus?
Ae. Si sátis jam debacchátus, leno, es; aúdi, si vis, núnc ïam.
Sa. Egon' débacchatus sum aútem, an tu in me? *Ae.* mítte ista, atque ad rém redi,

Sa. Quam rém? quo redeam? *Ae.* jámne me vis dícere id, quod ad te áttinet?
Sa. Cupio, aéqui modo aliquíd. *Ae.* vah, leno iníqua me non vólt loqui.
Sa. Lenó sum, fateor, pérnicies commúnis adulescéntium,
Perjúrus, pestis: támen tibi a me núlla 'st orta injúria.
Ae. Nam hercle étiam hoc restat. *Sa.* ílluc, quaeso, rédi, quo coepisti, Aéschine.
Ae. Minís viginti tu íllam emisti, quaé res tibi vortát male.
Argénti tantum dábitur. *Sa.* quid, si ego tíbi illam nolo véndere?
Cogés me? *Ae.* minime. *Sa.* námque id metui. *Ae.* néque vendundam cénseo,
Quae líbera 'st: nam ego líberali illam ádsero causá manu.
Nunc víde, utrum vis; argéntum accipere, an caúsam meditarí tuam.
Delíbera hoc, dum ego rédeo, leno. *Sa.* pró supreme Iúppiter.
Mínime miror, qui ínsanire occípiunt ex injúria.
Dómo me eripuit, vérberavit: me ínvito abduxít meam:
Hómini misero plús quingentos cólaphos infregít mihi.
O'b malefacta haec tántidem emptam póstulat sibi trádier.
Vérum enim, quando béne promeruit, fíat: suum jus póstulat.
A'ge, jam cupio, módo si argentum réddat. set ego hoc hárіolor.
U'bi me dixeró dare tanti, téstis faciet ílico,
Véndidisse mé, de argento sómnium. mox: crás redi.
I'd quoque possum férre, modo si réddat; quamquam injúrium 'st.
Vérum cogito íd, quod res est; quándo eum quaestum occéperis,
A'ccipiunda et mússitanda injúria adulescéntium 'st.
Sét nemo dabit: frústra has egomet mécum rationés puto.

Actus II. Scena II.

Syrus. Sannio.

Sr. Tace, égomet conveniam ípsum: cupide accípiat jam faxo: átque etiam
Bene dícat secum esse áctum. quid istuc, Sánnio 'st, quod te aúdio,
Nescío quid, concertásse cum ero? *Sa.* númquam vidi iníquius
Certátionem cómparatam, quam hódie, quae inter nós fuit:
Ego vápulando, ille vérberando, usque ámbo defessí sumus.
Sr. Tua cúlpa. *Sa.* quid facerem? *Sr.* ádulescenti mórem gestum opórtuit.
Sa. Qui pótui melius, qui hódie ei usque os praébui? *Sr.* age, scis, quíd loquar?
Pecúniam in locó neglegere, máxumum interdúm 'st lucrum.
hui;

Metuísti, si nunc dé tuo jure cóncessisses paúlulum; atque
Adulescenti esses morigeratus, hóminum homo stultíssime,
Ne nón tibi istuc faéneraret. *Sa.* égo spem pretio nón emo.
Sy. Numquám rem facies: ábi, non scis inéscare homines, Sánnio.
Sa. Credo, ístuc melius ésse: verum ego númquam adeo astutús fui,
Quin, quícquid possem, mállem auferre pótius in praeséntia.
Sy. Age óvi tuum animúm: quasi jam usquam tíbi sint vigintí minae,
Dum huic óbsequare. praéterea autem te ájunt proficiscí Cyprum. *Sa.* hem.
Sy. Coemísse hinc, quae illuc véheres, multa; návem conductam: hóc scio,
Animús tibi pendet. úbi illinc, spero, rédieris tamen, hóc ages.
Sa. Nusquám pedem: perii hércle: hac illi spe hóc inceperúnt.
Sy. timet:
Injéci scrupulum hómini. *Sa.* o scelera. illúd vide,
Ut in ípso articulo oppréssit. emptae múlieres
Complúres, et item hinc ália, quae portó Cyprum.
Nisi eo ád mercatum vénio, damnum est máxumum.
Nunc si hóc omittam, ac túm agam, ubi illinc rédiero;
Nihil ést: refrixerít res; nunc demúm venis?
Cur pássus? ubi eras? út sit satius pérdere,
Quam aut híc manere támdiu, aut tum pérsequi.
Sy. Iamne énumerasti id, quód ad te rediturúm putes?
Sa. Hocine íllo dignum 'st? hócine inceptare Aéschinum?
Per oppréssionem ut hánc mi eripere póstulet?
Sy. Labáscit. unum hoc hábeo: vide, si sátis placet;
Potiús quam venias ín periclum, Sánnio,
Servésne an perdas tótum, dividuúm face.
Minás decem conrádet alicunde. *Sa.* ei mihi,
Etiám de sorte núnc venio in dubiúm miser?
Pudét nihil? omnes déntes labefecít mihi:
Praetérea colaphis túber est totúm caput:
Etiam ínsuper defrúdet? nusquam abeo. *Sy.* út lubet:
Numquíd vis, quin abeam? *Sa.* ímmo hercle hoc quaesó, Syre,
Ut ut haéc sunt acta, pótius quam litís sequar,
Meum míhi reddatur, sáltem quanti emptá 'st, Syre.
Scio, nón te esse usum antehác amicitiá mea:
Memorém me dices ésse et gratum. *Sy.* sédulo
Faciám. set Ctesiphónem video: laétus est
De amica. *Sa.* quid quod te óro? *Sy.* paulispér mane.

Actus II. Scena III.

Ctesipho. Syrus.

Ct. Abs quívis homine, cum ést opus, benefícium accipere gaúdeas:
Verum énimvero id demúm juvat, si, quem aéquom 'st facere, is béne facit.
O fráter, frater, quíd ego te nunc laúdem? satis certó scio;
Numquam íta magnifice quícquam dicam, id vírtus quin superét tua.
Itaque únam hanc rem me habére praeter álias praecipuam árbitror,
Fratrem hómini nemini ésse primarum ártium magis príncipem.
Sy. O Ctésipho. *Ct.* o Syre, Aéschinus ubi est? *Sy.* éllum, te exspectát domi. *Ct.* hem.
Sy. Quid est? *Ct.* quíd sit? illius ópera, Syre, nunc vívo: festivóm caput,
Quine ómnia sibi póst putavit ésse prae meo cómmodo:
Maledícta, famam, méum amorem, et peccátum in sese tránstulit.
Nil súpra pote. nam quíd foris crepuit? *Sy.* máne mane. ipse exít foras.

Actus II. Scena IV.

Aeschinus. Sannio. Ctesipho. Syrus.

Ae. Ubi est ílle sacrilegús? *Sa.* me quaerit. núm quidnam effert? óccidi:
Nil vídeo. *Ae.* ehem, opportúne: te ipsum quaéro: quid fit, Ctésipho?
In túto est omnis rés; omitte véro tristitiém tuam.
Ct. Ego illam hércle vero omítto, qui quidem te hábeam fratrem: o mi Aéschine,
O mí germane: ah véreor, coram in ós te laudare ámplius,
Ne id ádsentandi mágis, quam quo habeam grátum, facere exístumes.
Ae. Age, inépte, quasi nunc nón norimus nós inter nos, Ctésipho.
Hoc míhi dolet, nos paéne sero scísse, et in eum rém locum
Redísse, ut, si omnes cúperent, tibi nil póssent auxiliárier.
Ct. Pudébat. *Ae.* ah, stultítia 'st istaec, nón pudor: tam ob párvolam
Rem paéne e patria? túrpe dictu. deós quaeso, ut istaec próhibeant.
Ct. Peccávi. *Ae.* quid aït tándem nobis Sánnio. *Sy.* jam mítis est.

Ae. Ego ád forum ibo, ut húnc absolvam: tu íntro ad illam, Ctésipho.
Sa. Syre, ínsta. *Sy.* eamus: námque hic properat ín Cyprum. *Sa.* ne tám quidem:
Quamvís etiam maneo ótiosus híc. *Sy.* reddetur, né time.
Sa. At ut ómne reddat. *Sy.* ómne reddet: táce modo, ac sequere hác. *Sa.* sequor.
Cr. Heus, heús, Syre. *Sy.* ehem, quid est? *Cr.* óbsecro hercle te, hóminem istum inpuríssimum
Quam prímum absolvitóte; ne, si mágis inritatús siet,
Aliqua ád patrem hoc permánet; atque ego túm perpetuo périerim
Sy. Non fíet, bono animo és: tu cum illa te íntus oblecta ínterim:
Et léctulos jube stérni nobis, ét parari cétera.
Ego jám transacta ré convortam mé domum cum obsónio.
Cr. Ita quaéso: quando hoc béne successit, hílare hunc sumamús diem.

Actus III. Scena I.

Sostrata. Canthara.

So. O'bsecro, mea nútrix? quid nunc fíet? *Ca.* quid fiát rogas?
Recte édepol spero. *So.* módo dolores, méa tu, occipiunt prímulum.
Ca. Iam núnc times, quasi núsquam adfueris, númquam tute pépereris.
So. Miserám me, neminem hábeo, solae súmus: Geta autem hic nón adest:
Nec ést, quem ad obstetrícem mittam, néc qui adcersat Aéschinum.
Ca. Pol ís quidem jam hic áderit: nam numquam únum intermittít diem,
Quin sémper veniat. *So.* sólus mearum est míseriarum rémedium.
Ca. E' re natae mélius fieri haut pótuit, quam factum ést, era,
Quándo vitium oblátum est: quod ad illum áttinet potíssimum,
Tálem, tali ingénio atque animo, nátum ex tanta fámilia.
So. I'ta pol est ut dícis; salvos nóbis, deos quaeso, út siet.

Actus III. Scena II.

Geta. Sostrata. Canthara.

G. Nunc íllud est, quod, si ómnia omnes súa consilia cónferant,
Atque huíc malo salútem quaerant, aúxili nihil ádferant,

Quod míhique, eraequae, fíliaeque erîli est. vae miseró mihi,
Tot rés repente círcumvallant, únde emergi nón potest,
Vís, egestas, ínjustitia, sólitudo, infámia.
Hócine saeclum? o scélera, o genera sácrilega, o hominem ínpium.
So. Me míseram, quidnam 'st, quód sic video tímidum et properantém Getam?
G. Quem néque fides, neque júsjurandum, néque illum misericórdia
Représsit, neque refléxit, neque quod pártus instabát prope:
Cui míserae indigne pér vim vitium obtúlerat. *So.* non intéllego
Satis, quaé loquatur. *Ca.* própius obsecro áccedamus, Sóstrata. *G.* ah,
Me míserum, vix sum cómpos animi, ita árdeo iracúndia.
Nihil ést, quod malim, quam íllam totam fámiliam dari mi óbviam,
Ut ego íram hanc in eos évomam omnem, dum aégritudo est haéc recens:
Satís mi id habeam súpplici, dum ego íllos ulciscár modo.
Seni ánimam primum extínguerem ipsi, qui íllud produxít scelus:
Tum autém Syrum inpulsórem, vah, quibus íllum lacerarém modis?
Sublímem medium arríperem, et capite prónum in terram státuerem,
Ut cérebro dispergát viam:
A'dulescenti ipsi ériperem oculos: pósthac praecipitém darem.
Céteros ruerem, ágerem, raperem, fúnderem, et prostérnerem.
Set césso, eram hoc malo ínpertiri própere? *So.* revocemús. Geta. *G.* hem,
Quísquis es, sine me. *So.* égo sum Sostrata. *G.* úbinam es? te ipsam quaérito:
Te éxpeto: oppido ópportune te óbtulisti mi óbviam,
E'ra. *So.* quid est? quid trépidas? *G.* ei mi. *So.* quíd festinas, mí Geta?
A'nimam recipe. *G.* prórsus — *So.* quíd istuc „prórsus" ergo 'st? *G.* périimus:
A'ctum 'st. *So.* loquere ergo, óbsecro te, quíd sit. *G.* jam. *So.* quid jám, Geta?
Ge. Aéschinus. *So.* quid is érgo? *G.* alienus ést ab nostra fámilia. *So.* hem,
Périi. quare? *G.* amáre occepit áliam. *So.* vae miseraé mihi.
Ge. Néque id occulte fért, ab lenone ípsius eripuít palam.
So. Sátin' hoc certum 'st? *G.* cértum: hisce oculis égomet vidi, Sóstrata. *So.* ah,

Me míseram, quid jam crédas? aut cui crédas? nostrumne Aéschinum?
Nostram ómnium vitam, ín quo nostrae spés opesque omnés sitae?
Qui sé sine hac jurábat unum númquam victurúm diem?
Qui se ín sui gremió positurum púerum dicebát patris?
Ita óbsecraturum, út liceret hánc se uxorem dúcere?
Ge. Era, lácrumas mitte: ac pótius, quod ad hanc rem ópus est porro, cónsule,
Patiámur an narrémus cuipiam. *Ca.* aú au, mi homo sánun' es?
An próferendum hoc tíbi videtur úsquam? *G.* mi quidem nón placet.
Iam prímum illum alieno ánimo a nobis ésse, res ipsa índicat.
Nunc si hóc palam proférimus, ille infítias ibit, sát scio:
Tua fáma et gnatae víta in dubium véniet. tum, si máxume
Fateátur, cum amet áliam, non est útile huic, illí dari.
Quaprópter quoquo pácto tacito 'st ópus. *So.* ah, minime géntium:
Non fáciam. *G.* quid ais? *So.* próferam. *Ca.* hem, mea Sóstrata, vide, quám rem agas.
So. Pejóre res locó non potis est ésse, quam in quo núnc sita 'st.
Primum índotata est: tum praeterea, quaé secunda ei dós erat,
Periít: pro virginé dari nuptum nón potest. hoc réliqüum est,
Si infítias ibit, téstis mecum est ánulus, quem ipse amíserat.
Postrémo, quando ego míhi sum conscia, á me culpam esse hánc procul,
Neque prétium neque rem ullam íntercesse autílla aut me indignám, Geta,
Expériar. *G.* quid istic? cédo, ut melius dícas. *So.* tu, quantúm potes,
Abi, atque Hégioni cógnato hujus rem énarrato omnem órdine:
Nam is nóstro Simuló fuit summus, ét nos coluit máxume.
Ge. Nam hercle álius nemo réspicit nos. *So.* própere tu, mea Cánthara,
Curre: óbstetricem accérse: ut, cum opus sit, ne ín mora nobís siet.

Actus III. Scena III.

Demea. Syrus.

De. Dispérii: Ctesiphónem audivi fílium
Una ádfuisse in ráptione cum Aéschino.
Id mísero restat míhi mali, si illúm potest,
Qui alicuí rei est, etiam eum ád nequitiem addúcere.
Ubi ego íllum quaeram? crédo abductum in gáneum

Aliquó: persuasit ílle inpurus, sát scio.
Sed eccúm Syrum ire vídeo: hinc scibo jam, úbi siet.
Atque hércle hic de grege íllo est: si me sénserit
Eum quaéritare, númquam dicet cárnufex.
Non óstendam, id me vélle. *Sy.* omnem rem módo seni,
Quo pácto haberet, énarramus órdine.
Nil quícquam vidi laétius. *D.* pro Iúppiter,
Hominís stultitiam. *Sy.* cónlaudavit fílium:
Mihi, qui íd dedissem cónsilium, egit grátias.
De. Disrúmpor. *Sy.* argentum ádnumeravit ílico:
Dedít praeterea in súmptum, dimidiúm minae:
Id dístributum sáne est ex senténtia. *D.* hem,
Huic mándes, si quid récte curatúm velis.
Sy. Ehem, Démea, haut aspéxeram te: quíd agitur?
De. Quid agátur? vostram néqueo mirarí satis
Ratiónem. *Sy.* est hercle inépta, ne dicám dolo, atque
Absúrda. piscis céteros purgá, Dromo:
Congrum ístum maxumum ín aqua sinito lúdere
Paulísper: ubi ego vénero, exossábitur:
Prius nólo. *D.* haecine flagítia? *Sy.* mi quidem nón placent:
Et clámo saepe. sálsamenta haec, Stéphanio,
Fac mácerentur púlchre. *D.* di vostrám fidem,
Utrúm studione id síbi habet, an laudí putat
Fore, sí perdiderit gnátum? vae miseró mihi,
Vidére videor jám diem illum, cum hínc egens
Profúgiet aliquo mílitatum. *Sy.* o Démea,
Istúc est sapere, nón quod ante pedés modo 'st
Vidére, set etiam ílla, quae futúra sunt,
Prospícere. *D.* quid? istaec jám penes vos psáltria est?
Sy. Ellam íntus. *D.* eho, an est dómi habiturus? *Sy.* crédo:
ut est
Deméntia. *D.* haecine fíeri? *Sy.* inepta lénitas
Patris, ét facilitas práva. *D.* fratris mé quidem
Pudét pigetque. *Sy.* nímium inter vos, Démea, ac
Non quía ades praesens díco hoc, pernimium ínterest.
Tu, quántus quantus, níl nisi sapiéntia es:
Ille, sómnium. sinerés vero illum tú tuum
Facere haéc? *D.* sinerem illum? aut nón sex totis ménsibus
Prius ólfecissem, quam ílle quicquam coéperet?
Sy. Vigilántiam tuám tun' mihi? *D.* sic sit modo,
Ut núnc est, quaeso. *Sy.* ut quísque suum volt ésse, ita 'st.
De. Quid eúm? vidistin' hódie? *Sy.* tuumne fílium?
Abigam húnc rus. jamdudum áliquid ruri agere árbitror.
De. Satin' scís ibi esse? *Sy.* oh, quem égomet produxi. *D.*
óptume 'st.

Metuí, ne haereret híc. *Sy.* atque iratum ádmodum.
De. Quid, aútem? *Sy.* adortus júrgio est fratrem áput forum
De psáltria hac. *D.* ain' véro? *Sy.* vah, nil réticuit.
Nam, ut númerabatur fórte argentum, intérvenit
Homo de ínproviso: coépit clamare, „o Aéschine,
Haecíne flagitia fácere te? haec te admíttere
Indígna genere nóstro?" *D.* oh, lacrumo gaúdio.
Sy. „Non tu hóc argentum pérdis, set vitám tuam."
De. Salvós sit; spero erit símilis majorúm suum. *Sy.* hui.
De. Syre, praéceptorum 'st plénus istorum ille. *Sy.* phy.
Domi hábuit, unde dísceret. *D.* fit sédulo:
Nil praétermitto: cónsuefacio: dénique,
Inspícere, tanquam in spéculum, in vitas ómnium
Iubeo: átque ex aliis súmere exemplúm sibi.
„Hoc fácito." *Sy.* recte sáne. *D.* „hoc fugito." *Sy.* cállide.
De. „Hoc laúdi est." *Sy.* istaec rés est. *D.* „hoc vitió datur."
Sy. Probíssume. *D.* porro aútem. *Sy.* non hercle ótium 'st
Nunc mi aúscultandi. píscis ex senténtia
Nactús sum: hi mihi ne córrumpantur, caútio 'st:
Nam id nóbis tam flagítium 'st, quam illa, o Démea,
Non fácere vobis, módo quae dixti: et, quód queo,
Consérvis ad eundem ístunc praecipió modum:
Hoc sálsum 'st, hoc adústum 'st, hoc lautúm 'st parum:
Illúd recte: iterum síc memento: sédulo
Moneó, quae possum pró mea sapiéntia:
Postrémo, tamquam in spéculum, in patinas, Démea,
Inspícere jubeo, et móneo, quid facto úsus sit.
Inépta haec esse, nós quae facimus, séntio:
Verúm quid facias? út homo 'st, ita morém geras.
Numquíd vis? *D.* mentem vóbis meliorém dari.
Sy. Tu rús hinc ibis. *D.* récta. *Sy.* nam quid tu híc agas,
Ubi, síquid bene praecípias, nemo obtémperet?
D. Ego véro hinc abeo, quándo is, quamobrem huc véneram,
Rus ábiit: illum cúro: unum illud ad me ádtinet,
Quando íta volt frater: de ístoc ipse víderit.
Set quís illic est, quem vídeo procul? estne Hégio
Tribúlis noster? sí satis cerno, is hércle: vah,
Homo amícus nobis jam índe a puero: dí boni,
Ne illiúsmodi jam mágna nobis cívium
Paenúria 'st, antíqua virtute ác fide.
Haut cíto mali quid órtum ex hoc sit públice.
Quam gaúdeo: ubi etiam húius generis réliquias
Restáre video, vívere etiam núnc lubet.
Oppériar hominem hic, út salutem et cónloquar.

Actus III. Scena IV.

Hegio. Geta. Demea. Pamphila.

H. Pro di ínmortales, fácinus indignúm, Geta:
Quid nárras? *G.* sic est fáctum. *H.* ex illan' fámilia
Tam inlíberale fácinus esse ortum? o Aéschine,
Pol haút paternum istúc dedisti. *D.* vídelicet
De psáltria hoc audívit: id illi núnc dolet
Aliéno. pater is níhili pendit: eí mihi,
Utinam híc prope adesset álicubi: atque audíret haec.
H. Nisi fácient, quae illos aéquom 'st, haut sic aúferent.
G. In té spes omnis, Hégio, nobís sita est:
Te sólum habemus, tú es patronus, tú pater;
Illé tibi moriens nós commendavít senex:
Si déseris tu, périimus. *H.* cave díxeris:
Neque fáciam, neque me sátis pie posse árbitror.
D. Adíbo. salvere Hégionem plúrimum
Iubeo. *H.* óh, te quaerebam ípsum: salve, Démea.
D. Quid aútem? *H.* major fílius tuus Aéschinus,
Quem frátri adoptandúm dedisti, néque boni,
Neque líberalis fúnctus officium ést viri.
D. Quid istúc est? *H.* nostrum amícum noras Símulum, atque
Aequálem? *D.* quidni? *H.* fíliam ejus vírginem
Vitiávit. *D.* hem. *H.* mane. nóndum audisti, Démea,
Quod ést gravissimum. *D.* án quid est etiam ámplius?
H. Vero ámplius: nam hoc quídem ferundum aliquó modo 'st:
Persuásit nox, amór, vinum, adulescéntia:
Humánum 'st. ubi scit fáctum, ad matrem vírginis
Venit ípsus ultro, lácrumans, orans, óbsecrans,
Fidém dans, jurans, sé illam ducturúm domum.
Ignótum 'st; tacitum 'st; créditum 'st. virgo éx eo
Compréssu gravida fácta est; mensis décimus est:
Ille bónus vir nobis psáltriam, si dís placet,
Parávit, quicum vívat: illam déserit.
D. Pro cérton' tu istaec dícis? *H.* mater vírginis
In médio 'st; ipsa vírgo; res ipsa: híc Geta
Praetérea, ut captus sérvolorum est, nón malus
Neque inérs: alit illas; sólus omnem fámiliam
Susténtat. hunc abdúce, vinci, quaére rem.
G. Immo hércle extorque, nísi ita factum 'st, Démea:
Postrémo non negábit; coram ipsúm cedo.
D. Pudét: nec, quid agam, néque, quid huic respóndeam,
Sció. *Pa.* miseram me, dífferor dolóribus.
Iunó Lucina fér opem: serva me, óbsecro. *H.* hem,
Numnamílla quaeso párturit? *G.* certe, Hégio. *H.* hem;

Illaéc fidem nunc vóstram inplorat, Démea;
Quod vós vis cogit, íd voluntate ímpetret.
Haec prímum ut fiant, deós quaeso, ut vobís decet.
Sin áliter animus véster est; ego, Démea,
Summá vi defendam hás atque illum mórtuum.
Cognátus mi erat: úna a pueris párvolis
Sumus éducti: una sémper militiae ét domi
Fuimús: paupertatem úna pertulimús gravem.
Quaprópter nitar, fáciam, experiar, dénique
Animám relinquam pótius, quam illas déseram.
Quid míhi respondes? *D.* frátrem conveniam, Hégio:
Is, quód mihi de hac re déderit consilium, íd sequar.
He. Set, Démea, hoc tu fácito cum animo cógites,
Quam vós facillume ágitis, quam estis máxume
Poténtes, dites, fórtunati, nóbiles,
Tum máxume vos aéquo animo aequa nóscere
Opórtet, si vos vóltis perhiberí probos.
D. Redíto: fient, fíeri quae aequom 'st, ómnia.
He. Decét te facere. Géta, duc me intro ad Sóstratam.
D. Non me índicente haec fíunt; utinam hic sít modo
Defúnctum; verum nímia illaec licéntia
Profécto evadet ín aliquod magnúm malum.
Ibo, ác requiram frátrem, ut in eum haec évomam.

Actus. III. Scena V.

Hegio.

Bono ánimo fac sis, Sóstrata; et istam, quód potes,
Fac cónsolere. ego Mícionem, si ápud forum 'st,
Convéniam; atque, ut res gésta 'st, narrabo órdine:
Si ita ést, facturus út sit officiúm suum,
Faciát: sin aliter de hác re est ejus senténtia,
Respóndeat mi: ut, quíd agam, quam primúm sciam.

Actus IV. Scena I.

Ctesipho. Syrus.

Ct. A'in', patrem hinc abísse rus? *S.* jam dúdum. *C.* dic sodés. *S.* apud villam 'st.
Núnc cum maxume óperis aliquid fácere credo. *C.* utinám quidem,
Quod cúm salute ejus fíat, ita se défetigarít velim,
Ut tríduo hoc perpétuo prorsum e lécto nequeat súrgere.
Sy. Ita fíat, et istoc sí quid potis est réctius. *C.* ita: nam húnc diem

Nimis mísere cupio, ut coépi, perpetuum ín laetitia dégere.
Et íllud rus nulla ália causa tám male odi, nísi quia prope
Est: quód si abesset lóngius,
Príus nox oppressísset illic, quam húc reverti pósset iterum.
Núnc, ubi me illic nón videbit, jam húc recurret, sát scio:
Rogábit me, ubi fuerím: quem ego hodie tóto non vidí die:
Quid dícam? *S.* nilne in méntem est? *C.* nusquam quícquam.
S. tanto néquior.
Cliéns, amicus, hóspes, nemo 'st vóbis? *C.* sunt. quid póstea?
Sy. Hisce ópera ut data sit. *C.* quaé non data sit? nón potest
fierí. *S.* potest.
Cr. Intérdiu: sed si híc pernocto, caúsae quid dicám, Syre?
Sy. Vah, quám vellem etiam nóctu amicis óperam mos essét
dari.
Quin tu ótiosus és: ego illius sénsum pulchre cálleo.
Cum férvit maxumé, tam placidum, quam óvis est, reddo. *C.*
quó modo?
Sy. Laudárier te audít libenter: fácio te apud illúm Deum:
Virtútes narro. *C.* meásne? *S.* tuas: homini ílico lacrumaé
cadunt,
Quasi púero, gaudio. ém tibi autem. *C.* quídnam est? *S.* lupus in fábula.
Cr. Patérne? *S.* is ipsus. *C.* Sýre, quid agimus? *S.* fúge
modo intro, ego vídero.
Cr. Si quíd rogabit, núsquam tu me: audístin'? *Sy.* potin',
ut désinas?

Actus IV. Scena II.

Demea. Ctesipho. Syrus.

D. Ne égo homo infelix. prímum fratrem núsquam invenio
géntium:
Praéterea autem, dum íllum quaero, a vílla mercenárium
Vídi: is fíliúm negat esse rúri: nec quid agám scio.
Cr. Sýre. *Sy.* quid est? *Cr.* men' quaérit? *Sy.* verum.
Cr. périi. *Sy.* quin tu bóno animo es.
D. Quíd hoc, malum, infelícitatis? néqueo satis decérnere:
Nísi me credo huic ésse natum reí, ferundis míseriis.
Prímus sentió mala nostra: prímus réscisco ómnia:
Prímus porro obnúntio: aegre sólus, si quid fít, fero.
Sy. Rídeo hunc: se prímum ait scire: is sólus nescit ómnia.
D. Núnc redeo: si fórte frater rédierit, visó. *Cr.* Syre,
O'bsecro, vide, ne ílle huc prorsus se ínruat. *Sy.* etiám taces?
E'go cavebo. *Cr.* númquam hercle hodie ego ístuc committám tibi:

Nám me in cellulam áliquam cum illa cóncludam: id tutíssimum 'st.
Sy. A'ge, tamen ego hunc ámovebo. *D.* sét eccum scelerátum Syrum.
Sy. Nón hercle hic quidem pérdurare quísquam, si sic fít, potest.
Scíre equidem voló, quot mihi sint dómini: quae haec est míseria?
D. Quíd ille gannit? quíd volt? quid aïs, bóne vir? est Iratér domi?
Sy. Quíd, malum, „bone vír" mihi narras? équidem perii.
D. quíd tibi est?
Sy. Rógitas? Ctesiphó me pugnis míserum, et istam psáltriam
U'sque occidit. *D.* ém, quid narras? *Sy.* ém, vide, ut discidít labrum.
D. Quámobrem? *Sy.* me inpulsóre hanc emptam esse, áit.
D. non tu eum rus hínc modo
Próduxe aibas? *Sy.* fáctum: verum vénit post insániens:
Níl peperci. nón puduisse vérberare hominém senem?
Quém ego, puerum módo tántillum, in mánibus gestaví meis?
D. Laúdo: o Ctesiphó, patrissas: ábi, virum te júdico.
Sy. Laúdas? ne ille cóntinebit pósthac, si sapiét, manus.
D. Fórtiter. *Sy.* perquám, quia miseram múlierem et me sérvolum,
Quí referire nón audebam, vícit: hui, perfórtiter.
D. Nón potuit meliús. idem, quod ego, sénsit, te esse huic reí caput.
Sét estne frater íntus. *Sy.* non est. *D.* úbi illum quaeram, cógito.
Sy. Scío, ubi sit, verum hódie numquam mónstrabo. *D.* hem, quid aís? *Sy.* ita.
D. Díminuetur tíbi quidem jam cérebrum. *Sy.* at nomen néscio
I'llius hominis, sét locum novi, úbi sit. *D.* dic ergó locum.
Sy. Nóstin' porticum ápud macellum hac deórsum? *D.* quidni nóverim?
Sy. Praéterito hac récta platea súrsus: ubi eo véneris,
Clívos deorsum vórsum est; hac te praécipitato: póstea
E'st ad hanc manúm sacellum: ibi ángiportum própter est:
I'llic, ubi etiam cáprificus mágna est. *D.* novi. *Sy.* hac pérgito.
D. I'd quidem angipórtum non est pérvium. *Sy.* verum hércle. vah,
Cénsen', hominem me ésse? erravi: in pórticum rursúm redi:
Sáne hac multo própius ibis, ét minor est errátio.
Scín' Cratini hujus dítis aedes? *D.* scío. *Sy.* ubi eas praeteríeris,
A'd sinistram hac récta platea; ubi ád Dianae véneris,

I'to ad dextram: príus quam ad portam vénias, aput ipsúm lacum
E'st pistrilla, et éxadvorsum fábrica: ibi est. *D.* quid ibi facit?
Sy. Léctulos in sóle ilignis pédibus faciundós dedit.
D. U'bi potetis vós? bene sane. sét cesso, ad eum pérgere?
Sy. I' sane: ego te exércebo hodie, ut dignus es, silicérnium.
Aéschinus odiósus cessat: prándium corrúmpitur:
Ctésipho autem in amóre est totus. égo iam prospiciám mihi:
Nám jam adibo, atque únum quicquid, quód quidem erit bellíssimum,
Cárpam: et cyathos sórbilans paulátim hunc producám diem.

Actus IV. Scena III.

Micio. Hegio.

M. Ego in hác re nil repério, quamobrem laúder tantopere, Hégio.
Meum offícium facio: quód peccatum a nóbis ortum 'st, córrigo.
Nisi sí me in illo crédidisti esse hóminum numero, qui íta putant;
Sibi fíeri injuriam últro, si, quam fécere ipsi, expóstules,
Et últro accusant: íd quia non est á me factum, agis grátias?
He. Ah, mínime: numquam te áliter atque es, ín animum induxí meum.
Set quaéso, ut una mécum ad matrem vírginis eas, Mício,
Atque ístaec eadem, quaé mihi dixti, túte dicas múlieri;
Suspícionem hanc própter fratrem esse: eíus esse illam psáltriam.
M. Si ita aéquom censes, aút si ita opus est fácto, eamus.
He. béne facis:
Nam etílli jam animum réllevaris, quaé dolore ac míseria
Tabéscit: et tuo offício fueris fúnctus. set, si alitér putas,
Egomét narrabo, quaé mihi dixti. *M.* immo égo quoque ibo.
He. béne facis:
Omnés, quibus res sunt mínus secundae, mágis sunt, nescio quó modo,
Suspíciosi: ad cóntumeliam ómnia accipiúnt magis:
Proptér suam inpoténtiam se sémper credunt lúdier.
Quaprópter te ipsum púrgare ipsis córam, placabílius est.
M. Et récte et verum dícis. *He.* sequere me érgo hac intro.
M. máxume.

Actus IV. Scena IV.

Aeschinus.

Discrúcior animi: hocíne de improvisó mali mihi óbjici

Tantum, út neque, quid nunc dé me faciam, néc, quid agam, certúm siet?
Mémbra metu débilia
Súnt: animus timore
O'bstipuit: péctore nil
Sístere consili quit.
Vah, quómodo hac me expédiam turba? tánta nunc
Suspício de me íncidit:
Néque ea immerito: Sóstrata
Crédit, mihi me psáltriam hanc emísse: id anus mi indícium fecit.
Nám ut hinc forte ea ad óbstetricem erat míssa, ubi eam vidi, ílico
Accédo; rogito, Pámphila quid agat; jámne partus ádsiet,
Eone óbstetricem accérsat. illa exclámat, „Abi, abi, jam, Aéschine,
Satis diú dedisti vérba: sat adhuc túa nos frustratá 'st fides."
Hem, quíd istuc, obsecro, inquam 'st? „Valeas, hábeas illam, quaé placet."
Sensi ílico, id illas súspicari: sét me reprehendí tamen,
Ne quíd de fratre gárrulae illi dícerem, ac fierét palam.
Núnc quid faciam? dícam, fratris ésse hanc? quod minimé 'st opus
U'squam efferri: ac mítto: fieri pótis est, ut ne qua éxeat:
I'psum id metuo ut crédant: tot concúrrunt verisímilia:
E'gomet rapui: ipse égomet solvi argéntum: ad me abducta ést domum.
Haéc adeo mea cúlpa fateor fíeri. non me hanc rém patri,
U't ut erat gesta, índicasse? exórassem, ut eam dúcerem.
Céssatum usque adhúc est: nunc porro, Aéschine, expergíscere:
Núnc hoc primum 'st; ád illas ibo, ut púrgem me. accedam ád fores:
Périi. horresco sémper, ubi pultáre hasce occipió miser.
Heús, heus: Aeschinús ego sum. aperite áliquis actutum óstium.
Pródit nescio quís: concedam huc. —

Actus IV. Scena V.

Micio. Aeschinus.

M. —— I'ta, uti dixti, Sóstrata,
Fácito: ego Aeschinúm conveniam; ut, quómodo acta haec súnt, sciat.
Sét quis ostium hóc pultavit? *Ae.* páter hercle est, perii. *M.* Aéschine.
Ae. Quid huic híc negoti 'st? *M.* túne has pepulistí fores?
Tacet. cúr non ludo hunc áliquantisper? mélius est,

Quandóquidem hoc numquam mi ípse voluit crédere.
Nil míhi respondes? *Ae.* nón equidem istas, quód sciam.
M. Ita: nám mirabar, quíd hic negoti essét tibi.
Erúbuit: salva rés est. *Ae.* dic sodés, pater,
Tibi véro quid istic rei fuit? *M.* nil míhi quidem.
Amícus quidam me á foro abduxít modo
Huc ádvocatum síbi. *Ae.* quid? *M.* ego dicám tibi:
Habitánt hic quaedam múlieres; paupérculae,
Ut opíner, has non nósse te: et certó scio:
Neque enim diu huc commigrárunt. *Ae.* quid tum póstea?
M. Virgo ést cum matre. *Ae.* pérge. *M.* haec virgo orbá 'st patre:
Hic méus amicusílli genere est próxumus:
Huic léges cogunt núbere hanc. *Ae.* perii *M.* quid est?
Ae. Nil: récte: perge. *M.* is vénit ut secum ávehat:
Nam habitát Mileti. *Ae.* hem, vírginem ut secum ávehat?
M. Sic ést. *Ae.* Miletum usque óbsecro? *M.* ita. *Ae.* animó male 'st.
Quid ipsaé? quid ajunt? *M.* quíd illas censes? níhil enim.
Comménta mater ést, esse ex alió viro,
Nescío quo, puerum nátum: neque eum nóminat:
Priórem esse illum, nón oportere huíc dari.
Ae. Eho, nónne haec justa tíbi videntur póstea?
M. Non. *Ae.* óbsecro non? an íllam hinc abducét, pater?
M. Quid illám ni abducat? *Ae.* fáctum a vobis dúriter,
Inmísericorditérque, atque etiam, si ést pater,
Dicendúm magis apérte, inliberáliter.
M. Quamobrém? *Ae.* rogas me? quíd illi tandem créditis
Fore ánimi misero, quí cum ea consuevít prior?
Qui infélix haut scio an íllam misere núnc amat,
Cum hanc síbi videbit praésens praesentem éripi,
Abdúci ab oculis? fácinus indignúm, pater.
M. Qua rátione istuc? quís despondit? quís dedit?
Cui, quándo nupsit? aúctor his rebús quis est?
Cur dúxit alienam? *Ae.* án sedere opórtuit
Domi vírginem tam grándem, dum cognátus hinc
Illínc veniret éxspectantem? haec, mí pater,
Te dícere aequom fúit, et id defendere.
M. Ridículum: advorsusne íllum causam dícerem,
Cui véneram advocátus? set quid ista, Aéschine,
Nostra? aút quid nobis cum íllis? abeamús. quid est?
Quíd lacrumas? *Ae.* pater, óbsecro, ausculta. *M.* Aéschine, audivi ómnia,
E't scio: nam té amo: quo magis, quaé agis, curae súnt mihi.
Ae. I'ta velim me prómerentem amés, dum vivas, mí pater,

U't me hoc delictum ádmisisse in me, íd mihi vehementér dolet:
E't me tui pudét. *M.* credo hercle: nam ingenium nóvi tuum
Líberale: sét vereor, ne indíligens nimiúm sies.
I'n qua civitáte tandem te árbitrare vívere?
Vírginem vitiásti, quam te nón jus fuerat tángere.
Iám peccatum prímum id mágnum, mágnum, at humanúm tamen.
Fécere alii saépe item boni. at póstquam id evenít, cedo,
Númquid circumspéxti? aut numquid túte prospextí tibi,
Quíd fieret? qua fieret? si te mi ípsum puduit dícere,
Quá rescíscerem? haéc dum dubitas, ménses abierúnt decem.
Pródidisti et te, ét illam miseram, et gnátum, quod quidem in té fuit.
Quíd credebas? dórmienti haec tibi confecturós deos?
E't illam sine tua ópera in cubiculum íri deductúm domum?
Nólim ceterárum rerum té socordem eodém modo.
Bóno animo es, ducés uxorem. *Ae.* hem. *M.* bóno animo es, inquám. *Ae.* pater,
O'bsecro, num lúdis tu nunc me? *M.* égo te? quamobrem? *Ae.* néscio:
Nísi tam misere hoc ésse cupio vérum, eo vereór magis.
M. A'bi domum, ac deos cónprecare, ut úxorem accersás: abi.
Ae. Quíd, jam uxorem? *M.* jám. *Ae.* jam? *M.* jam quantúm potest. *Ae.* di mé, pater,
O'mnes, oderínt, ni magis te, quam óculos nunc ego amó meos.
M. Quíd? quam illam? *Ae.* aeque. *M.* pérbenigne. *Ae.* quíd? ille ubi est Milésius?
M. A'biit, periit, návem ascendit; sét cur cessas? *Ae.* ábi, pater:
Tú deos potius cónprecare: nám tibi eos certó scio,
Quó vir melior múlto es, quam ego, obtémperaturós magis.
M. E'go eo intro: ut, quae opus súnt, parentur; tú fac ut dixi, sí sapis.
Ae. Quid hoc ést negoti? hoc ést, patrem esse, aut hóc est, filium ésse?
Si fráter aut sodális esset, quí magis morem géreret?
Hic nón amandus? hícine non gestándus in sinu ést? hem;
Itaque ádeo magnam mi ínjicit sua cómmoditate cúram:
Ne inprúdens faciam fórte, quod nolít, sciens cavébo.
Set césso ire intro, né morae meis núptiis egomét sim?

Actus IV. Scena VI.

Demea.

Deféssus sum ambulándo: ut, Syre, te cúm tua
Monstrátione mágnus perdat Iúppiter.

Perréptavi usque omne óppidum: ad portam, ád lacum:
Quo nón? nec fabrica illi úlla erat: nec frátrem homo
Vidísse se aibat quísquam. nunc veró domi
Certum óbsidere est úsque, donec rédierit.

Actus IV. Scena VII.

Micio. Demea.

M. Ibo, íllis dicam, núllam esse in nobís moram.
D. Set eccum ípsum: te jamdúdum quaero, o Mício.
M. Quidnám? *D.* fero alia flágitia ad te ingéntia
Boni íllius adulescéntis. *M.* ecce autém. *D.* nova,
Capitália. *M.* ohe, jam. *D.* ah néscis, qui vir sít. *M.* scio.
D. O stúlte, tu de psáltria me sómnias
Agere: hóc peccatum in vírginem est civém. *M.* scio.
D. Oho, scís et patere? *M.* quídni patiar? *D.* díc mihi,
Non clámas? non insánis? *M.* non. malím quidem.
D. Puer nátus 'st. *M.* di bene vórtant. *D.* virgo níhil habet.
M. Audívi. *D.* et ducenda índotata 'st. *M.* scílicet.
D. Quid núnc futurum 'st? *M.* íd enim, quod res ípsa fert:
Illínc huc transferétur virgo. *D.* o Iúppiter,
Istócine pacto opórtet? *M.* quid faciam ámplius?
D. Quid fácias? si non ípsa re tibi istúc dolet,
Simuláre certe est hóminis. *M.* quin jam vírginem
Despóndi: res compósita est: fiunt núptiae:
Dempsí metum omnem: haec mágis sunt hominis. *D.* céterum,
Placét tibi factum, Mício? *M.* non, sí queam
Mutáre: nunc cum nón queo, animo aequó fero.
Ita víta 'st hominum, quási si ludas tésseris.
Si illúd, quod maxume ópus est jactu, nón cadit,
Illúd, quod cecidit fórte, id arte ut córrigas.
D. Corréctor, nempe tua árte vigintí minae
Pro psáltria periére: quae, quantúm potest,
Aliquo ábjicienda est: sí non pretio, grátiis.
M. Neque ést, neque illam sáne studeo véndere.
D. Quid illa ígitur facias? *M.* dómi erit. *D.* pro divóm fidem,
Meretrix et mater fámilias una ín domo?
M. Cur nón? *D.* sanumne crédis te esse? *M.* equidem árbitror.
D. Ita mé di ament, ut vídeo tuam ego inéptiam;
Factúrum credo, ut hábeas, quicum cántites.
M. Cur nón? *D.* et nova nupta éadem haec discet. *M.* scílicet.
D. Tu intér eas restim dúctans saltabís. *M.* probe.
Et túte nobiscum úna, si opus sit. *D.* ei mihi.
Non te haéc pudent? *M.* jam véro omitte, o Démea,
Tuam ístanc iracúndiam: atque ita, utí decet,

Hilarum ác lubentem fác te gnati in núptiis.
Ego hós conveniam: póst huc redeo. *D.* o Iúppiter,
Hancíne vitam? hoscine móres? hanc deméntiam?
Uxór sine dote véniet: intus psáltria est:
Domus súmptuosa: aduléscens luxu pérditus:
Senéx delirans. ípsa si cupiát Salus,
Serváre prorsus nón potest hanc fámiliam.

ACTUS IV. SCENA VIII.

SYRUS. DEMEA.

Sy. Edepól, Syrisce, té curasti mólliter,
Lautéque munus ádministrastí tuum:
Abi. sét postquam intus sum ómnium rerúm satur,
Prodeámbulare huc líbitum est. *D.* illuc sís vide;
Exémplum disciplínae. *Sy.* ecce autem híc adest
Senex nóster. quid fit? quíd tu es tristis? *D.* óh, scelus.
Sy. Ohe. jám: tu verba fúndis hic sapiéntia?
D. Tu sí meus esses, *Sy.* dís quidem esses, Démea;
Ac tuám rem constabilísses. *D.* exemplo ómnibus
Curárem ut esses. *Sy.* quámobrem? quid feci? *D.* rogas?
In ípsa turba, atque ín peccato máxumo,
Quod vix sedatum sátis est, potastí, scelus,
Quasi ré bene gesta. *Sy.* sáne nollem huc éxitum.

ACTUS IV. SCENA IX.

DROMO. SYRUS. DEMEA.

Dr. Heus, Sýre, rogat te Ctésipho, ut redeás. *Sy.* abi.
D. Quid Ctésiphonem hic nárrat? *Sy.* nil. *D.* eho, cárnufex,
Est Ctésipho intus? *Sy.* nón est. *D.* cur hic nóminat?
Sy. Est álius quidam, párasitaster paúlulus:
Nostín'? *D.* jam scibo. *Sy.* quíd agis? quo abis? *D.* mítte me.
Sy. Noli, ínquam. *D.* non manum ábstines, mastígia?
An tíbi jam mavis cérebrum dispergam híc? *Sy.* abit.
Edepól comissatórem haut sane cómmodum,
Praesértim Ctesiphóni. quid ego núnc agam?
Nisi dum haé silescunt túrbae, interea in ángulum
Aliquo ábeam, atque edormíscam hoc villi. sic agam.

ACTUS V. SCENA I.

MICIO. DEMEA.

M. Paráta a nobis súnt, ita ut dixi, Sóstrata,
Ubi vís. quisnam a me pépulit tam gravitér fores?

D. Ei míhi, quid faciam? quíd agam? quid clamem? aút querar?
O caélum, o terra, o mária Neptuni. *M.* ém tibi,
Rescívit omnem rem. íd nunc clamat scílicet:
Parátae lites: succurrendum 'st. *D.* éccum, adest
Commúnis corruptéla nostrum líberum.
M. Tandém reprime iracúndiam, atque ad té redi.
D. Représsi, redii, mítto maledicta ómnia:
Rem ipsám putemus. díctum inter nos hóc fuit,
Ex te ádeo est ortum, né tu curarés meum,
Neve égo tuum? respónde. *M.* factum 'st, nón nego.
D. Cur núnc aput te pótat? cur recipís meum?
Cur émis amicam, Mício? num quí minus
Mihi idém jus aequum 'st ésse, quod mecúm 'st tibi?
Quando égo tuum non cúro, ne curá meum.
M. Non aéquom dicis. *D.* nón? *M.* nam vetus verbum hóc quidem 'st,
Commúnia esse amícorum inter se ómnia.
D. Facéte: nunc demum ístaec nata orátio 'st.
M. Auscúlta paucis, nísi molestum 'st, Démea.
Princípio, si id te mórdet, sumptum fílii
Quem fáciunt, quaeso, hoc fácito, tecum cógites:
Tu illós duo olim pró re tollebás tua,
Quod sátis putabas túa bona ambobús fore;
Et mé tum uxorem crédidisti scílicet
Ductúrum: eandem illam rátionem antiquam óbtine;
Consérva, quaere, párce; fac, quamplúrimum
Illís relinquas, glóriamque istánc tibi:
Mea, quaé praeter spem evénere: utantúr sine:
De súmma nil decédet: quod hinc accésserit,
Id dé lucro putáto esse omne. haec si voles
In ánimo vere cógitare, Démea,
Et mi ét tibi et illis démpseris moléstiam.
D. Mittó rem: consuetúdinem ipsorúm. *M.* mane:
Scio: ístuc ibam. múlta in homine, Démea,
Signa ínsunt, quibus ex cónjectura fácile fit:
Duo cúm idem faciunt, saépe ut possis dícere,
Hoc licet inpune fácere huic, illi nón licet:
Non quó dissimilis rés sit, set quo is, quí facit.
Quae ego in illis esse vídeo, ut confidám, fore
Ita ut vólumus. video eos sápere, intellegere, ín loco
Veréri, inter se amáre: scire est líberum
Ingénium atque animum. quó vis illos tú die
Redúcas. at enim métuas, ne ab re sínt tamen
Omíssiores paúlo. o noster Démea,
Ad ómnia alia aetáte sapimus réctius:

Solum únum hoc vitium senéctus adfert hóminibus,
Adténtiores súmus ad rem omnes, quám sat est:
Quod illós sat aetas ácuet. *D.* ne nimiúm modo
Bonaé tuae istae nós rationes, Mício,
Et túus iste animus aéquos subvortát. *M.* tace,
Non fíet. mitte jam ístaec: da te hodié mihi:
Expórge frontem. *D.* scílicet ita témpus fert,
Faciúndum 'st: ceterúm rus cras cum fílio
Cum prímo luci. *M.* immó de nocte cénseo:
Hodié modo hilarum té face. *D.* et istam psáltriam
Una íllue mecum hinc ábstraham. *M.* pugnáveris.
Eo pácto prorsum illi álligaris fílium.
Modo fácito, ut illam sérves. *D.* ego istuc vídero: atque
Illí favillae pléna, fumi ac póllinis,
Coquéndo sit faxo ét molendo: praéter haec
Merídie ipso fáciam ut stipulam cólligat:
Tam excóctam reddam atque átram, quam carbó 'st. *M.* places.
Nunc míhi videre sápere. atque equidem fílium,
Tum etiám si nolit, cógam, ut cum illa uná cubet.
D. Derídes? fortunátus, qui isto animó sies:
Ego séntio. *M.* ah, pergísne? *D.* jam jam désino.
M. I ergo íntro; et cui rei est, eí rei hunc sumamús diem.

Actus V. Scena II.

Demea.

Númquam ita quisquam béne subducta rátione ad vitám fuat,
Quín res, aetas, úsus semper áliquid adportét novi;
A'liquid moneat; út illa, quae te scíre credas, néscias;
E't quae tibi putáris prima, in éxperiundo ut répudies:
Quód nunc mi evenít: nam ego vitam dúram, quám vixi úsque adhuc,
Própe decurso spátio omitto. id quámobrem? re ipsa répperi,
Fácilitate níhil esse homini mélius neque cleméntia.
I'd esse verum, ex me átque ex fratre cuívis facile 'st nóscere.
I'lle suam semper égit vitam in ótio, in convíviis:
Clémens, placidus, núlli laedere ós, adridere ómnibus:
Sibi vixit: sibi súmptum fecit: ómnes benedícunt, amant.
E'go ille agrestis, saévos, tristis, párcus, truculentús, tenax
Dúxi uxorem: quam íbi miseriam vídi? nati fílii,
A'lia cura: heia aútem, dum studeo, íllis ut quamplúrimum
Fácerem, contrivi ín quaerundo vítam atque aetatém meam:
Núnc exacta aetáte hoc fructi pró labore ab eís fero,
O'dium: ille alter síne labore pátria potitur cómmoda:
I'llum amant: me fúgitant: illi crédunt consilia ómnia:

Illum diligúnt: aput illum súnt ambo, ego desértus sum:
Illum ut vivat óptant, meam autem mórtem exspectant scílicet.
Íta eos meo labóre eductos máxumo, hic fecít suos
Paúlo sumptu: míseriam omnem ego cápio; hic potitur gaúdia.
A'ge nunc jam, experiámur porro cóntra, ecquid ego póssiem
Blánde dicere aút benigne fácere, quando huc próvocat.
E'go quoque a meís me amari et mágni pendi póstulo.
Si íd fit dando atque óbsequendo, nón posteriorés feram.
Déerit: id mea mínume refert, quí sum natu máxumus.

Actus V. Scena. III.

Syrus. Demea.

Sy. Heus, Démea, rogat fráter, ne abeas lóngius.
D. Quis homo? ó Syre noster, sálve: quid fit? quíd agitur?
Sy. Recte. *D.* óptume 'st. jam núnc haec tria primum áddidi
Praetér naturam, *o nóster, quid fit? quíd agitur?*
Servum haút inliberálem praebes te: ét tibi
Lubéns bene faxim. *Sy.* grátiam habeo. *D.* atquí, Syre,
Hoc vérum 'st, et ipsa re éxperiere própediem.

Actus V. Scena IV.

Geta. Demea.

G. Era, ego húc ad hos províso, quam mox vírginem
Accérsant. set eccum Démeam. salvós sies.
D. O, quí vocare? *G.* Géta, *D.* Geta, hominem máxumi
Preti te esse, hodie júdicavi animó meo:
Nam is míhi profecto est sérvos spectatús satis,
Cui dóminus curae 'st: íta uti tibi sensí, Geta.
Et tíbi ob eam rem, síquid usus vénerit,
Lubéns bene faxim. méditor esse adfábilis.
Et béne precedit. *G.* bónus es, cum haec exístumas.
D. Paulátim plebem prímulum fació meam.

Actus V. Scena V.

Aeschinus. Demea. Syrus. Geta.

Ae. Occídunt me quidem, dúm nimis sanctas núptias
Student fácere; in apparándo consumúnt diem.
D. Quid ágitur, Aeschine? *Ae.* ehém, pater mi, tu híc eras?
D. Tuus hércle vero et ánimo et natúrá pater;
Qui té amat plus, quam hosce óculos. set cur nón domum
Uxórem accersis? *Ae.* cúpio: verum hoc míhi morae 'st

Tibícina. et hymenaéum qui cantént. *D.* eho,
Vin' tu huíc seni auscultáre? *Æ.* quid? *D.* missa haéc face,
Hymenaéum, turbas, lámpadas, tibícinas:
Atque hánc in horto máceriam jube dírui,
Quantúm potest: hac tránsfer: unam fác domum:
Tradúce et matrem et fámiliam omnem ad nós. *Æ.* placet,
Patér lepidissime. *D.* eúge, jam lepidús vocor.
Fratri aédes fient pérviae: turbám domum
Addúcet, sumptum admíttet: multa: quíd mea?
Ego lépidus ineo grátiam. jube núnc iam
Dinúmeret ille Bábylo vingintí minas.
Syre, céssas ire ac fácere? *Sy.* quid ego? *D.* dírue.
Tu illás, abi et tradúce. *G.* di tibi, Démea,
Benefáciant, cum te vídeo nostrae fámiliae
Tam ex ánimo factum vélle. *D.* dignos árbitror.
Quid tú ais? *Æ.* sic opínor. *D.* multo réctius 'st,
Quam illám puerperam hác nunc duci pér viam
Aegrótam. *Æ.* nil enim vídi melius, mí pater.
D. Sic sóleo. sed eccum, Mício egreditúr foras.

Actus V. Scena VI.

Micio. Demea. Aeschinus.

M. Iubet fráter? ubi is est? túa' jubes hoc, Démea?
D. Ego véro jubeo, et hác re et aliis ómnibus
Quam máxume unam fácere nos hanc fámiliam,
Colere, ádjuvare, adjúngere. *Æ.* ita quaesó, pater.
M. Haut áliter censeo. *D.* ímmo hercle ita nobís decet:
Primum huíus uxori est máter. *M.* est. quid póstea?
D. Proba ét modesta. *M.* ita ájunt. *D.* natu grándior.
M. Scio. *D.* párere jam diu haéc per annos nón potest:
Nec qui eám respiciat, quísquam est: sola est. *M.* quam híc rem agit?
D. Hanc te aéquum est ducere: et té operam, ut fiát, dare.
M. Me dúcere autem? *D.* té. *M.* me? *D.* te, inquam. *M.* inéptis. *D.* si tu sís homo,
Hic fáciat. *Æ.* mi patér. *M.* quid tu autem huic, ásine, auscultas? *D.* níhil agis:
Fieri áliter non potést. *M.* deliras. *Æ.* síne te exorem, mí pater.
M. Insánis? aufer. *D.* áge, da veniam fílio. *M.* satin' sánus es?
Ego nóvus maritus ánno demum quínto et sexagésimo
Fiam, átque anum decrépitam ducam? idne éstis auctorés mihi?
Æ. Fac: prómisi ego illis. *M.* prómisti autem? dé te largitór, puer.

D. Age, quid, si quid te május oret? *M.* quási si hoc non sit máxumum.
D. Da véniam. *Ae.* ne graváre. *D.* fac, promítte. *M.* non omíttitis?
Ae. Non, nísi te exorem. *M.* vís est haec quidem. *D.* áge prolixe, Mício.
M. Etsi hóc mihi pravum, inéptum, absurdum, atque álienum a vitá mea
Vidétur: si vos tántopere istuc vóltis, fiat. *Ae.* béne facis.
D. Meritó tuo te amo. vérum. *M.* quid? *D.* ego dícam, hoc cum fit, quód volo.
M. Quid núnc? quid restat? *D.* Hégio hic est hís cognatus próxumus:
Adfínis nobis; paúper: bene nos áliquid facere illí decet.
M. Quid fácere? *D.* agelli est híc sub urbe paúlum, quod locitás foras:
Huic démus, qui fruátur. *M.* paulum id aútem est? *D.* si multúm 'st, tamen
Faciúndum est: pro patre huíc est? bonus est; nóster est; recté datur.
Postrémo nunc meum íllud verbum fácio, quod tu, Mício,
Bene ét sapienter díxti dudum, Vítium commune ómnium est,
Quod nímium ad rem in senécta attenti súmus. hanc maculam nós decet
Effúgere: dictum est vére, et re ipsa fíeri oportet. *M.* gaúdeo.
Quid ístic? dabitur, quándoquidem hic volt. *Ae.* mí pater. núnc tu mihi,
D. Nunc mi és germanus páriter animo et córpore.

Actus V. Scena VII.

Syrus. Demea. Micio. Aeschinus.

Sy. Suó sibi gladio hunc júgulo. factum est, quód jussisti, Démea.
D. Frúgi homo es. ego édepol hodie, meá quidem sententia, Iúdico, Syrum fíeri esse aequum líberum. *M.* istunc líberum?
Quódnam ob factum? *D.* múlta. *Sy.* o noster Démea, edepol vír bonus 's:
E'go istos vobis úsque a pueris cúravi ambos sédulo;
Dócui, monui, béne praecepi sémper, quae potui ómnia.
D. Rés apparet. ét quidem porro haec, óbsonare cúm fide,
Scórtum adducere, ápparare dé die convívium:
Nón mediocris hóminis haec sunt ófficia. *Sy.* o lepidúm caput.
D. Póstremo, hodie in psáltria ista emúnda hic adjutór fuit,
Híc curavit: pródesse aequum 'st: álii meliorés erunt;
Dénique hic volt fíeri. *M.* vin' tu hoc fíeri? *Ae.* cupio. *M.* sí quidem

Tú vis, Syre, eho accéde huc ad me: líber esto. *Sy.* béne facis:
O'mnibus gratiam hábeo: et seorsum tíbi praeterea, Démea.
D. Gaúdeo. *Ae.* et ego. *Sy.* crédo: utinam hoc perpétuum fiat gaúdium,
Phrýgiam ut uxorém meam una mécum videam líberam.
D. O'ptumam quidem múlierem. *Sy.* et quidem tuó nepoti, hujus fílio,
Hódie prima mámmam dedit haec. *D.* hércle vero sério,
Síquidem prima dédit; haut dubium 'st, quín emitti aequúm siet.
M. O'b eam rem? *D.* ob eam: póstremo a me argéntum, quanti est, súmito.
Sy. Dí tibi, Demea, ómnia omnes sémper optata ófferant.
M. Sýre, processisti hódie pulchre. *D.* síquidem porro, Mício,
Tú tuum officium fácies; atque huic áliquid paulum praé manu
Déderis, unde utátur. reddet tíbi cito. *M.* istoc vílius,
Ae. Frúgi homo est. *Sy.* reddam hércle, da modo. *Ae.* áge, pater. *M.* post cónsulam.
D. Fáciet. *Sy.* o vir óptume. *Ae.* o patér mi festivíssime.
M. Quíd istuc? quae res tám repente móres mutavít tuos?
Quód prolubium? quae ístaec subita est lárgitas? *D.* dicám tibi:
U't id ostenderém, quod te isti fácilem et festivóm putant,
I'd non fieri ex véra vita, néque adeo ex aequo ét bono;
Sét adsentando atque índulgendo et lárgiendo, Mício.
Núnc adeo, si ob eám rem vobis méa vita invisa, Aéschine, est;
Quía non justa, injústa, prorsus ómnia omnino óbsequor;
Míssa facio: effúndite, emite, fácite, quod vobís lubet.
Séd si id voltis pótius, quae vos própter adulescéntiam
Mínus videtis, mágis inpense cúpitis, consulitís parum,
Haéc reprehendere ét corrigere quem, óbsecundare ín loco:
E'cce me, qui id fáciam vobis. *Ae.* tíbi, pater, permíttimus:
Plús scis, quid opus fácto est. set de frátre quid fiét? *D.* sino.
Hábeat: in istac fínem faciat. *M.* ístuc recte. Plaúdite.

TERENTII HECYRA.

C. SULPITII APOLLINARIS PERIOCHA IN HECYRAM.

Uxórem duxit Pámphilus Philúmenam,
Cui quóndam ignorans vírgini vitium óbtulit,
Cujúsque per vim quém detraxit ánulum,
Dedérat amicae Bácchidi meretriculae.
Dein profectus in Ímbrum est: nuptam haut áttigit.
Hanc máter utero grávidam, ne id sciát socrus,
Ut aégram ad se transfért: revertit Pámphilus:
Depréndit partum: célat: uxorém tamen
Recipere non volt. páter incusat Bácchidis
Amórem. dum se púrgat Bacchis, ánulum
Matér vitiatae fórte agnoscit Mýrrhina,
Uxórem recipit Pámphilus cum fílio.

ACTA LUDIS MEGALENSIB. SEX. IUL. CAESARE CN. CORNELIO DOLABELLA AEDILIB. CURULIB. NON EST PERACTA. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDI. TIBIIS PARIB. TOTA GRAECA MENANDRU. FACTA EST. ACTA PRIMO SINE PROLOGO. DATA SECUNDO CN. OCTAVIO T. MANLIO COSS. RELATA EST. L. AEMILIO PAULO LUDIS FUNERALIB. NON EST PLACITA. TERTIO RELATA EST Q. FULVIO L. MARCIO AEDILIB. CURULIB. EGIT. L. AMBIVIUS TURPIO. PLACUIT.

Fabulae interlocutores.

PHILOTIS, meretrix. } personae adventiciae ad argumentum explicandum.
SYRA, anus. }

PARMENO, servus Sostratae.

LACHES, pater Pamphili, socer Philumenae.

SOSTRATA, mater Pamphili, socrus Philumenae.

BACCHIS, meretrix a Pamphilo nuper amata.

PHIDIPPUS, pater Philumenae, socer Pamphili.

PAMPHILUS, Bacchidem nuper amans, nunc quidem cum Philumena matrimonio conjunctus.

MYRRHINA, mater Philumenae, socrus Pamphili.

SOSIA, conservus Parmenonis, cum Pamphilo post navigationem (III, 4.) rediens.

Persona muta:

PHILUMENA, puella nupta Pamphilo.

PROLOGUS.

Hecyra ést huic nomen fábulae: haec cúm data est
Nova, eí novum intervénit vitium et cálamitas,
Ut néque spectari néque cognosci pótuerit:
Ita pópulus studio stúpidus in funámbulo
Animum óccuparat. núnc haec plane est pró nova:
Et ís, qui scripsit hánc, ob eam rem nóluit
Iterúm referre, ut íterum posset véndere.
Aliás cognostis éjus: quaeso hanc nóscite.

ALTER PROLOGUS.

Orátor ad vos vénio ornatu prólogi:
Sinite éxorator sim: eódem ut jure utí senem
Liceát, quo jure sum úsus adulescéntior;
Novás qui exactas féci ut inveteráscerent;
Ne cúm poëta scríptura evanésceret.
In hís, quas primum Caécili didicí novas,
Partím sum earum exáctus: partim víx steti.
Quia scíbam, dubiam fórtunam esse scénicam,
Spe incérta, certum míhi laborem sústuli.
Easdem ágere coepi, ut áb eodem alias díscerem
Novás, studiose; ne íllum ab studio abdúcerem.
Perféci, ut spectaréntur. ubi sunt cógnitae,
Placitaé sunt. ita poétam restitui ín locum,
Prope jám remotum injúria adversárium
Ab stúdio, atque ab labóre, atque arte ab música.
Quod sí scriptorem sprévissem in praésentia,
Et in déterrendo vóluissem operam súmere,
Ut in ótio esset, pótius quam in negótio;
Detérruissem fácile, ne alias scríberet.
Nunc quíd petam, mea caúsa aequo animo atténdite.
Hecyram ád vos refero, quám mihi per siléntium
Numquam ágere licitum est; íta eam oppressit cálamitas.
Eam cálamitatem vóstra intellegéntia
Sedábit, si erit adjútrix nostrae indústriae.

Cum prímum eam agere coépi, pugilum glória,
(Funámbuli eodem accéssit exspectátio)
Comitúm conventus, strépitus, clamor múlierum
Fecére, ut ante témpus exirém foras.
Vetere ín nova coepi úti consuetúdine,
In éxperiundo ut éssem: refero dénuo.
Primo áctu placeo: cum ínterea rumór venit,
Datum íri gladiatóres: populus cónvolat:
Tumúltuantur, clámant, pugnant dé loco:
Ego intérea meum non pótui tutarí locum.
Nunc túrba non est: ótium et siléntium est:
Agéndi tempus míhi datum est: vobís datur
Potéstas condecorándi ludos scénicos.
Nolíte sinere, pér vos artem músicam
Recídere ad paucos: fácite, ut vostra auctóritas
Meae auctóritati faútrix adjutríxque sit.
Si númquam avare prétium statui artí meae;
Et cum ésse quaestum in ánimum induxi máxumum,
Quam máxume servíre vostris cómmodis:
Sinite ímpetrare mé, qui in tutelám meam
Studiúm suum, et se in vóstram commíttit fidem,
Ne cum circumventum iníque iniqui inrídeant.
Mea caúsa causam accípite, et date siléntium:
Ut lúbeat scribere álias, mihique ut díscere
Novás expediat, pósthac pretio emptás meo.

Actus I. Scena I.

Philotis meretrix. Syra anus.

Ph. Per pól quam paucis réperias meretrícibus
Fidélis evenísse amatorés, Syra.
Vel hic Pámphilus jurábat quoticns Bácchidi,
Quam sáncte, ut quivis fácile posset crédere,
Numquamílla viva uxórem ducturúm domum.
Em dúxit. *Sy.* ergo própterea te sédulo
Et móneo et hortor, né te cujusquam misereat:
Quin spólies, mutiles, láceres, quemquem nácta sis.
Ph. Utín' eximium néminem habeam? *Sy.* néminem,
Nam némo quisquam illórum, scito, ad té venit,
Quin íta paret sese, ábs te ut blanditiís suis
Quam mínimo pretio suám voluptatem éxpleat:
Hiscíne tu, amabo, nón contra insidiábere?
Sy. Tamén pol eandem injúrium 'st esse ómnibus.
Ph. Injúrium autem est, úlcisci adversários?
Aut, quá via captent té illi, eadem ipsós capi?

Eheú me miseram, cúr non aut istaéc mihi
Actás et forma est, aút tibi haec senténtia?

Actus I. Scena II.

Parmeno. Philotis. Syra.

Pa. Senéx si quaeret mé, modo isse dícito
Ad pórtum, percontátum adventum Pámphili.
Audín', quid dicam, Scírte? si quaerét me, uti
Tum dícas: si non quaéret, nullus díxeris:
Aliás ut uti póssim causa hac íntegra.
Set vídeon' ego Philótium? unde haec ádvenit?
Philótis, salve múltum. *Ph.* o salve, Pármeno.
Sy. Salvé mecastor, Pármeno. *Pa.* et tu edepól, Syra.
Philótis, dic mi, ubi te óblectasti támdiu?
Ph. Minime équidem me oblectávi, quae cum mílite
Corínthum hinc sum profécta inhumaníssimo:
Biénnium ibi perpétuum misera illúm tuli.
Pa. Edepól te desidérium Athenarum árbitror,
Philótium, cepísse saepe: et té tuum
Consílium contemsísse. *Ph.* non dicí potest,
Quam cúpida eram huc redeúndi, abeundi a mílite,
Vosque híc videndi, antíqua ut consuetúdine
Agitárem inter vos líbere convívium:
Nam illi haút licebat, nísi praefinitó loqui,
Quae illí placerent. *Pa.* haút opinor, cómmode
Finém statuisse orátioni mílitem.
Ph. Set quíd hoc negoti est? módo quae narravít mihi
Hic íntus Bacchis? quód ego numquam crédidi
Fore, ut ílle hac viva pósset animum indúcere,
Uxórem habere. *Pa.* habére autem? *Ph.* eho tu, an nón
habet?
Pa. Habét: set firmae haec véreor ut sint núptiae.
Ph. Ita dí deaeque fáxint: si in rem est Bácchidis.
Set quí istuc credam ita ésse, dic mihi, Pármeno.
Pa. Non ést opus proláto: hoc percontárier
Desíste. *Ph.* nempe ea caúsa, ut ne id fiát palam.
Ita mé di amabunt, haút propterea té rogo,
Ut hoc próferam, set ut tácita mecum gaúdeam.
Pa. Numquám tam dices cómmode, ut tergúm meum
Tuam ín fidem committam. *Ph.* ah noli, Pármeno:
Quasi tú non multo mális narrare hóc mihi,
Quam ego, quaé percontor, scíre. *Pa.* vera haec praédicat:
Et illúd mihi vitium 'st máxumum. si míhi fidem
Das, té tacituram, dícam. *Ph.* ad ingeniúm redis.

Fidém do: loquere. *Pa.* auscúlta. *Ph.* istic sum. *Pa.* hanc Bácchidem
Amábat, ut cum máxume, tum Pámphilus,
Cum páter, uxorem ut dúcat, orare óccipit:
Et haéc communia ómnium quae súnt patrum,
Seném sese esse dícere, illum autem esse únicum:
Praesídium velle sé senectutí suae.
Ille prímo se negáre. set postquam ácrius
Pater ínstat, fecit, ánimi ut incertús foret,
Pudórin' anne amóri obsequeretúr magis.
Tundéndo atque odio dénique effecít senex:
Despóndit ei gnatum huíus vicini próxumi.
Usque íllud visum est Pámphilo ne utiquám grave;
Donéc jam in ipsis núptiis, postquám videt
Parátas; nec moram úllam, quin ducát, dari:
Ibi démum ita aegre túlit, ut ipsam Bácchidem,
Si adésset, credo, ibi éjus commiserésceret.
Ubicúmque datum erat spátium solitúdinis,
Ut cónloqui mecum úna posset: „Pármeno,
Perií, quid ego egi? in quód me conjecí malum?
Non pótero ferre hoc, Pármeno: perií miser.“
Ph. At té di deaeque cúm tuo istoc odió, Laches.
Pa. Ut ad paúca redeam, uxórem deducít domum.
Nocteílla prima vírginem non áttigit:
Quae cónsecuta 'st nóx eam, nihiló magis.
Ph. Quid aís? cum virgine úna adulescens cúbuerit
Plus pótus, sese illa ábstinere ut pótuerit?
Non vérisimile dícis: neque verum árbitror.
Pa. Credo, íta videri tíbi: nam nemo ad té venit,
Nisi cúpiens tui: ille invítus illam dúxerat.
Ph. Quid deínde fit? *Pa.* diébus sane paúculis
Post, Pámphilus me sólum seducít foras;
Narrátque, ut virgo ab se íntegra etiam túm siet:
Seque ánte, quam eam uxórem duxissét domum,
Sperásse, eas toleráre posse núptias.
„Set quám decrerim mé non posse díutius
Habére, eam ludíbrio haberi, Pármeno,
Quin íntegram itidem réddam, ut accepí, suis,
Neque honéstum mihi, neque útile ipsi vírgini est.“
Ph. Pium ác pudicum ingénium narras Pámphili.
Pa. „Hoc égo proferre, incómmodum mi esse árbitror:
Reddí patri autem, cuí tu nil dicás viti,
Supérbum est: set illam spéro, ubi hoc cognóverit,
Non pósse se mecum ésse, abituram dénique.“
Ph. Quid intérea? ibatne ad Bácchidem? *Pa.* cotídie.

Set út fit, postquam hunc álienum ab sesé videt,
Malígna magis et mágis procax facta ílico est.
Ph. Non édepol mirum. *Pa.* atque éa res multo máxume
Disjúnxit illum abílla; postquam et ípse se,
Et íllam, et hanc, quae dómi erat, cognovít satis,
Ad exémplum ambarum móres earum exístumans.
Haec, íta uti liberáli atque ingenuaé decet,
Pudéns, modesta; incómmoda, atque injúrias
Viri ómnis ferre; et tégere contumélias.
Hic ánimus, partim uxóris misericórdia
Devínctus, partim víctus hujus injúria,
Paulátim elapsus 'st Bácchidi, atque huc tránstulit
Amórem, postquam pár ingenium náctus est.
Intérea in Imbro móritur cognatús senex
Horúnce. ad hos ea rédiit lege heréditas.
Eo amántem invitum Pámphilum extrudít pater.
Relíquit hic cum mátre uxorem: nám senex
Rus ábdit sese: huc ráro in urbem cómmeat.
Ph. Quid adhúc habent infírmitatis núptiae?
Pa. Nunc aúdies. primo hós dies complúsculos
Bene cónvenibat sáne inter eas. ínterim
Miris modis odísse coepit Sóstratam:
Neque lites uliae intér eas, postulátio
Numquám. *Ph.* quid igitur? *Pa.* sí quando ad eam accésserat
Confábulatum, fúgere e conspectu ílico,
Vidére nolle: dénique ubi non quít pati,
Simulát, se ad matrem accérsi ad rem divínam, abit;
Ubi illíc dies est complúris, accersí jubet:
Dixére causam néscio quam. iterúm jubet;
Nemó remisit. póst quam accersit saépius,
Aegram ésse simulant múlierem. nostra ílico
It vísere ad eam: admísit nemo. hoc úbi senex
Rescívit, heri ea caúsa rure huc ádvenit,
Patrém continuo cónvenit Philúmenae.
Quid égerint intér se, nondum etiám scio:
Nisi sáne curae est, quórsum eventurum hóc siet.
Habés omnem rem: pérgam, quo coepi hóc iter.
Ph. Et quídem ego: nam constítui cum quodam hóspite,
Me esse íllum conventúram. *Pa.* di vortánt bene,
Quod agás. *Ph.* vale. *Pa.* et tu béne vale, Philótium.

Actus II. Scena I.

Laches. Sostrata.

L. Pró deum atque hominúm, quod hoc genus est, quae haéc est conjurátio?

Ut ne ómnes mulierés eadem aeque stúdeant, nolintque ómnia.
Neque déclinatam quícquam ab aliarum ingenio ullam réperias?
Itaque ádeo uno animo omnés socrus odérunt nurus.
Virís advorsari aéque studium est, símilis pertinácia 'st.
In eódemque omnes míhi videntur lúdo doctae ad málitiam.
Ei lúdo, si ulla sít magistra, hanc ésse satis certó scio.
So. Me míseram, quae nunc, quámobrem accuser, néscio. *L.* hem, tu néscias.
So. Ita mé di bene ament, mí Laches,
Itaque úna inter nos ágere aetatem líceat. *L.* di mala próhibeant.
So. Meque ábs te inmerito esse áccusatum, póstmodo rescíscés, scio.
L. Te inmérito? an quicquam pro ístis factis dignum te dici potest?
Quae me ét te et familiám dedecoras, fílio luctúm paras.
Tum autem, éx amicis ínimici ut sint nóbis adfínés, facis:
Qui illúm decrerunt dignum, suos cui liberos committerent.
Tu sóla exorere, quaé perturbes haéc, tua inprudéntia.
So. Egon'? *L.* tu, ínquam, mulier, quaé me omnino lápidem, non hominém putas.
An, quía ruri esse crébro soleo, néscire arbitrámini,
Quo quísque pacto hic vítam vostrorum éxigat?
Múlto melius híc quae fiunt, quamílli, ubi sum adsidué, scio:
I'deo quia, ut vos dómi mihi eritis, proínde ego ero famá foris.
Iámpridem equidem audívi, cepisse ódium tui Philúmenam:
Mínimeque adeo mírum; et, ni id fecísset, magis mirúm foret.
Sét non credidi ádeo, ut etiam tótam hanc odissét domum:
Quód si scissem, illa híc maneret pótius, tu hinc issés foras.
A't vide, quam inmerito aégritudo haec óritur mi abs te, Sóstrata:
Rús habitatum abií, concedens vóbis et rei sérviens;
Súmptus vostros ótiumque ut nóstra res possét pati,
Meó labori haut párcens, praeter aéquom atque aetatém meam.
Nón te pro his curásse rebus, né quid aegre essét mihi?
So. Nón mea opera, néque pol culpa evénit. *L.* immo máxume:
Sóla hic fuisti: in te ómnis haeret cúlpa sola, Sóstrata.
Quae híc erant curáres; cum ego vos cúris solvi céteris.
Cúm puella anúm suscepisse ínimicitias nón pudet?
I'llius dices cúlpa factum? *So.* haut équidem dico, mí Laches.
L. Gaúdeo, ita me dí ament, gnati caúsa: nam de té quidem,
Sátis scio, peccándo detriménti nil fierí potest.
So. Quí scis, an ea caúsa, mi vir, me ódisse adsimuláverit,
U't cum matre plús una esset? *L.* quíd ais? non signi hóc sat est,
Quód heri nemo vóluit visentem ád eam te intro admíttere?
So. E'nim lassam oppidó tum esse aibant: eo ád eam non admíssa sum.

L. Tuós esse ego illi móres morbum mágis, quam ullam aliam rem, árbitror:
E't merito adeo: nám vostrarum núlla est, quin gnatúm velit
Dúcere uxorem: ét quae vobis plácita est, condició datur:
U'bi duxere inpúlsu vostro, vóstro inpulsu easdem éxigunt.

Actus II. Scena II.

Phidippus. Laches. Sostrata.

Ph. Etsí scio ego, Philúmena, meum jús esse, ut te cógam,
Quae ego ímperem, facere: égo tamen patrio ánimo victus fáciam,
Ut tíbi concedam; néque tuae libídini advorsábor.
L. Atque, éccum, Phidippum óptume video: hínc jam scibo, quíd sit
Phidíppe, et ego meis me ómnibus scio esse ádprime obsequéntem;
Set nón adeo, ut mea fácilitas corrúmpat illorum ánimos:
Quod tú si idem facerés, magis rem in vóstram et nostram id ésset.
Nunc vídeo in illarum ésse te potéstate. *Ph.* heia véro.
L. Adií te heri de fília: ut veni, ítidem incertum amísti.
Haut íta decet, si pérpetem hanc vis ésse adfinitátem,
Celáre te iras. sí quid est peccátum a nobis, prófer:
Aut éa refellendo, aút purgando vóbis corrigémus,
Te júdice ipso. sín ea 'st retinéndi causa apút vos,
Quia aégra est: te mi injúriam facere árbitror, Phidíppe;
Si métuis, satis ut meaé domi curétur diligénter.
At íta me di ament, haút tibi hoc concédo, etsi illi páter es,
Ut tu íllam salvam mágis velis; id ádeo gnati caúsa:
Quem ego íntellexi illam haút minus, quam se ípsum, magni fácere.
Neque ádeo clam te est, quam ésse eum latúrum graviter crédam,
Hoc sí rescierit: eó domum studeo hánc, prius quam ille huc rédeat.
Ph. Lachés, et diligéntiam vostram ét benignitátem
Novi: ét quae dicis, ómnia esse, ut dícis, animum indúco:
Et te hóc mi cupio crédere: illam ad vós redire stúdeo,
Si fácere possim ulló modo. *L.* quae rés te id facere próhibet?
Eho, númquidnam accusát virum? *Ph.* minumé: nam postquam atténdi
Magis, ét vi coepi cógere, ut redíret; sancte adjúrat,
Non pósse aput vos Pámphilo se absénte perduráre:
Aliúd fortasse alií viti est: ego sum ánimo leni nátus:
Non póssum advorsarí meis. *L.* hem, Sóstrata. *So.* heu me míseram!

L. Certúmne est istuc? *Ph.* núnc quidem ut vidétur: set numquíd vis?
Nam est, quód me transire ád forum jam opórtet. *L.* eo tecum úna.

Actus II. Scena III.

Sostrata.

E'depol ne nos súmus inique aeqae ómnes invisaé viris,
Própter paucas: quae ómnes faciunt dígnae ut videamúr malo.
Nam íta me di ament, quód me accusat vír nunc, sum extra nóxiam.
Sét non facile est éxpurgatu: ita ánimum induxerúnt, socrus
O'mnis esse iníquas: haut pol mé quidem: nam numquám secus
Hábui illam, ac si ex mé esset nata: néc, qui hoc mi eveniát, scio:
Nísi pol filiúm multimodis jam éxpeto, ut redeát domum.

Actus III. Scena. I.

Pamphilus. Parmeno. Myrrhina.

Pam. Némini plura ego acérba credo esse éx amore homini úmquam oblata,
Quám mi. heu me infelícem, hancine ego vítam parsi pérdere?
Hácine causa eram égo tantopere cúpidus redeundí domum? ah,
Quánto fuerat praéstabilius, úbivis gentium ágere aetatem,
Quam húc redire? atque haéc ita esse míserum me rescíscere?
Nám nos omnes, quíbus est alicunde áliquis objectús labos,
O'mne quod est intérea tempus príusquam id rescitúm 'st, lucro 'st.
Par. A't sic citius, quí te expedias hís aerumnis, réperias.
Sí non rediissés, haec irae fáctae essent multo ámpliores:
Sét nunc adventúm tuum ambas, Pámphile, scio réverituras.
Rém cognosces: íram expedies: rúrsum in gratiám restitues.
Lévia sunt, quae tú perǧravia esse ín animum induxtí tuum.
Pam. Quid cónsolare me? án quisquam usquam géntium 'st aequé miser?
Prius quam hánc uxorem dúxi, habebam alibi ánimum amori déditum:
Iam in hác re, ut taceam, cuívis facile est scitu, quam fuerím miser:
Tamén numquam ausus súm recusare eám, quam mi obtrudít pater.
Vix me híne abstraxi, atque ínpeditum in eo éxpedivi animúm meum;
Vixque húc contuleram: em, nóva res orta 'st, pórro ab hac quae me ábstrahat.

Tum aut mâtrem ex ea re me aût uxorem in cúlpa inventurum árbitror:
Quod cum íta esse invenerô, quid restat, nísi porro ut fiám miser?
Nam mátris ferre injúrias me, Pármeno, pietás jubet:
Tum uxóri obnoxiús sum, ita olim suó me ingenio pértulit:
Tot meás injuriás, quae numquam núllo patefecít loco.
Set mágnum nescio quíd necesse est évenisse, Pármeno,
Unde íra inter eas íntercessit, quaé tam permansít diu.
Par. Aut quidem hércle parvom, sí vis veram vérba ad rationem éxigi.
Non máxumae, quae máxumae sunt ínterdum irae, injúriae
Faciúnt: nam saepe est, quíbus in rebus álius ne iratús quidem est,
Cum de eádem causa est íracundus fáctus inimicíssimus.
Pueri ínter sese quás pro levibus nóxiis irás gerunt?
Quaprópter? quia enim qui eós gubernat ánimus, infirmúm gerunt.
Itidem íllae mulierés sunt, ferme ut púeri, levi senténtia:
Fortásse unum aliquod vérbum inter eas íram hanc concivísse, ere.
Pam. Abi, Pármeno, intro, ac mé venisse núntia. *Par.* hem, quid hoc ést? *Pam.* tace.
Trepidári sentio, ét cursari rúrsum prorsum. *Par.* agedum, ád fores
Accédo propius. hém, sensistin'? *Pam.* nóli fabulárier.
Pro Iúppiter, clamórem audivi. *Par.* túte loqueris, mé vetas.
M. Tace, óbsecro, mea gnáta. *Pam.* matris vóx visa 'st Philúmenae.
Nullús sum. *Par.* qui dum? *Pam.* périi. *Par.* quamobrem? *Pam.* néscio quod magnúm malum
Profécto, Parmenó, me celas. *Par.* úxorem Philúmenam
Pavitáre nescio quíd dixerunt: íd si forte est, néscio.
Pam. Intérii: cur id míhi non dixti? *Par.* quía non poteram una ómnia.
Pam. Quid mórbi est? *Par.* nesció. *Pam.* quid? nemon' médicum adduxit? *Par.* néscio.
Pam. Cesso hínc ire intro, ut hóc quamprimum, quícquid est, certó sciam?
Quonám modo, Philúmena mea, núnc te offendam adféctam?
Nam sí periclum in te úllum inest, perísse me una haut dúbium est.
Par. Non úsus facto est míhi nunc hunc intró sequi:
Nam invísos omnis nós esse illís séntio.
Heri némo voluit Sóstratam intro admíttere.
Sí fórte morbus ámplior factús siet,
Quod sáne nolim, máxume eri causá mei;
Servom flico introíisse dicent Sóstratae,
Aliquíd tulisse cómminiscentúr mali

Capiti átque aetati illórum, qui jam auctús siet.
Era in crímen veniet, égo vero in magnúm malum.

Actus III. Scena II.

Sostrata. Parmeno. Pamphilus.

So. Nescío quid jamdudum aúdio hic tumúltuari mísera:
Male métuo, ne Philúmenae magis mórbus adgravéscat:
Quod te, Aésculapi, et té, Salus, ne quíd sit hujus, óro.
Nunc ád eam visam. *Par.* heus, Sóstrata. *So.* hem. *Par.* iterum ístinc excludére?
So. Ehem, Pármeno, tun' híc eras? perii, quid faciam mísera?
Non vísam uxorem Pámphili, cum in próxumo hic sit aégra?
Par. Non vísas? ne mittás quidem viséndi causa quémquam.
Nam quí amat, cui odio ípsus est, bis fácere stulte dúco.
Labórem inanem ipsús capit, et illí molestiam ádfert.
Tum fílius tuus íntroiit, vidére, ut venit, quíd agat.
So. Quid áis? an venit Pámphilus? *Par.* venit. *So.* dis gratiam hábeo.
Hem, istóc verbo animus mi rediit, et cúra ex corde excéssit.
Par. Iam eá te causa máxume nunc húc introire nólo:
Nam, sí remittent quíppiam Philúmenam dolóres,
Omném rem narrabit, scio, contínuo sola sóli.
Quae intér vos intervénerint, unde ortum ést initium írae.
Átque éccum, video ipsum égredi, quam trístis. *So.* o mi gnáte.
Pam. Mea máter, salve. *So.* gaúdeo venísse salvom. sálvan'
Philúmena est? *Pam.* meliúscula est. *So.* utinam ístuc ita di fáxint.
Quid tu ígitur lacrumas? aút quid es tam trístis? *Pam.* recte, máter.
So. Quid fúit tumulti? díc mihi: an dolór repente invásit?
Pam. Ita fáctum 'st. *So.* quid morbi ést? *Pam.* febris. *So.* cotídiana? *Pam.* ita ájunt.
I sódes intro, cónsequar jam té, mea mater. *So.* fíat.
Pam. Tu púeris curre, Pármeno, obviam, átque eis onera adjúta.
Par. Quid? nón sciunt ipsí viam, domúm qua redeant? *Pam.* céssas?

Actus III. Scena III.

Pamphilus.

Néqueo mearum rérum initium ullum ínvenire idóneum,
Unde exordiár narrare, quaé nec opinanti áccidunt;
Pártim quae perspéxi his oculis, pártim quae accepi aúribus:
Quá me propter éxanimatum cítius eduxí foras.
Nám modo intro ut mé corripui tímidus, alio súspicans

Mórbo me visúrum adfectam, ac sénsi uxorem esse; ei mihi,
Póstquam me aspexére ancillae advénisse, ilico omnés simul
Laétae exclamant, Vénit, id quod dérepente aspéxerant,
Sét continuo vóltum earum sénsi inmutari ómnium,
Quía tam incommode íllis fors obtúlerat adventúm meum.
U'na illarum intérea propere praécucurrit, núntians,
Mé venisse: ego eíus videndi cúpidus, recta cónsequor.
Póstquam intro adveni, éxtemplo ejus mórbum cognoví miser:
Nám neque, ut celáre posset, témpus spatium ullúm dabat:
Néque voce alia, ac rés monebat ípsa, poterat cónqueri.
Póstquam aspexi, o fácinus indignum, ínquam: et corripui ílico
Me índe lacrumans, íncredibili re átque atroci pércitus:
Máter consequitúr: jam ut limen éxirem, ad genua áccidit,
Lácrumans misera: míseritum est. profécto hoc sic est, út puto.
O'mnibus nobis út res dant sese, íta magni atque humilés sumus.
Hánc habere orátionem mécum principio ínstitit:
„O' mi Pamphile, ábs te quamobrem haec ábierit, causám vides:
Nám vitium est oblátum virgini ólim ab nescio quo ínprobo.
Núnc huc confugít, te atque alios pártum ut celarét suum."
Sét cum orata ejús reminiscor, néqueo, quin lacrumém miser.
„Quaéque fors fortúna est, inquit, nóbis quae te hodie óbtulit,
Pér eam te obsecrámus ambae, sí jus, si fas ést, uti
A'dvorsa ejus pér te tecta tácitaque aput omnís sient.
Si úmquam te erga animo ésse amico sénsti eam, mi Pámphile;
Síne labore hanc grátiam te ut síbi des pro illa, núnc rogat.
Céterum de rédducenda id fácias, quod in rem sít tuam.
Párturire eám, neque gravidam esse éx te, solus cónscius.
Nam ájunt tecum póst duobus cóncubuisse eam ménsibus.
Túm, postquam ad te vénit, mensis ágitur hic jam séptimus:
Quód te scire, ipsa índicat res. núnc si potis est, Pámphile,
Máxume voló doque operam, ut clam éveniat partús patrem,
A'tque adeo omnis. sét si id fieri nón potest, quin séntiant,
Dícam abortum essé: scio, nemini áliter suspectúm fore,
Quín, quod verisímile est, ex te récte eum natúm putent.
Cóntinuo exponétur: hic tibi níhil est quicquam incómmodi:
E't illi miserae indígne factam injúriam contéxeris."
Póllicitus sum; et sérvare in eo cértum 'st, quod dixí, fidem.
Nám de redducénda, id vero ne útiquam honestum esse árbitror:
Néc faciam: etsi amór me graviter cónsuetudoque eíus tenet.
Lácrumo, quae posthác futura 'st víta, cum in mentém venit,
Sólitudoque. ó fortuna, ut úmquam perpetua és data.
Sét jam prior amór me ad hanc rem exércitatum réddidit.
Quó ego eum consílio missum féci, eodem huic operám dabo.
Adest Pármeno cum púeris: hunc minimé 'st opus
In hác re adesse: nam ólim soli crédidi,

Eá me abstinuisse ín principio, cúm data est:
Vereór, si clamorem eíus hic crebro exaúdiat,
Ne párturire intéllegat. aliquó mihi est
Hinc áblegandus, dúm parit Philúmena.

Actus III. Scena IV.

Parmeno. Sosia. Pamphilus.

Par. Ain' tú, tibi hoc incómmodum evenísse iter?
So. Non hércle verbis, Pármeno, dicí potest
Tantúm, quam re ipsa návigare incómmodum 'st.
Par. Itane ést? *So.* o fortunáte, nescis quíd mali
Praetérieris, qui númquam es ingressús mare.
Nam aliás ut mittam míserias, unam hánc vide:
Diés triginta aut plús eo in naví fui,
Cum intérea semper mórtem exspectabám miser:
Ita úsque advorsa témpestate usí sumus.
Par. Odiósum. *So.* haut clam me est: dénique hercle aufúgerim
Potiús, quam redeam, si eó mi redeundúm sciam.
Par. Olím quidem te caúsae inpellebánt leves,
Quod núnc minitare fácere, ut faceres, Sósia.
Set Pámphilum ipsum vídeo stare ante óstium:
Ite íntro: ego hunc adíbo, si quid mé velit.
Ere, étiam tu hic stas? *Pam.* ét quidem te exspectáns. *Par.* quid est?
Pam. In árcem transcurso ópus est. *Par.* cui hominí? *Pam.* tibi.
Par. In árcem? quid eo? *Pam.* Cállidemidem hóspitem
Mycónium, qui mecum úna vectus 'st, cónveni.
Par. Perií. vovisse hunc dícam, si salvós domum
Redísset umquam, ut me ámbulando rúmperet.
Pam. Quid céssas? *Par.* quid vis dícam? an conveniám modo?
Pam. Immo, quód constitui me hódie conventúrum eum,
Non pósse, ne me frústra illi exspectét. vola.
Par. At nón novi hominis fáciem. *Pam.* at faciam, ut nóveris:
Magnús, rubicundus, críspus, crassus, caésius,
Cadáverosa fácie. *Par.* di illum pérduint.
Quid, sí non veniet? máneamne usque ad vésperum?
Pam. Manéto: curre. *Par.* nón queo: ita deféssus sum.
Pam. Ille ábiit. quid agam infélix? prorsus néscio,
Quo pácto hóc celem, quód me oravit Mýrrhina,
Suae gnátae partum: nám me miseret múlieris.
Quod pótero faciam, támen ut pietatém colam:
Nam mé parenti pótius, quam amori óbsequi
Opórtet. attat éccum, Phidippum ét patrem
Video: hórsum pergunt: quíd dicam hisce, incértus sum.

Actus III. Scena V.

Laches. Phidippus. Pamphilus.

L. Díxtin' dudum, illám dixisse, se éxspectare fílium?
Ph. Fáctum. *L.* venisse ájunt: redeat. *Pa.* caúsae quid dicám patri,
Quámobrem non reddúcam, nescio. *L.* quém ego hic audiví loqui?
Pa. Cértum offírmare ést viam me, quám decrevi pérsequi.
L. Ípsus est, de quo hóc agebam técum. *Pa.* salve, mí pater.
L. Gnáte mi, salvé. *Ph.* bene factum, te ádvenisse, Pámphile:
E't adeo, quod máxumum 'st, salvom átque validum. *Pa.* créditur.
L. A'dvenis modo? *Pa.* ádmodum. *L.* cedo, quíd reliquit Phánia,
Cónsobrinus nóster? *Pa.* sane hercle hómo voluptati óbsequens
Fúit, dum vixit: ét qui sic sunt: haút multum heredém juvant.
Sibi vero hanc laudém relinquont: víxit, dum vixít, bene.
L. Túm tu igitur nihil áttulisti huc úna plus senténtia?
Pa. Quícquid est id, quód reliquit, prófuit. *L.* immo óbfuit:
Nam íllum vivum et sálvom vellem. *Ph.* inpúne optare istúc licet:
Ille reviviscét jam numquam; et támen, utrum malís, scio.
L. Héri Philumenam ád se adcersi hic jússit: dic, jussísse te.
Ph. Nóli fodere: jússi. *L.* set eam jám remittet. *Ph.* scílicet.
Pa. O'mnem rem scio, út sit gesta: advéniens audiví modo.
P. A't istos invidós di perdant, qui haéc libenter núntiant.
La. E'go me scio cavísse, ne ulla mérito contumélia
Fíeri a vobis pósset: idque sí nunc memorare híc velim,
Quám fideli animo ét benigno in íllam et clementí fui,
Vére possum: ní te ex ipsa haec mágis velim rescíscere:
Námque eo pacto máxume aput te méo erit ingenió fides,
Cum ílla, quae in me núnc iniqua est, aéqua de me díxerit.
Néque mea culpa hóc discidium evénisse, id testór deos.
Sét quando esse indígnam sese députat, matrí meae
Quaé concedat, quaéque ejus mores tóleret sua modéstia;
Néque alio componi pacto pótis inter eas grátia 'st;
Ségreganda aut máter a me est, Phídippe, aut Philúmena:
Núnc me pietas mátris potius cómmodum suadét sequi.
L. Pámphile, haut invíto ad aures sérmo mihi accidít tuus,
Cúm res postputásse te omnis praé parente intéllego.
Vérum vide, ne inpúlsus ira práve insistas, Pámphile.
Pa. Quid ego íra inpulsus núnc in íllam iníquos sim?
Quae númquam quicquam ergá me commeritá 'st, pater,
Quod nóllem; et saepe méritam, quod vellém, scio:
Amóque et laudo et véhementer desídero:
Nam fuísse erga me míro ingenio expértus sum:
Illíque exopto, ut réliqüam vitam éxigat
Cum eó viro, me quí sit fortunátior:
Quandóquidem illam a me distrahit necéssitas.

Ph. Tibi id ín manu est, ne fíat. *L.* si sanús sies,
Iube illám redire. *Pa.* nón est consilium, pater:
Matrís servibo cómmodis. *L.* quo abís? mane,
Mane, ínquam: quo abis? *Ph.* quae haéc est pertinácia?
L. Dixín', Phidippe, hanc rem aégre laturum ésse eum?
Quamobrém te orabam, fíliam ut remítteres.
Ph. Non crédidi edepol ádeo inhumanúm fore:
Itan' ís nunc sibi me súpplicaturúm putat?
Si est, út velit reddúcere uxorém; licet:
Sin álio est animo; rénumeret dotem húc, eat.
L. Ecce aútem, tu quoque próterve iracúndus es.
Pa. Percóntumax redísti huc nobis, Pámphile.
L. Decédet ira haec: étsi merito irátus est.
Ph. Quia paúlum vobis áccessit pecúniae,
Subláti animi sunt. *L.* étiam mecum lítigas?
Ph. Deliberet, renúntietque hodié mihi,
Velítne an non: ut álii, si huic non ést, siet.
L. Phidíppe, ades, audi paúcis. abiit. quíd mea?
Postrémo inter se tránsigant ipsi, út lubet:
Quandó nec gnatus neque híc mi quicquam obtémperant;
Quae díco parvipéndunt. porto hoc júrgium
Ad uxórem, cujus haec fíunt consilio ómnia:
Atque in eam hoc omne, quód mihi aegre 'st, évomam.

Actus IV. Scena I.

Myrrhina. Phidippus.

M. Périi, quid agam? quó me vortam? quíd viro, meo réspondebo
Mísera? nam audivísse vocem púeri visus 'st vágientis:
Ita corripuit dérepente tácitus sese ad fíliam:
Quód si rescierít, peperisse eam; íd qua causa clám me habuisse
Dícam, non edepól scio.
Set óstium concrépuit: credo, ipsum éxire ad me: núlla sum.
Ph. Uxor, ubi me ad fíliam ire sénsit, se eduxít foras:
Atque eccam video. quíd ais, Myrrhina? heús tibi dico. *M.* míhine, mi vir?
Ph. Vír ego tuus sim? tú virum me, aut hóminem deputás adeo esse?
Nám si utrumvis hórum, mulier, úmquam tibi visús forem,
Nón sic ludíbrio tuis factis hábitus essem. *M.* quíbus? *Ph.* at rogitas?
Péperit filia? hém, taces? ex quó? *M.* patrem istuc rógitare aequom est?
Périi: ex quo censés, nisi ex illo, cuí data est nuptum, óbsecro?
Ph. Crédo: neque adeo árbitrari pátris est aliter. sét demiror,

Quíd sit, quamobrem tántopere omnis nós celare vólueritis
Pártum; cum praesértim et recte et témpore ipso pépererit.
A'deon pervicáci esse animo, ut púerum praeoptarés perire,
E'x quo firmiórem inter nos fóre amicitiam pósthac scires:
Pótius quam advorsum ánimi tui libídinem esset cum íllo nupta?
E'go etiam illorum ésse culpam hanc crédidi, quae te ést penes.
M. Mísera sum. *Ph.* utinám sciam esse istúc: set nunc mi in méntem venit ex
Hác re, quod locúta es olim, quum íllum generum cépimus:
Nám negabas, fíliam tuam pósse te nuptám pati
Cúm eo, qui meretrícem amaret, quí pernoctarét foris.
M. Quámvis causam hunc súspicari, quam ípsam veram, mávolo.
Ph. Múlto prius, quam tú, illum scivi habére amicam, Myrrhina:
Vérum id vitium númquam decrevi ésse ego adulescéntiae:
Nam id ómnibus innatum. át pol jam aderit, sé quoque etiam cum óderit.
Set, ut ólim te ostendísti, nil cessávisti eadem esse úsque adhuc:
Ut fíliam ab eo abdúceres; neu, quód ego egissem, essét ratum.
Id núnc res indicium haéc facit, quo pácto factum vólueris.
M. A'deon' me esse pérvicacem cénses, cui matér siem
U't eo essem animo, si ésset nostro ex úsu hoc matrimónium?
Ph. Tún' prospicere aut júdicare, nóstram in rem quod sit, potes?
Aúdisti ex aliquó fortasse, quí vidisse eum díceret
E'xeuntem aut íntroeuntem ad amícam. quid tum póstea?
Sí modeste ac ráro hoc fecit: nónne dissimuláre nos
Mágis humanum est, quám dare operam, id scire, qui nos óderit?
Nám si is posset áb ea sese dérepente avéllere,
Quácum tot consuésset annos; nón eum hominem dúcerem,
Néc virum satis fírmum gnatae. *M.* mítte adulescentem óbsecro:
E't quae me peccásse ais. abi, eum, sólum solus cónveni:
Róga, velitne annón uxorem: si ést, ut dicat vélle se,
Rédde: sin est aútem, ut nolit, récte consuluí meae.
Ph. Sí quidem ille ipse nón volt, et tu sénsti, esse in eo, Myrrhina,
Péccatum; aderam, cuíus consilio fúerat ea par próspici.
Quámobrem incendor íra, te ausam fácere haec injussú meo:
I'nterdico, ne éxtulisse extra aédis puerum usquám velis.
Sét ego stultiór, meis dictis párere hanc qui póstulem.
I'bo intro, atque edícam servis, né quoquam ecferrí sinant.
M. Nullám pol credo múlierem me míseriorem vívere:
Nam ut híc laturus hóc sit, si ipsam rem, út siet, resciverit,
Non édepol clam me est, cum hóc, quod levius 'st, tam ánimo iracundó tulit:
Nec, quá via senténtia ejus póssit mutarí, scio.

Hoc mi únum ex plurimís miseriis réliqüum fuerát malum,
Si, púerum ut tollam, cógit, cui nos quí sit nescimús pater:
Nam cúm conpressa est gnáta, forma in ténebris nosci nón quita est:
Neque détractum ei tum quícquam est, qui post pósset nosci quí siet:
Ipse éripuit vi, in dígito quem habuit, vírgini abiens ánulum.
Simul véreor Pamphilúm, ne orata nóstra nequeat díutius
Celáre, cum sciét, alienum púerum tolli pró suo.

ACTUS IV. SCENA II.

SOSTRATA. PAMPHILUS.

So. Non clám me est, gnate mí, tibi me esse súspectam, uxorém tuam
Proptér meos mores hínc abisse: etsi éa dissimulas sédulo:
Verum íta me di ament, ítaque obtingant éx te, quae exoptó mihi,
Ut númquam sciens commérui, merito ut cáperet odium illám mei:
Teque ánte quod me amáre rebar, cí rei firmastí fidem:
Nam mi íntus tuus patér narravit módo, quo pacto me hábueris
Praepósitam amori tuó: nunc tibi me cértum est contra grátiam
Reférre, ut aput me praémium esse pósitum pietatí scias.
Mi Pámphile, hoc et vóbis et meae cómmodum famae árbitror:
Ego rús abituram hinc cúm tuo me esse cérto decreví patre;
Ne méa praesentia óbstet, neu causa úlla restet réliqüa,
Quin túa Philumena ád te redeat. *Pa.* quaéso, quid istuc cónsili est?
Illíus stultitia vícta, ex urbe tú rus habitatúm migres?
Haut fácies: neque sinam, út qui nobis, máter, maledictúm velit,
Mea pértinacia ésse dicat fáctum, haut tua modéstia.
Tum tuás amicas te ét cognatas déserere et festós dies
Mea caúsa, nolo. *So.* níl pol jam istaec míhi res voluptatís ferunt:
Dum aetátis tempus túlit, perfuncta sátis sum: satias jám tenet
Studiórum istorum: haec míhi nunc cura est máxuma, ut ne cuí mea
Longínquitas aetátis obstet; mórtemve exspectét meam.
Hic vídeo me esse invísam inmerito: témpus est concédere.
Sic óptume, ut ego opínor, omnis caúsas praecídam ómnibus:
Et me hác suspicióne exsolvam, et íllis morem géssero.
Sine me, óbsecro, hoc effúgere, volgus quód male audit múlierum.
Pa. Quam fórtunatus céteris sim rébus, absque una hác foret,
Hanc mátrem habens talem, íllam autem uxorem. *So.* óbsecro, mi Pámphile,
Non túte incommodám rem, ut quaeque est, ín animum inducés pati?
Si cétera ita sunt, út vis, ítaque, ut ésse ego illa exístumo;
Mi gnáte, da mi hanc véniam, redduc íllam. *Pa.* vae miseró mihi.

So. Et míhi quidem: nam haec rés non minus me mále habet, quam te, gnáte mi.

Actus IV. Scena III.

Laches. Sostrata. Pamphilus.

L. Quem cum ístoc sermonem hábueris, procul híc stans accepi, úxor.
Istúc est sapere, qui, úbicunque opus sit, ánimum possis fléctere;
Quod sít faciundum póst fortasse, idem hóc tu nunc si féceris.
So. Fórs fuat pol. *L.* ábi rus ergo hinc: íbi ego te et tu mé feres.
So. Spéro ecastor. *L.* í ergo intro, et compóne, quae tecúm simul
Ferántur. dixi, *So.* ita út jubes, faciám. *Pa.* pater.
L. Quíd vis, Pamphile? *Pa.* hínc abire mátrem? minume. *L.* quíd ita istuc vis?
Pa. Quía de uxore incértus sum etiam, quíd sim facturús. *L.* quid est?
Quíd vis facere, nísi reducere? *Pa.* équidem cupio, et vix contineor:
Sét non minuam meúm consilium: ex úsu quod est, id pérsequar:
Crédo, ea gratiá concordes mágis, si redducám, fore.
L. Néscias. verúm tua refert níhil, utrum illaec fécerint,
Quándo haec aberit. ódiosa haec est aétas adulescéntulis:
E' medio aequum excédere est, postrémo nos jam fábula
Sumus, Pámphile, Senex átque anus.
Set vídeo Phidippum égredi per témpus, accedámus.

Actus IV. Scena IV.

Phidippus. Laches. Pamphilus.

Ph. Tibí quoque iratus édepol sum, Philúmena,
Gravitér quidem. nam hercle ábs te est factum túrpiter:
Etsí tibi causa est de hác re: mater te ínpulit:
Huic véro nulla est. *L.* ópportune té mihi,
Phidíppe, in ipso témpore ostendís. *Ph.* quid est?
Pa. Quid réspondebo his? aút quo pacto hoc óperiam?
L. Dic fíliae, rus cónecssuram hinc Sóstratam:
Ne révereatur, mínus jam quo redeát domum. *Ph.* ah.
Nullám de his rebus cúlpam commeruít tua:
A Mýrrhina haec sunt mea úxore exorta ómnia:
Pa. Mutátio fit. *Ph.* éa nos perturbát, Lache.
Pa. Dum né reducam; túrbet porro, quám velit.
Ph. Ego, Pámphile, esse intér nos, si fierí potest,
Adfínitatem hanc sáne perpetuám volo:

Sin ést, ut aliter túa siet senténtia,
Accípias puerum. *Pa.* sénsit peperisse: óccidi.
L. Puerúm? quem puerum? *Ph.* nátus est nobís nepos:
Nam abdúcta a vobis praégnas fuerat fília,
Neque fuísse praegnatem úmquam ante hunc sciví diem.
L. Bene, íta me di ament, núntias: et gaúdeo
Natum íllum, et illam sálvam: set quid múlieris
Uxórem habes? aut quíbus moratam móribus?
Nosne hóc celatos támdiu? nequeó satis,
Quam hoc míhi videtur fáctum prave, próloqui.
Ph. Non míhi illud factum mínus dolet, quam tíbi, Lache.
Pa. Etiám si dudum fúerat ambiguum hóc mihi,
Nunc nón est; cum eam séquitur alienús puer.
L. Nullá tibi, Pamphile, híc jam consultátio 'st.
Pa. Perii. *L.* húnc videre saépe optabamús diem,
Cum ex te ésset aliquis, quí te appellarét patrem:
Evénit: habeo grátiam dis. *Pa.* núllus sum.
L. Redúc uxorem, ac nóli advorsarí mihi.
Pa. Patér, si ex me illa líberos vellét sibi,
Aut sé esse mecum núptam; satis certó scio,
Non clám me haberet, quód celasse intéllego.
Nunc, cum éjus alienum á me esse animum séntiam,
Neque cónventurum intér nos posthac árbitrer;
Quamobrém reducam? *L.* máter quod suasít sua,
Adulescens mulier fécit. mirandúmne id est?
Censén', te posse réperire ullam múlierem,
Quae cáreat culpa? an quía non delinquúnt viri?
Ph. Vosmét videte jám, Lache et tu Pámphile,
Remíssan' opus sit vóbis, redductán' domum.
Uxór quid faciat, ín manu non ést mea.
Neutra ín re vobis difficultas á me erit.
Set quíd faciemus púero? *L.* ridiculé rogas:
Quicquíd futurum 'st, huíc suum reddas scílicet;
Ut alámus nostrum. *Pa.* quem ípse neclexít pater,
Ego alám? *L.* quid dixti? eho an nón alemus, Pámphile?
Prodémus quaeso pótius? quae haec aménția est?
Enimvéro prorsus jám tacere nón queo.
Nam cógis, ea, quae nólo, ut praesente hóc loquar.
Iguárum censes tuárum lacrumarum ésse me?
Aut quíd sit hoc, quod sóllicitere ad húnc modum?
Primum háne ubi dixti caúsam, te proptér tuam
Matrém non posse habére hanc uxorém domi;
Pollícita est ea se cóncessuram ex aédibus.
Nunc, póstquam ademptam hanc quóque tibi causám vides;
Puér quia clam te est nátus, nactus álteram es.

Errás, tui animi sí me esse ignarúm putas.
Aliquándo tandem huc ánimum ut adducás tuum,
Quam lóngum spatium amándi amicam tíbi dedi?
Sumptús quos fecisti ín eam, quam animo aequó tuli?
Egi átque oravi técum, uxorem ut dúceres.
Tempús dixi esse: inpúlsu duxistí meo.
Quae tum, óbsecutus míhi, fecisti ut décuerat.
Nunc ánimum rursum ad méretricem induxtí tuum:
Cui tu óbsecutus, fácis huic adeo injúriam.
Nam in eándem vitam té revolutum dénuo
Video ésse. *Pa.* mene? *L.* te ípsum: et facis injúriam.
Confíngis falsas caúsas ad discórdiam,
Ut cumílla vivas, téstem hanc cum abs te amóveris:
Sensítque adeo uxor. nam eí causa alia quaé fuit,
Quamobrem ábs te abiret? *Ph.* pláne hic divinát: nam id est.
Pa. Dabo júsjurandum, níhil esse istorúm tibi. *L.* ah,
Redúc uxorem: aut, quámobrem non opus sít, cedo.
Pa. Non ést nunc tempus. *L.* púerum accipias: nam ís quidem
In cúlpa non est: póst de matre vídero.
Pa. Omníbus modis misér sum: nec, quid agám, scio:
Tot mé nunc rebus míserum concludít pater.
Abíbo hinc, praesens quándo promoveó parum.
Nam púerum injussu crédo non tollént meo;
Praesértim in ea re cúm sit mi adjutrix socrus.
L. Fugis? hém, nec quicquam cérti respondés mihi?
Num tíbi videtur ésse aput sesé? sine:
Puerúm, Phidippe, míhi cedo: ego alam. *Ph.* máxume.
Non mírum fecit úxor, si hoc aegré tulit:
Amárae mulierés sunt, non facile haéc ferunt.
Proptérea haec ira 'st: nam ípsa narravít mihi:
Id ego hóc praesente tíbi nolueram dícere:
Neque illí credebam prímo: nunc verúm palam est.
Nam omníno abhorrere ánimum huic video a núptiis.
L. Quid érgo agam, Phidíppe? quid das cónsili?
Ph. Quid agás? meretricem hánc prímum adeundam cénseo:
Orémus: accusémus: gravius dénique
Minitémur, si cum illo hábuerit rem póstea.
L. Faciam út mones. eho cúrre, puer, ad Bácchidem hanc
Vicínam nostram: huc évoca verbís meis.
At te óro porro in hác re adjutor sís mihi. *Ph.* ah,
Jamdúdum dixi, itidémque nunc dicó, Lache:
Manére adfinitátem hanc inter nós volo,
Si ulló modo est, ut póssit; quod speró fore.
Set vín' adesse me úna, dum istam cónvenis?
L. Immo véro abi, aliquam púero nutricém para.

Actus V. Scena I.

Bacchis. Laches.

B. Non hóc de nihilo 'st, quód Laches me núnc conventam
esse éxpetit:
Nec pól me multum fállit: quin, quod súspicor, sit, quód velit.
L. Vidéndum est, ne minus própter iram hinc ímpetrem, quam
póssiem:
Aut né quid faciam plús, quod post me mínus fecisse sátius sit.
Adgrédiar. Bacchis, sálve.
B. Salvé, Lache. *L.* edepol crédo, te non níl mirari, Bácchis,
Quid sít, quapropter te húc foras puerum évocare jússi.
B. Ego pól quoque etiam tímida sum, cum vénit in mentem,
quaé sim:
Ne nómen quaesti mi óbsiet: nam móres facile tútor.
L. Si véra dicis, níl tibi est a mé pericli, múlier:
Nam jam aétate ea sum, ut nón siet peccáto mi ignosci aéquom:
Quo mágis res omnis caútius, ne témere faciam, adcúro.
Nam, si íd nunc facis factúrave es, bonás quod par est fácere;
Inscítum, offerre injúriam tibi, ínmerenti iníquom est.
B. Est mágna ecastor grátia, de istác re quam tibi hábeam,
Nam quí post factam iujúriam purgét, parum mihi prósit.
Set quíd istuc est? *L.* meúm receptas fílium ad te Pámphi-
lum. *B.* ah.
L. Sine dícam; uxorem hanc príus quam duxit, vóstrum amo-
rem pértuli.
Mane: nóndum etiam dixi íd, quod volui: hic núnc habet
Uxórem: quaere aliúm tibi, dum témpus consuléndi est:
Nam néque ille hoc aetatem ánimo erit, neque pól tu eadem
ista aetáte.
B. Quís id ait? *L.* socrus. *B.* méne? *L.* te ipsam: et fíliam
abduxít suam:
Púerumque ob eam rém clam voluit, nátus qui est, extínguere.
B. A'lid si scirem, quí firmare méam aput vos possém fidem,
Sánctius, quam júsjurandum; id póllicerer tíbi, Lache,
Ségregatum habuísse, uxorem ut dúxit, a me Pámphilum.
L. Lépida es. set scin', quíd volo potius sódes facias? *B.* quíd? cedo.
L. Eás ad mulierés huc intro, atque ístuc jusjurándum idem
Pólliceare illís: exple animum iis, téque hoc crimine éxpedi.
B. Fáciam: quod pol, si ésset alia ex quaéstu hoc, haut facerét,
scio;
U't de tali caúsa nuptae múlieri se osténderet.
Sét nolo esse fálsa fama gnátum suspectúm tuum;
Néc leviorem vóbis, quibus est minume aequom, vidérier
I'nmerito: nam méritus de me est, quód queam, illi ut cómmodem.

L. Fácilem benivolúmque lingua túa jam tibi me réddidit:
Nám non sunt solae árbitratae haec: égo quoque etiam hoc crédidi.
Núnc cum ego te esse praéter nostram opínionem cómperi,
Fác, eadem ut sis pórro: nostra utére amicitia, út voles:
A'liter si: set répprimam me, ne aégre quicquam ex me aúdias:
Vérum hoc te moneo únum, qualis sim amícus, aut quid póssiem,
Pótius quam inimicús, periclum fácias.

Actus V. Scena II.

Phidippus. Laches. Bacchis.

Ph. Nil aput mé tibi
Defíeri patiar: quín, quod est, benígne praebeátur.
Set tú cum satura atque ébria es, et púer ut satur sit, fácito.
L. Nostér socer, videó, venit: nutrícem puero addúcit.
Phidíppe, Bacchis déierat persáncte. *Ph.* haecine ea 'st? *L.* haéc est.
Ph. Nec pól istae metuunt deós: neque has respícere deos opínor.
Ba. Ancíllas dedo: quólubet cruciátu per me exquíre.
Haec rés hic agitur: Pámphilo me fácere ut redeat úxor,
Opórtet: quod si effécero, non poénitet me fámae,
Solám fecisse id, quód aliae meretríces facere fúgitant.
L. Phidíppe, nostras múlieres suspéctas fuisse fálso
Nobís, in re ipsa invénimus: porro hánc nunc experiámur.
Nam sí compererit crímini tua se úxor credidísse,
Missam íram faciet: sín autem est ob eám rem iratus gnátus,
Quod péperit uxor clam, íd leve 'st: cito áb eo haec ira abscédet.
Profécto in hac re níl mali est, quod sít discidio dignum,
Ph. Velím quidem hercle. *L.* exquíre: adest: quod sátis sit, faciet ípsa.
Ph. Quid mi ístacc narras? án quia non tute ípse dudum audísti,
De hac re ánimus meus ut sít, Laches? illís modo explete ánimum.
L. Quaeso édepol, Bacchis, quód mihi es pollícita, tute ut sérves.
B. Ob eám rem vin' ergo íntroeam? *L.* i, atque éxple iis animum, ut crédant.
B. Eo; étsi scio pol hís meum fore cónspectum invisum hódie:
Nam núpta meretrici hóstis est, a víro ubi segregáta est.
L. At haéc amicae erúnt, ubi, quamobrem advéneris, rescíscent.
Ph. At eásdem amicas fóre tibi promítto, rem ubi cognórint:
Nam illás errore et té simul suspícione exsólves.
B. Perií, pudet Philúmenae: vos séquimini intro huc ámbae.
L. Quid est quód mihi malim, quám quod huic intéllego evenire?
Ut grátiam ineam síne meo dispéndio et mihi prósim.

Nam si ést, ut haec nunc Pámphilum vere áb se segregárit,
Scit, sé nobilitatem éx ea re náctam et gloriam ésse:
Refert grátiam eji, unáque nos sibi ópera amicos júngit.

Actus V. Scena III.

Parmeno. Bacchis.

PA. E'depol ne meam érus esse operam députat parví preti;
Qui ób rem nullam mísit, frustra ubi tótum desedí diem!
Mýconium hospitém dum exspecto in árce Callidémidem.
I'taque ineptus hódie dum illi sédeo, ut quisquam vénerat,
A'ccedebam: aduléscens, dic dum quaéso, tun' es Mýconius? „Nón sum.“ at Callidémides? „non.“ hóspitem ecquem Pámphilum
Híc habes? omnés negabant: néque eum quemquam esse árbitror.
Dénique hercle jám pudebat: ábii. set quid Bácchidem
A'b nostro adfine éxeuntem vídeo? quid huic híc est rei?
B. Pármeno, opportúne te offers, própere curre ad Pámphilum.
PA. Quíd eo? *B.* dic, me oráre, ut veniat. *P.* ád te? *B.* immo ad Philúmenam.
PA. Quíd rei est? *B.* tua quód nil refert, pércontari désinas.
PA. Níl aliud dicam? *B.* étiam; cognosse ánulum illum Mýrrhinam
Gnátae suae fuísse, quem ipsus ólim mi dederát. *P.* scio.
Tántumne est? *B.* tantum: áderit continuo, hóc ubi ex te audíverit.
Sét cessas? *P.* minume équidem; nam hodie míhi potestas haút data 'st:
I'ta cursando atque ámbulando tótum hunc contrivi diem.
B. Quantam óbtuli adventú meo laetítiam Pamphilo hódie?
Quot cómmodas res áttuli? quot aútem ademi cúras?
Gnatum ei restituo, paéne qui harum ipsíusque opera périit:
Uxórem, quam nunquam ést ratus posthác se habiturum, réddo:
Qua ré suspectus suó patri et Phidíppo fuit, exsólvi:
Hic ádeo his rebus ánulus fuit ínitium inveniúndis.
Nam mémini, abhinc mensés decem fere ád me nocte príma
Confúgere anhelantém domum, sine cómite, vini plénum,
Cum hoc ánulo: extimui ílico: mi Pámphile, inquam, amábo,
Quid éxanimatus's, óbsecro? aut unde ánulum istum náctus's?
Dic mi. ílle alias res ágere se simuláre. postquam vídeo
Nescío quid suspectárier, magis coépi instare, ut dícat.
Homo sé fatetur vi ín via nescío quam conpressísse:
Dicítque, sese illi ánulum, dum lúctat, detraxísse:
Eúm cognovit Mýrrhina in dígito modo me habéntem:
Rogat, únde sit: narro ómnia haec: indé 'st cognitio fácta,
Philúmenam esse cónpressam ab eo, et fílium inde hunc nátum.

Haec tót propter me gaúdia illi cóntigisse, laétor:
Etsi hóc meretrices áliae nolunt: néque enim est in rem nóstram,
Ut quísquam amator núptiis laetétur. verum ecástor,
Numquam ánimum quaesti grátia ad malás adducam pártis.
Ego, dum íllo licitum 'st, úsa sum benígno et lepido et cómi.
Incómmode mihi núptiis evénit: factum fáteor:
At pól me fecisse árbitror, ne id mérito mi eveníret.
Multa éx quo fuerint cómmoda, ejus incómmoda aequum 'st férre.

Actus V. Scena IV.

Pamphilus. Parmeno. Bacchis.

Pam. Vide mi Parmeno, étiam sodes, út mi haec certa et clára attuleris;
Né me in breve pellícias tempus gaúdio hoc falsó frui.
Par. Vísum est. *Pam.* certen'? *Par.* cérte. *Pam.* deus sum, si hóc ita 'st. *Par.* verum réperies.
Pam. Mánedum sodes: tímeo, ne aliud crédam, atque aliud núnties.
Par. Máneo. *Pam.* sic te díxe opinor, ínvenisse Mýrrhinam,
Bácchidem suum ánulum habere. *Par.* fáctum. *Pam.* eum, quem olim éi dedi:
E'aque hoc mihi te núntiare jússit: itane est fáctum? *Par.* ita, inquam.
Pam. Quís me est fortunátior? venustátisque adeo plénior?
E'gone pro hoc te núntio quid dónem? quid? quid? néscio.
Par. At égo scio. *Pam.* quid? *Par.* níhil enim:
Nám neque in nuntió, neque in me ipso, tíbi boni quid sít, scio.
Par. E'gon' te, qui ab orco mórtuum me réducem in lucem féceris,
Sinám sine munere á me abire? ah nímium me ingratúm putas.
Set Bácchidem, eccam, vídeo stare ante óstium:
Me exspéctat, credo: adíbo. *B.* salve, Pámphile.
Pam. O Bácchis, o mea Bácchis, servatrix mea.
B. Bene fáctum; et volupe 'st. *Pam.* fáctis, ut credám, facis:
Antíquamque adeo tuám venustatem óbtines,
Ut vóluptati obitus, sérmo, adfatus tuús, quocumque advéneris,
Sempér sit. *B.* ac tu ecástor morem antíquom atque ingenium óbtines,
Ut únus omnium hómo te vivat núsquam quisquam blándior.
Pam. Ha, ha, hé, tun' mi istuc? *B.* récte amasti, Pámphile, uxorém tuam:
Nam númquam ante hunc diém meis oculis eám, quod nossem, víderam:
Perlíberalis vísa 'st. *Pam.* dic verum. *B.* íta me di ament, Pámphile.
Pam. Dic mi, hárum rerum núm quid dixti jám patri? *B.* nil.
Pam. néque opus est

Adeó muttito. plácet, haut fieri hoc ítidem, ut in comoédiis,
Omnia ómnes ubi rescíscunt. hic, quos fúerat par rescíscere,
Sciúnt: quos non autem aéquom 'st scire, néque resciscent néque scient.
B. I'mmo etiam, qui hoc óccultum íri fácilius credás, dabo.
Mýrrhina ita Phidíppo dixit, júri jurandó meo
Sé fidem habuisse, ét propterea té sibi purgatum. *Pam.* óptume 'st:
Spéroque, hanc rem esse éventuram nóbis ex senténtia.
Par. E're, licetne scíre ex te hodie, quíd sit, quod fecí boni?
Aút quid istuc est, quód vos agitis? *Pam.* nón licet. *Par.* tamen súspicor.
Ego húnc ab orco mórtuum? quo pácto? *Pam.* nescis, Pármeno,
Quantum hódie profuerís mihi, et me ex quánta aérumna extráxeris.
Par. Immo vére scio; neque hóc inprudens féci. *Pam.* ego istuc sátis scio.
B. An témere quicquam Pármeno praetéreat, quod facto úsus sit?
Pam. Séquere me intro, Pármeno. *Par.* sequor: équidem plus hodié boni
Féci inprudens, quám sciens ante húnc diem umquam. Plaúdite.

TERENTII PHORMIO.

C. SULPITII APOLLINARIS PERIOCHA IN PHORMIONEM.

Chremétis frater áberat peregre, Démipho,
Relicto Athenis Á'ntiphone fílio.
Chremés clam habebat Lémni uxorem ac fíliam,
Athénis aliam cónjugem, et amantem únice
Gnatúm fidicinam. máter e Lemno ádvenit
Athénas; moritur. vírgo sola (aberát Chremes)
Funús procurat. ibi éam visam cum Á'ntipho
Amáret, opera párasiti uxorem áccipit.
Pater ét Chremes revérsi fremere; dein minas
Triginta dant parasito, ut illam cónjugem
Habéret ipse. argénto hoc emítur fídicina;
Uxorem retinet Á'ntipho a patruo ágnitam.

ACTA LUDIS ROMANIS. L. POSTUMIO ALBINO L. CORNELIO MERULA AEDILIB. CURULIB. EGERE. L. AMBIVIUS TURPIO. L. ATILIUS PRAENESTINUS. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDI. TIBIIS INPARIB. TOTA GRAECA APOLLODORU EPIDICAZOMENOS. FACTA EST IIII. C. FANNIO M. VALERIO COSS.

Fabulae interlocutores.

DAVUS, servus, amicus Getae.
ANTIPHO, filius Demiphonis, Phanium amans.
DEMIPHO, senex, frater Chremetis, pater Antiphonis.
PHORMIO, parasitus, adulescentes adjuvans in rebus amatoriis.
SOPHRONA, nutrix Phanii.
GETA, servus Demiphonis.
PHAEDRIA, filius Chremetis, amans Pamphilam.
CHREMES, senex, frater Demiphonis, pater Phaedriae.
DORIO, leno, dominus Pamphilae.
NAUSISTRATA, Chremetis conjux.
HEGIO, CRATINUS, CRITO, } amici a Demiphone in consilium adhibiti.

Personae mutae:

DORCIUM, conserva et uxor Getae.
PHANIUM, Lemnia adulescentula, filia Chremetis.
PAMPHILA, puella a Phaedria amata.

PROLOGUS.

Postquám poëta vétus poëtam nón potest
Retráhere ab studio, et tránsdere hominem in ótium;
Maledíctis deterrére, ne scribát, parat:
Qui íta díctitat, quas ántehac fecit fábulas,
Tenui ésse oratióne et scriptúrá levi:
Quia núsquam insanum fécit adulescéntulum
Cervám videre fúgere, et sectarí canes:
Et eám plorare, oráre, ut subveniát sibi.
Quod si íntellegeret, ólim cum stetít nova,
Actóris opera mágis stetisse, quám sua;
Minus múlto audacter, quám nunc laedit, laéderet.
Nunc sí quis est, qui hoc dícat aut sic cógitet,
Vetus sí poëta nón lacessissét prior,
Nullum ínvenire prólogum possét novus,
Quem díceret, nisi habéret, cui maledíceret:
Is síbi responsum hoc hábeat; in medio ómnibus
Palmam ésse positam, qui ártem tractant músicam.
Ille ád famem hunc ab stúdio studuit reícere:
Hic réspondere vóluit, non lacéssere.
Benedíctis si certasset, audissét bene:
Quod ab íllo adlatum 'st, sibi esse id rellatúm putet.
De illó jam finem fáciam dicundí mihi,
Peccándi cum ipse dé se finem nón facit.

Nunc, quíd velim, animum atténdite. adportó novam,
Epídicazomenen quám vocant comoédiam
Graecí, Latini Phórmionem nóminant:
Quia prímas partis quí aget, is erit Phórmio
Parasítus, per quem rés geretur máxume;
Volúntas vostra si ád poëtam accésserit.
Date óperam, adeste aequo ánimo per siléntium;
Ne símili utamur fórtuna, atque usí sumus,
Cum pér tumultum nóster grex motús loco 'st:
Quem actóris virtus nóbis restituít locum,
Bonitásque vostra adjútans atque aequánimitas.

Actus. I. Scena I.

Davus.

Amícus summus méus et popularís, Geta,
Heri ád me venit. érat ei de ratiúncula
Iamprídem aput me réliqüum pauxíllulum
Nummórum: id ut confícerem. confeci: ádfero.
Nam erílem filium éjus duxisse aúdio
Uxórem: ei credo múnus hoc conráditur.
Quam iníque conparátum 'st: ii, qui mínus habent,
Ut sémper aliquid áddant divitióribus?
Quod ille únciatim víx de demensó suo,
Suúm defrudans génium, conpersít miser;
Id illa únivorsum abrípiet: haut exístumans,
Quantó labore pártum. porro autém Geta
Feriétur alio múnere, ubi era péperit:
Porro álio autem, ubi erit púero natalís dies:
Ubi ínitiabunt: ómne hoc mater aúferet:
Puer caúsa erit mittúndi. set videón' Getam?

Actus I. Scena II.

Geta. Davus.

G. Si quís me quaeret rúfus — *D.* praesto 'st, désine. *G.* oh,
At ego óbviam conábar tibi, Dave. *D.* áccipe, em
Lectúm 'st; conveniet númerus, quantum débui.
G. Amó te: et non necléxisse habeo grátiam.
D. Praesértim ut nunc sunt móres: adeo rés redit;
Si quís quid reddit, mágna habenda 'st grátia.
Set quíd tu es tristis? *G.* égone? nescis, quo ín metu et
Quanto ín periclo símus. *D.* quid istucést? *G.* scies,
Modo út tacere póssis. *D.* abi sis, ínsciens:
Cujus tú fidem in pecúnia perspéxeris,
Verére verba ei crédere? ubi quid míhi lucri est
Te fállere? *G.* ergo auscúlta. *D.* hanc operam tíbi dico.
G. Senis nóstri, Dave, frátrem majorém Chremen
Nostíne? *D.* quidni? *G.* quíd? ejus natum Phaédriam?
D. Tam, quám te. *G.* evenit sénibus ambobús simul,
Iter ílli in Lemnum ut ésset, nostro in Cíliciam
Ad hóspitem antiquom: ís senem per epístolas
Pelléxit, modo non móntis auri póllicens.
D. Cui tánta erat res, ét supererat? *G.* désinas:
Sic ést ingenium. *D.* oh, régem me esse opórtuit.
G. Abeúntes ambo hinc túm senes me fíliis
Relínquont quasi magístrum. *D.* o Geta, provínciam

Cepísti duram. *G.* mi úsus venit, hóc scio:
Meminí, relinqui mé, deo irató meo.
Coepi ádvorsari primo: quid verbís opus 'st?
Senibús fidelis dúm sum, scapulas pérdidi.
Venére in mentem mi ísthaec: namque inscítia 'st,
Advórsum stimulum cálces. coepi iis ómnia
Facere, óbsequi, quae véllent. *D.* scisti utí foro.
G. Nostér mali nil quícquam primo: hic Phaédria
Contínuo quandam náctus est puéllulam
Citharístriam: hanc amáre coepit pérdite.
Ea sérviebat lénoni inpurissimo:
Neque, quód daretur quícquam, id curaránt patres.
Restábat aliud níl, nisi oculos páscere,
Sectári, in ludum dúcere, et reddúcere.
Nos ótiosi operám dabamus Phaédriae.
In quo haéc discebat lúdo, exadvorsum eí loco
Tonstrína erat quaedam. híc solebamús fere
Plerúmque eam opperíri, dum inde irét domum.
Intérea dum sedémus illi, intérvenit
Aduléscens quidam lácrumans. nos mirárier.
Rogámus quid sit: „númquam aeque, inquit, ác modo,
Paupértas mihi onus vísa est et miserum ét grave.
Modo quándam vidi vírginem hic vicíniae
Miserám, suam matrem lámentari mórtuam:
Ea síta erat exadvórsum. neque illi bénevolens,
Neque nótus neque cognátus extra unam ániculam
Quisquam áderat, qui adjutáret funus. míseritum 'st.
Virgo ípsa facie egrégia.“ quid verbís opus 'st?
Commórat omnes nós. ibi contínuo A'ntipho:
Voltísne eamus vísere? alius; cénseo:
Eámus: duc nos sódes: imus, vénimus:
Vidémus: virgo púlchra: et, quo magis díceres,
Nihil áderat adjuménti ad pulchritúdinem:
Capíllus passus, núdus pes, ipsa hórrida,
Lacrumaé, vestitus túrpis: ut, ni vís boni
In ípsa inesset fórma, haec formam extínguerent.
Ille, qui íllam amabat fídicinam tantúmmodo,
Satis, ínquit, scita 'st: nóster vero *D.* jám scio:
Amáre coepit. *G.* scín' quam? quo evadát, vide.
Postrídie ad anum récta pergit: óbsecrat,
Ut síbi ejus faciat cópiam. illa enim sé negat:
Neque eum aéquom facere ait: íllam civem esse A'tticam,
Bonám, bonis prognátam: si uxorém velit,
Lege íd licere fácere: sin alitér, negat.
Nostér, quid ageret, néscire: et illam dúcere

Cupiébat, et metuébat absentém patrem.
D. Non, sí redisset, eí pater veniám daret?
G. Ille índotatam vírginem atque ignóbilem
Daret illi? numquam fáceret. *D.* quid fit dénique?
G. Quid fíat? est parasítus quidam Phórmio,
Homó confidens; qui íllum di omnes pérduint.
D. Quid is fécit? *G.* hoc consílium, quod dicám dedit:
Lex ést, ut orbae, quí sunt genere próxumi,
Iis núbant, et illos dúcere eadem haec léx jubet.
Ego té cognatum dícam, et tibi scribám dicam:
Patérnum amícum me ádsimulabo vírginis:
Ad júdices veniémus: qui fuerít pater,
Quae máter, quí cognáta tibi sít; ómnia haec
Confíngam: quod erit míhi bonum atque cómmodum,
Cum tu hórum nil refélles, vincam scílicet.
Pater áderit, mihi parátae lites: quíd mea?
Illá quidem nostra erít. *D.* jocularem audáciam.
G. Persuásum 'st homini. fáctum 'st. ventum 'st; víncimur:
Duxít. *D.* quid narras? *G.* hóc, quod audis. *D.* ó Geta,
Quid té futurum 'st? *G.* néscio hercle: unum hóc scio,
Quod fórs feret, ferémus aequo animó. *D.* places:
Hem istúc viri 'st offícium. *G.* in me omnis spés mihi est.
D. Laudo. *G.* ád precatorem ádeam, credo, quí mihi
Sic óret: nunc amítte, quaeso, hunc: céterum
Posthác si quicquam, nil precor. tantúmmodo
Non áddit: ubi ego hinc ábiero vel occídito.
D. Quid paédagogus ílle, qui citharístriam?
Quid reí gerit? *G.* sic, ténuiter. *D.* non múltum habet,
Quod dét fortasse. *G.* immó nihil, nisi spém meram.
D. Pater éjus rediit, ánnon? *G.* nondum. *D.* quíd? senem
Quoad éxspectatis vóstrum? *G.* non certúm scio:
Set epístolam ab eo adlátam esse audiví modo:
Et ad pórtitores ésse delatam; hánc petam.
D. Numquíd, Geta, aliud mé vis? *G.* ut bene sít tibi.
Puer heús. nemon' huc pródit? cape, da hoc Dórcio.

Actus II. Scena I. [B. I, 3.]

Antipho. Phaedria.

A. A'deon' rem redísse, ut, qui mi cónsultum optumé velit esse,
Phaédria, patrem ut éxtimescam, ubi eíus adventi vénit in mentem?
Quód ni fuissem incógitans, ita eum éxspectarem, ut pár fuit.
P. Quíd istuc? *A.* rogitas? quí tam audacis fácinoris mi cónscius sis?
Quód utinam ne Phórmioni id suádere in mentem incidisset,

Neú me cupidum eo ínpulisset, quód mi principium 'st mali.
Nón potitus éssem: fuisset tum íllos mi aegre aliquót dies:
At nón cotidiána cura haec ángeret animum. *P.* aúdio.
A. Dum exspécto, quam mox véniat, qui hanc mihi ádimat consuetúdinem.
P. Aliís quia defit, quód amant, aegre 'st: tíbi, quia super-ést, dolet.
Amóre abundas, A'ntipho.
Nam túa quidem hercle cérto vita haec éxpetenda optándaque est.
Ita mé di bene ament, út mi liceat támdiu, quod amó, frui,
Iam dépecisci mórte cupio; tú conjicito céterum,
Quid ego hác ex inopiá nunc capiam; et quíd tu ex istac cópia:
Ut ne áddam, quod sine súmptu ingenuam líberalem náctus es:
Quod habés, ita ut voluísti, uxorem síne mala famá palam:
Beátus, ni unum hoc désit, animus quí modeste istaéc ferat.
Quod sí tibi res sit cum éo lenone, quócum mi est, tum séntias,
Ita plérique omnes súmus ingenio, nóstri nosmet poénitet.
A. At tú mihi contra núnc videre fórtunatus, Phaédria,
Cui de íntegro est potéstas etiam cónsulendi, quíd velis:
Retinére, amare, an míttere: ego in eum íncidi infelíx locum,
Ut néque mi ejus sit ámittendi, néc retinendi cópia.
Set quid hoc est? videon' égo Getam curréntem huc advenire?
Is est ípsus: ei! timeó miser, quam hic míhi nunc nuntiét rem.

Actus II. Scena II. [B. I, 4.]

Geta. Antipho. Phaedria.

G. Núllus's, Geta, nisi áliquod jam consílium celere rípereris:
I'ta nunc inparátum subito tánta in me inpendént mala:
Quae néque uti devitém scio, neque quómodo me inde éxtraham:
Nam nón potest celári nostra diutius jam audácia.
[Quae sí non astu próvidentur, me aút erum pessúm dabunt.]
A. Quidnam ílle commotús venit?
G. Tum témporis mihi púnctum ad hanc rem est. érus adest.
A. quid istúc mali 'st?
G. Quod cum aúdierit, quod éjus remedium ínveniam iracúndiae?
Loquárne? incendam: táceam? instigem: púrgem me? latérem lavem.
Eheú me miserum: cúm mihi paveo, tum A'ntipho me excrúciat animi:
Ejús me miseret: ei nunc timeo: is núnc me retinet: nam ábsque eo esset,
Récte ego mihi vidíssem: et senis essem últus iracúndiam: aliquid
Cónvasavissem, átque dehinc me prótinam conjicerem ín pedes.
A. Quamnam híc fugam aut furtúm parat?

G. Set ubi A'ntiphonem réperiam? aut qua quaérere insistám via?
Ph. Te nóminat.
A. Nescío quod magnum hoc núntio exspectó malum. *Ph.* anne sánus es?
G. Domum íre pergam: ibi plúrimum 'st. *Ph.* revocémus hominem. *A.* sta ílico. *G.* hem,
Sátis pro imperio quísquis es. *A.* Geta. *G.* ípse est, quem volui óbviam.
A. Cédo, quid portas, óbsecro; atqueid, sí potes, verbo éxpedi.
G. Fáciam. *A.* eloquere. *G.* módo aput portum. *A.* meúmne? *G.* intellexti. *A.* óccidi. *P.* hem.
A. Quíd agam? *Ph.* quid ais? *G.* huíus patrem vidísse me patruúm tuum.
A. Nám quod ego huic nunc súbito exitio rémedium inveniám miser?
Quód si eo meae fortúnae redeunt, Phánium, abs te ut dístrahar,
Núlla 'st mihi vita éxpetenda. *G.* ergo ístaec cum ita sint, A'ntipho,
Tánto magis te advígilare aequom 'st: fórtis fortuna ádjuvat.
A. Nón sum aput me. *G.* atqui ópus est nunc cum máxume, ut sis, A'ntipho:
Nám sí senserít te timidum páter esse, arbitrábitur
Cómmeruisse cúlpam. *Ph* hoc verum 'st. *A.* nón possum inmutárier.
G. Quíd faceres, si aliúd quid gravius tíbi nunc faciundúm foret?
A. Cum hóc non possum, illúd minus possem. *G.* hoc níhil est, Phaedria: ílicet.
Quíd hic conterimus óperam frustra? quín abeo? *Ph.* et quidem ego. *A.* óbsecro,
Quíd si adsimulo, sátin' est? *G.* garris. *A.* vóltum contemplámini: em,
Sátin' est sic? *G.* non. *A.* quíd si sic? *G.* própemodum. *A.* quid si síc? *G.* sat est:
E'm, istuc serva: et vérbum verbo, pár pari ut respóndeas;
Né te iratus suís saevidicis díctis protelét. *A.* scio.
G. Ví coactum te ésse, invitum, lége, judició: tenes?
Sét quis hic est senéx, quem video in última platea? *A.* ípsus est.
Non póssum adesse. *G.* ah, quíd agis? quo ahis, A'ntipho?
Mane, ínquam. *A.* egomet me nóvi et peccatúm meum:
Vobís commendo Phánium et vitám meam.
Ph. Geta, quíd nunc fiet? *G.* tú jam lites aúdies:
Ego pléctar pendens, nísi quid me feféllerit.
Set, quód modo hic nos A'ntiphonem mónuimus,
Id nósmet ipsos fácere oportet, Phaédria.

Ph. Auférmi oportet: quín tu, quid faciam, ímpera.
G. Meminístin', olim ut fúerit vostra orátio
In re incipiunda ad défendendam nóxiam,
Iustam íllam causam, fácilem, vincibilem, óptumam?
Ph. Memini. *G.* ém, nunc ipsa 'st ópus ea; aut, si quíd potest,
Melióre et callidióre. *Ph.* fiet sédulo.
G. Nunc prior adito tu. égo in subsidiis híc ero
Succénturiatus, sí quid deficiás. *Ph.* age.

Actus. II. Scena III. [B.II,1.]

Demipho. Geta. Phaedria.

D. I'tane tandem uxórem duxit A'ntipho injussú meo?
Néc meum imperium: ac mítto imperium: nón simultatém meam
Reveréri saltem? nón pudere? o fácinus audax, ó Geta
Monitór. *G.* vix tandem. *D.* quíd mihi dicent? aút quam causam réperient?
Demíror. *G.* atqui réperi jam: aliud cúra. *D.* an hoc dicét mihi?
Invítus feci; léx coegit. audio. fateór. *G.* places.
D. Verúm scientem, tácitum, causam trádere adversáriis,
Etiam ídne lex coégit? *G.* illud dúrum. *P.* ego expediám: sine.
G. Incértum 'st, quid agam; quía praeter spem, atque incredibile hoc mi óbtigit:
Ita sum íncitatus, ánimum ut nequeam ad cógitandum instítuere.
Quamobrem ómnes, cum secúndae res sunt máxume, tum máxume
Meditári secum opórtet, quo pacto ádvorsam aerumnám ferant.
Perícla, damna, exília peregre rédiens semper cógitet,
Aut fíli peccatum, aút uxoris mórtem, aut morbum fíliae:
Commúnia esse haec: né quid horum umquam áccidat animó novom.
Quicquíd praeter spem evéniat, omne id députare esse ín lucro.
G. O Phaédria, incredíbile quantum erum ánteco sapiéntia.
Meditáta mihi sunt ómnia mea incómmoda, erus si rédierit:
Moléndum 'st in pistríno: vapulándum: habendum cómpedes:
Opus rúri faciundum: hórum nil quicquam áccidit animó novom.
Quicquíd praeter spem evéniet, omne id députabo esse ín lucro.
Sét quid cessas hóminem adire, et blánde in principio ádloqui?
D. Phaédriam, mei frátris video fílium mi ire óbviam.
P. Mi pátrue, salve. *D.* sálve: set ubi est A'ntipho?
P. Salvom ádvenire — *D.* crédo: responde hóc mihi.
P. Valet: híc est: set satin' ómnia ex senténtia?
D. Vellém quidem. *P.* quid istúc est? *D.* rogitas, Phaédria?
Bonás, me absente, hic cónfecistis núptias.

P. Eho, an íd suscenses núnc illi? *G.* o artificém probum.
D. Egon'ílli non suscénseam? ipsum géstio
Dari mi ín conspectum, núnc sua culpa út sciat
Leném patrem illum fáctum me esse acérrimum.
P. Atquí nil fecit, pátrue, quod suscénseas.
D. Ecce aútem similia ómnia: omnes cóngruunt:
Unúm cum noris, ómnes noris. *P.* haút ita 'st.
D. Cum in nóxia hic est; ílle ad defendéndum adest:
Cum ille ést, praesto hic est: trádunt operas mútuas.
G. Probe hórum facta inprúdens depinxít senex.
D. Nam ni haéc ita essent, cum íllo haut stares, Phaédria.
P. Si est, pátrue, culpam ut A'ntipho in se admíserit,
Ex quá ré minus rei fóret aut famae témperans:
Non caúsam dico, quín, quod meritus sít, ferat.
Set, sí quis forte, málitia fretús sua,
Insídias nostrae fécit adulescéntiae,
Ac vícit; nostran' cúlpa ea est? an júdicum,
Qui saépe propter ínvidiam adimunt díviti,
Aut própter misericórdiam addunt paúperi?
G. Ni nóssem causam, créderem, vera húnc loqui.
D. An quísquam judex ést, qui possit nóscere
Tua jústa, ubi tute vérbum non respóndeas,
Ita ut ílle fecit? *P.* fúnctus adulescéntuli est
Officium liberális: postquam ad júdices
Ventúm 'st, non potuit cógitata próloqui:
Ita eúm tum timidum ibi óbstupefecít pudor.
G. Laudo húnc: set cesso, adíre quamprimúm senem?
Ere, sálve: salvom te ádvenisse gaúdeo. *D.* oh,
Bone cústos, salve, cólumen vero fámiliae:
Cui cómmendavi fílium hic abiéns meum.
G. Iamdúdum te omnis nós accusare aúdio
Inmérito: et me horunc ómnium ínmeritíssimo:
Nám quíd me in hac re fácere voluisti tibi?
Servom hóminem causam oráre leges nón sinunt:
Neque téstimoni díctio est. *D.* mitto ómnia.
Addo ístuc: inprudens tímuit adulescéns: sino:
Tu sérvos: verum, sí cognata est máxume,
Non fuít necesse habére: set, id quod léx jubet,
Dotém daretis; quaéreret aliúm virum.
Qua rátione inopem pótius ducebát domum?
G. Non rátio, verum argéntum deerat. *D.* súmeret
Alicúnde, *G.* alicunde? níhil est dictu fácilius.
D. Postrémo, si nullo álio pacto, faénore.
G. Hui, díxti pulchre: sí quidem quisquam créderet,
Te vívo. *D.* non, non sic futurum 'st: nón potest.

Egon' íllam cum illo ut pátiar nuptam unúm diem?
Nil suáve merita 'st. hóminem conmonstrárier
Mi istúm volo: aut ubi hábitet, demonstrárier.
G. Nempe Phórmionem. *D.* istúnc patronum múlieris.
G. Iam fáxo hic aderit. *D.* A'ntipho ubi nunc ést? *G.* foris.
D. Abi, Phaédria, eum requíre, atque adduce húc. *PH*, eo:
Rectá via quidem illuc. *G.* nempe ad Pámphilam.
D. Ego deós penatis hínc salutatúm domum
Devórtar: inde ibo ád forum, atque aliquót mihi
Amícos advocábo, ad hanc rem qui ádsient;
Ut ne ínparatus sím, si adveniat Phórmio.

ACTUS III. SCENA I. [B. II, 2.]

PHORMIO. GETA.

P. I'tane patris áis conspectum véritum hinc abiisse? *G.* ádmodum.
P. Phánium relictam solam? *G.* sic. *P.* et iratúm senem?
G. O'ppido. *P.* ad te súmma solum, Phórmio, rerúm redit:
Túte hoc intristí: tibi omne est éxedendum: accíngere.
G. O'bsecro te. *P.* sí rogabit. *G.* ín te spes est. *P.* éccere,
Quíd si reddet? *G.* tu ínpulisti. F. sic opinor. G. súbveni.
P. Cédo senem: jam instrúcta mihi sunt córde consilia ómnia.
G. Quíd ages? *P.* quid vis? nísi uti maneat Phánium: atque ex crímine hoc
A'ntiphonem erípiam: atque in me omnem íram derivém senis?
G. O' vir fortis átque amicus. vérum hoc saepe, Phórmio,
Véreor, ne istaec fórtitudo in nérvom erumpat dénique. *P.* ah,
Nón ita est: factum ést periclum, jám pedum visá 'st via.
Quót me censes hómines jam devérberasse usque ád necem,
Hóspites, tum cívis? quo magis nóvi, tanto saépius.
Cédo dum, en, unquam injúriarum audísti mihi scriptám dicam?
G. Quí istuc? *P.* quia non réte accipitri ténditur neque mílüo,
Quí male faciunt nóbis: illis, quí nil faciunt, ténditur:
Quía enim in illis frúctus est, in ístis opera lúditur.
A'liis aliunde ést periclum, unde áliquid abradí potest:
Míhi sciunt nil ésse. dices, dúcent damnátum domum:
A'lere nolunt hóminem edacem: et sápiunt mea sententia,
Pró maleficio si beneficium súmmum nolunt réddere.
G. Nón pote satis pro mérito ab illo tíbi referri grátia.
P. 'Immo enim nemo sátis pro merito grátiam regí refert.
Tén' asymbolúm venire, unctum átque lautum e bálneis,
O'tiosum ab ánimo: cum ille et cúra et sumptu absúmitur:
Dúm fit, tibi quod pláceat, ille ríngitur: tu rídeas:
Príor bibas; priór decumbas: céna dubia appónitur.
G. Quíd istuc verbi est? *P.* úbi tu dubites, quíd sumas potíssimum.

Haéc cum rationem íneas quam sint suávia, et quam cára sint;
E'a qui praebet, nón tu hunc habeas pláne praesentém deum?
G. Sénex adest: vide quíd agas: prima cóitio 'st acérrima:
Si eám sustinuerís, post illa jam, út lubet, ludás licet.

ACTUS III. SCENA II. [B. II, 3.]

DEMIPHO. GETA. PHORMIO.

D. En úmquam cuíquam cóntumeliósius
Audístis factam injuriam, quam haec ést mihi?
Adéste quaeso. *G.* irátus est. *P.* quin tu hóc age:
Iam ego húnc agitabo, pró deum inmortálium,
Negat, Phánium esse hanc síbi cognatam, Démipho?
Hanc Démipho negat ésse cognatám? *G.* negat.
D. Ipsum ésse opinor, dé quo agebam. séquimini.
P. Neque éius patrem se scíre, qui fuerít? *G.* negat.
P. Nec Stílphonem ipsum scíre, qui fuerít? *G.* negat.
P. Quia egéns relicta est mísera, ignoratúr parens:
Neclégitur ipsa; víde, avaritia quíd facit.
G. Si erum ínsimulabis málitiae, male aúdies.
D. O audáciam, etiamne últro accusatum ádvenit?
P. Nam jam ádulescenti níhil est quod suscénseam,
Si illúm minus norat: quíppe homo jam grándior,
Paupér, cui opera víta erat, rurí fere
Se cóntinebat: íbi agrum de nostró patre
Coléndum habebat: saépe interea míhi senex
Narrábat, se hunc neclégere cognatúm suum:
At quém virum? quem ego víderim in vita óptumum.
G. Videás te atque illum, ut nárras. *P.* i in malám crucem.
Nam ni íta eum existimássem, numquam tám gravis
Ob hanc ínimicitias cáperem in vostram fámiliam,
Quam is áspernatur núnc tam inliberáliter.
G. Pergín' ero absenti mále loqui, inpuríssime?
P. Dignum aútem hoc illo est. *G.* áin' tamen, carcér? *D.* Geta.
G. Bonórum extortor, légum contortór. *D.* Geta.
P. Respónde. *G.* quis homo est? ehém. *D.* tace. *G.* absentí tibi
Te indígnas seque dígnas contumélias.
Numquám cessavit dícere. *D.* ohe, désine.
Adulescens, primum abs te hóc bona venia éxpeto,
Si tíbi placere pótis est, mi ut respóndeas:
Quem amícum tuum ais fuísse istum, explaná mihi:
Et quí cognatum mé sibi esse díceret.
P. Proinde éxpiscare, quási non nosses. *D.* nóssem? *P.* ita.
D. Ego mé nego: tu, quí ais, redige in mémoriam.
P. Eho tú sobrinum tuúm non noras? *D.* énicas:

Dic nómen. *P.* nomen? *D.* máxume. quid núnc taces?
P. Perii hércle, nomen pérdidi. *D.* hem, quid ais. *P.* Geta,
Si méministi id quod ólim dictum 'st, súbiice. hem,
Non díco: quasi non nóris, temptatum ádvenis.
D. Egone aútem tempto? *G.* Stílpho. *P.* atque adeo quíd mea?
Stilphó 'st. *D.* quem dixti? *P.* Stílphonem, inquam, nóveras.
D. Neque ego íllum noram, néque mi cognatús fuit
Quisquam ístoc nomine. *P.* ítane? non te horúm pudet?
At sí talentûm rém reliquissét decem,
D. Di tíbi malefaciant. *P.* prímus esses mémoriter
Progéniem vostram usque áb avo atque atavo próferens.
D. Ita, ut dícis. ego tum cum ádvenissem, quí mihi
Cognáta ea esset, dícerem: itidem tú face:
Cedo qui ést cognata? *G.* eu nóster, recte: heus tú, cave.
P. Dilúcide expedívi, quibus me opórtuit
Iudicibus: tum id si fálsum fuerat, fílius
Cur nón refellit? *D.* fílium narrás mihi?
Cujus dé stultitia díci, ut dignum 'st, nón potest.
P. At tú, qui sapiens és, magistratús adi;
Iudícium de eadem caúsa iterum ut reddánt tibi:
Quandóquidem solus régnas; et solí licet
Hic de eádem causa bís judicium apíscier.
D. Etsí mihi facta injúria 'st; verúm tamen
Potiús quam lites sécter aut quam te aúdiam,
Itidem út cognata sí sit, id quod lex jubet,
Dotém dare, abduce hánc: minas quinque áccipe.
P. Ha, ha, haé, homo suavis. *D.* quíd? num iniquom póstulo?
An ne hóc quidem ego adipíscar, quod jus públicum 'st?
P. Itan' tándem, quaeso, item, út meretricem ubi abúsus sis
Mercédem dare lex júbet eji atque amíttere?
An, ut né quid civis túrpe in sese admítteret
Proptér egestatem, próxumo jussá 'st dari;
Ut cum úno aetatem dégeret? quod tú vetas.
D. Ita, próxumo quidem: át nos unde? aut quámobrem? *P.* ohe,
Actum, ájunt, ne agas. *D.* nón agam? immo haut désinam,
Donéc perfecero hóc. *P.* ineptis. *D.* síne modo.
P. Postrémo tecum níl rei nobis, Démipho, est:
Tuus ést damnatus gnátus, non tu: nám tua
Praetérierat jam ad dúcendum aetas. *D.* ómnia haec
Illúm putato, quae égo nunc dico, dícere:
Aut quídem cum uxore hac ípsum prohibebó domo.
G. Irátus est. *P.* tute ídem melius féceris.
D. Itane és paratus fácere me advorsum ómnia,
Infélix? *P.* metuit híc nos, tametsi sédulo
Dissímulat. *G.* bene habent tíbi principia. *P.* quín, quod est

Ferúndum, fers: tuis dignum factis féceris:
Ut amíci inter nos símus. *D.* egon' tuam éxpetam
Amícitiam? aut te vísum aut auditúm velim?
P. Si cóncordabis cumílla, habebis, quae tuam
Senectútem oblectet: réspice aetatém tuam.
D. Te obléctet: tibi habe. *P.* mínue vero iram. *D.* hóc age.
Satis jám verborum 'st: nísi tu properas múlierem
Abdúcere, ego illam ejíciam: dixi, Phórmio.
F. Si tu íllam attigeris sécus, quam dignum est líberam,
Dicám tibi inpingam grándem: dixi, Démipho.
Si quíd opus fuerit, heús domo me. *G.* intéllego.

ACTUS III. SCENA III. [B. II, 4.]

DEMIPHO. GETA. HEGIO. CRATINUS. CRITO.

D. Quantá me cura et sóllicitudine ádficit
Gnatús, qui me et se hisce ínpedivit núptiis?
Neque mi ín conspectum pródit; ut saltém sciam,
Quid de hác re dicat, quídve sit senténtiae.
Ibi, víse redierítne jam an nondúm domum.
G. Eó. *D.* videtis, quo ín loco res haéc siet:
Quid ágo? dic, Hegio. *H.* égo? Cratinum cénseo:
Si tíbi videtur. *D.* díc, Cratine. *CRA.* méne vis?
Ego, quae ín rem tuam sint, éa velim faciás: mihi
Sic hóc videtur. quód te absente hic fílius
Egít, restitui in íntegrum aequom esse ác bonum:
Et id ímpetrabis. díxi. *D.* dic nunc, Hégio.
H. Ego sédulo hunc dixísse credo: vérum ita est,
Quot hómines, tot senténtiae: suus cuíque mos.
Mihi nón videtur, quód sit factum légibus,
Rescíndi posse: et túrpe inceptu est. *D.* díc, Crito.
C. Ego ámplius delíberandum cénseo:
Res mágna est. *H.* numquid nós vis? *D.* fecistís probe:
Incértior sum múlto, quam dudúm. *G.* negant
Redísse. *D.* frater ést exspectandús mihi:
Is quód mihi de hac re déderit consilium, íd sequar.
Percóntatum ibo ad pórtum, quoad se récipiat.
G. At ego A'ntiphonem quaéram; ut, quae acta hic sínt, sciat.
Set eccum ípsum video in témpore huc se récipere.

ACTUS III. SCENA IV. [B. III, 1.]

ANTIPHO. GETA.

A. E'nimvero, Antiphó, multimodis cum ístoc animo es vítuperandus:

I'tane te hinc abísse, et vitam tuám tutandam aliís dedisse?
A'lios tuam rem crédidisti mágis, quam tete, animádversuros?
Nam út ut erant alia; ílli certe, quaé nunc tibi domí 'st, consuleres,
Né quid propter tuám fidem decépta potirétur mali:
Cuíus nunc miserae spés opesque súnt in te uno ommés sitae.
G. Et quídem, ere, nos jamdúdum hic te absentem íncusamus, qui ábieris.
A. Te ipsúm quaerebam. *G.* sét ea causa níhilo magis defécimus.
A. Loquere, óbsecro, quonam ín loco sunt rés et fortunaé meae:
Num pátri quid subolet? *G.* níl etiam. *A.* ecquid speíi porro 'st?
G. néscio. *A.* ah.
G. Nisi Phaédria haut cessávit, pro te eníti. *A.* nil fecít novi.
G. Tum Phórmio itidem in hác re, ut aliis, strénuum hominem praébuit.
A. Quid is fécit? *G.* confutávit verbis ádmodum iratúm senem.
A. Eu, Phórmio. *G.* ego, quod pótui, porro. *G.* mí Geta, omnis vós amo.
A. Sic habent princípia sese, ut díco: adhuc tranquílla res est
Mánsurusque pátruum pater est, dum húc adveniat. *A.* quíd eum *G.* id aibat,
De eíus consilio vélle sese fácere, quod ad hanc rem áttinet.
A. Quántus metus est míhi, venire huc sálvom nunc patruúm, Geta?
Nám de ejus una, ut audio, aut vivam aút moriar senténtia.
G. Phaédria tibi adest. *A.* úbinam 'st? G, eccum ab suá palaestra exít foras.

Actus III. Scena V. [B. III, 2.]

Phaedria. Dorio. Antipho. Geta.

P. Dório,
Audi, óbsecro. *D.* non audio. *P.* parúmper. *D.* quin omítte me.
P. A'udi, quid dicam. *D.* át enim taedet jam audíre eadem mílies.
P. A't nunc dicam, quód lubenter audias. *D* loquere, audio.
P. Néqueo te exoráre, ut maneas triduum hoc? quo núnc abis?
D. Mirábar, si tu míhi quicquam adferrés novi. *A.* ei,
Metuó lenonem, né quid — *G.* suo capití fuat.
P. Nón mihi credis? *D.* hárriolare. *P.* sín fidem do. *D.* fábulae.
P. Faéneratum istúc beneficium púlchre tibi dicés. *D.* logi.
P. Créde mihi, gaudébis facto: vérum hercle hoc est *D.* sómnia.
P. E'xperire: nón est longum. *D.* cántilenam eandém canis
P. Tú cognatus, tú parens, tu amícus, tu. *D.* garrí modo.
P. A'deon' ingenio ésse duro te átque inexorábili,
U't neque misericórdia, neque précibus mollirí queas?

D. A'deon' te esse incógitantem atque imprudentem, Phaédria,
U't phaleratis dictis ducas me; ét meam ductes grátiis?
A. Míseritum 'st. *P.* ei véris vincor. *G.* quám uterque est similís sui.
P. Neque A'ntipho alia cum óccupatus ésset sollicitúdine,
Tum hoc ésse mi objectúm malum! *A.* ah, quid ístuc autem est, Phaédria?
P. O' fortunatíssime Antipho. *A.* égone? *P.* cui, quod amás, domi 'st.
Néc cum hujusmodi umquam úsus venit út conflictarés malo.
A. Mín' domi 'st? immo, íd quod ajunt, aúribus tenéo lupum:
Nám neque quo pacto á me amittam: néque, uti retineám, scio.
D. I'psum istuc mi in hóc est. *A.* né parum lenó sies.
Númquid hic confécit? *P.* hicine? quód homo inhumaníssimus:
Pámphilam meam véndidit. *G.* quid? véndidit? *A.* ain' véndidit?
P. Véndidit. *D.* quam indígnum facinus, áncillam aere emptám suo.
P. Néqueo exorare, út me maneat, ét cum illo ut mutét fidem,
Tríduum hoc: dum id, quód est promissum, ab amícis argentum aúfero:
Sí non tum dedero, únam praeterea hóram ne oppertús siet.
D. O'ptume. *A.* haut longúm 'st, quod orat, Dório: exorét sine:
I'dem hic tibi, quod béne promeritus fúeris, conduplicáverit.
D. Vérba istaec sunt. *A.* Pámphilamne hac úrbe privarí sines?
Túm praeterea horúnc amorem dístrahi poterín' pati?
D. Néque ego, neque tu. *G.* dí tibi omnes íd, quod es dignús, duint.
D. E'go te complurís advorsum ingénium meum mensés tuli,
Póllicitantem et níl ferentem, fléntem: nunc, contra ómnia haec,
Répperi, qui dét neque lacrumet: dá locum melióribus.
A. Cérte hercle, ego si sátis commemini, tíbi quidem est ólim dies,
Quoád dares huic, praéstituta. *P.* factum. *D.* num ego istúc nego?
A. Iam éa praeteriit? *D.* nón, verum haec ei ántecessit. *A.* nón pudet.
Vánitatis? *D.* mínume, dum ob rem. *G.* stérculinum. *P.* Dório,
I'tane tandem fácere oportet: D. sic sum: si placeo, útere.
A. Sícine hunc decipis? *D.* ímmo enimvero hic, A'ntipho, me décipit:
Nam híc me hujusmodi scíbat esse: ego húnc esse aliter crédidi:
I'ste me feéllit; ego isti níhilo sum aliter ác fui.
Sét ut ut haec sunt, támen hoc faciam; crás mane argentúm mihi
Míles dare se díxit: si mihi príor tu attuleris, Phaédria,
Meá lege utar; út sit potior, príor ad dandum qui ést. Vale.

Actus III. Scena VI. [B. III, 3.]

Phaedria. Antipho. Geta.

P. Quíd faciam? unde ego núnc tam subito huic árgentum inveniám miser,
Cuí minus nihilo est? quód si hínc pote fuísset exorárier
Tríduum hoc, promíssum fuerat. *A.* ítane hunc patiemúr, Geta,
Fíeri miserum, quí me dudum, ut díxti, adjurit cómiter?
Quín, cum opus est, benefícium rursum ei éxperimur réddere? 5
G. Scío equidem hoc esse aéquom. *A.* age ergo, sólus servare húnc potes.
G. Quíd faciam? *A.* inveniás argentum. G. cúpio: set, id unde, édoce.
A. Páter adest hic. *G.* scío: sed quíd tum? *A.* ah, dictum sapientí sat est.
G. I'tan' ais? *A.* ita *G.* sane hércle pulchre suádes: etiam tu hínc abis?
Nón triumpho, ex núptiis tuis sí nil nanciscór mali, 10
Ni étiam nunc me hujus caúsa quaerere ín malo jubeás malum?
A. Vérum hic dicit. *P.* quíd? ego vobis, Géta, alienus sum? *G.* haút puto:
Sét parumne est, quod ómnibus nunc nóbis suscensét senex,
Ni ínstigemus étiam, ut nullus lócus relinquatúr preci?
P. A'lius ab oculís meis illam in ignotum abducét locum? hem: 15
Quín igitur. dum lícet, dumque adsum, lóquimini mecum, A'ntipho,
Cóntemplaminí me. *A.* quamobrem? aut quídnam facturus's, cedo.
P. Quóquo hinc asportábitur terrárum, certum est pérsequi,
Aút perire. *G.* dí bene vortant, quód agas: pedetemptím tamen.
A. Víde opis si quid pótes adferre huic. *G.* sí quid? quid? *A.* quaere, óbsecro: 20
Ní quid plus minúsve faxit, quód nos post pigeát, Geta.
G. Quaéro: salvos ést, ut opinor: vérum enim metuó malum.
A. Nóli metuere: úna tecum bóna, mala, tolerábimus.
A. Quántum est opus argénti, eloquere. *P.* sólae trigintá minae.
G. Tríginta? hui percára 'st, Phaedria. *P.* ístaec vero vílis est. 25
G. A'ge, age, inventas réddam. *P.* o lepidum. *G.* auférte. *P.* jam opus's't. *G.* jám feres:
Sét opus est, mi Phórmionem ad hánc rem adjutorém dari.
A. Praésto 'st: audacíssume oneris quídvis impone, ét feret:
Sólus est homo amíco amicus. *G.* eámus ergo ad eum ócius.
A. Númquid est, quod operá mea vobis ópus sit? *A.* nil: verum ábi domum, 30
E't illam miseram, quam égo nunc íntus scío esse exanimatám metu,

Cónsolare. céssas? *A.* nihil est, aéque quod faciám lubens.
P. Quá via istuc fácies? *G.* dicam in ítere: modo te hinc ámove.

Actus IV. Scena I.

Demipho. Chremes.

A. Quid? quá profectus caúsa hinc es Lemnúm, Chreme,
Addúxtin' tecum fíliam? *C.* non. *D.* quíd ita non?
C. Postquám videt me ejus máter esse hic díutius;
Simul aútem non manébat aetas vírginis
Meam néclegentiam; ípsam cum omni fámilia
Ad mé profectam esse aíbant. *D.* quid illic tám diu,
Quaeso, ígitur commorábare, ubi id audíveras?
C. Pol mé detinuit mórbus. *D.* unde? aut quí? *C.* rogas?
Senéctus ipsa 'st mórbus. set venísse eas
Salvás audivi ex naúta, qui illas véxerat.
D. Quid gnáto optigerit me ábsente, audistín', Chreme?
C. Quod quídem me factum cónsili incertúm facit.
Nam hanc cónditionem sí cui tulero extrário,
Quo pácto aut unde míhi sit, dicundum órdine est.
Te míhi fidelem esse aéque atque egomet súm mihi,
Scibam: ílle si me aliénus adfiném volet,
Tacébit, dum intercédet familiáritas:
Sin spréverit me, plús, quam opus est scitó, sciet.
Vereórque, ne uxor áliqua hoc resciscát mea:
Quod sí fit, ut me excútiam atque egrediár domo,
Id réstat: nam ego meórum solus súm meus.
D. Scio ita ésse: et istaec míhi res sollicitúdini 'st:
Neque défetiscar úsque adeo experírier,
Donéc tibi, id, quod póllicitus sum, effécero.

Actus IV. Scena II.

Geta.

Ego hóminem callidiórem vidi néminem,
Quam Phórmionem. vénio ad hominem, ut dícerem,
Argéntum opus esse, et íd quo pacto fíeret.
Vix dúm dimidium díxeram, intelléxerat;
Gaudébat: me laudábat: quaerebát senem:
Dis grátias agébat, tempus síbi dari,
Ubi Phaédriaï osténderet nihiló minus
Amícum se esse, quam A'ntiphoni. hominem ád forum
Iussi ópperiri: eo me ésse adducturúm senem.
Set eccum ípsum. qui est ultérior? attat Phaédriae
Pater vénit. set quid pértimui autem bélua?

An quía, quos fallam, pro úno duo sunt míhi dati?
Commódius esse opínor duplici spe útier.
Petam hínc, unde a primo ínstitui: is si dát, sat est:
Si ab eó nil fiet, tum húnc adoriar hóspitem.

Actus IV. Scena III.

Antipho. Geta. Chremes. Demipho.

A. Exspécto, quam mox récipiat sesé Geta.
Set pátruum video cúm patre adstantem. ei mihi,
Quam tímeo, adventus húius quo inpellát patrem.
G. Adíbo: o salve, nóster Chreme. *C.* salvé, Geta.
G. Venire salvom vólupe 'st. *D.* credo. *G.* quíd agitur?
C. Multa ádvenienti, ut fít, nova hic complúria.
C. Ita. de Antiphone audístin' quae facta? *C.* ómnia.
G. Tun' díxeras huic? fácinus indignúm, Chreme,
Sic circumiri? *D.* id cum hóc agebam cómmodum.
G. Nam hercle égo quoque id quidem ágitans mecum sédulo,
Invéni, opinor, rémedium huic rei. *C.* quíd, Geta?
D. Quod rémedium? *G.* ut abii ábs te, fít forte óbviam
Mihi Phórmio. *C.* qui Phórmio? *G.* is, qui istám. — *C.* scio.
G. Visum ést mi, ut ejus temptárem prius senténtiam.
Prendo hóminem solum: cúr non, inquam, Phórmio,
Vidémus, inter nós haec potius cúm bona
Ut cómponantur grátia, quam cúm mala?
Erus líberalis ést et fugitans lítium:
Nam céteri quidem hércle amici omnés modo
Uno óre auctores fuére, ut praecipitem hánc daret.
A. Quid hic coéptat, aut quo evádet hodie? *G.* an légibus
Datúrum poenas díces, si illam ejécerit?
Iam id éxploratum 'st: heía! sudabís satis,
Si cum íllo inceptas hómine: ea eloquéntia est.
Verúm pono, esse víctum eum: at tandém tamen
Non cápitis ei res ágitur, set pecúniae.
Postquam hóminem his verbis séntio mollírier;
Solí sumus nunc, ínquam, hic: eho, quid vís dari.
Tibi ín manum, erus ut hís desistat lítibus:
Haec hínc facessat, tú molestus né sies.
A. Satin'ílli di sunt própitii? *G.* nam sát scio,
Si tu áliquam partem aequí bonique díxeris,
Ut est ílle bonus vir, tría non commutábitis
Verba hódie inter vos. *D.* quís te istaec jussít loqui?
C. Immó non potuit mélius pervenírier
Eo, quó nos volumus. *A.* óccidi. *C.* perge éloqui.
G. A prímo homo insanibat. *D.* cedo, quid póstulat?

G. Quid? nímium quantum. *C.* quántum? dic. *G.* si quís daret
Taléntum magnum. *D.* immó malum hercle: ut níl pudet?
G. Quod díxi adeo eji: quaéso, quid si fíliam
Suam únicam locáret? parvi réttulit
Non súscepisse: invénta est, quae dotém petat.
Ut ad paúca redeam, ac míttam illius inéptias:
Haec dénique ejus fuít postrema orátio:
Ego, ínquit, jam a princípio amicí fíliam,
Ita ut aéquom fuerat, vólui uxorem dúcere.
Nam míhi venibat ín mentem ejus incómmodi,
In sérvitutem paúperem ad ditém dari.
Set mi ópus erat, ut apérte tibi nunc fábuler,
Aliquántulum quae adférret, qui dissólverem,
Quae débeo: et etiám nunc, si volt Démipho
Dare, quántum ab hac accípio, quae sponsá 'st mihi;
Nullám mihi malim, quam ístanc uxorém dari.
A. Utrúm stultitia fácere ego hunc an málitia
Dicám, scientem an ínprudentem, incértus sum.
D. Quid, si ánimam debet? *G.* áger oppositus 'st pígnori
Ob décem mnas, ínquit. *D.* áge, age, jam ducát: dabo.
G. Aedículae item sunt ób decem alias. *D.* oíeï,
Nimiúm 'st. *C.* ne clama: pétito illasce a mé decem.
G. Uxóri emunda ancílla 'st: tum autem plúscula
Supelléctile opus est: ópus est sumptu ad núptias:
His rébus alias póne sane, ínquít, decem.
D. Sescéntas proínde scríbito jam míhi dicas:
Nil do: ínpuratus me ílle ut etiam ínrídeat?
C. Quaeso, égo dabo, quiésce: tu modo fílius
Fac ut íllam ducat, nós quam volumus. *A.* ei mihi:
Geta, óccidisti mé tuis fallácíis.
C. Mea caúsa ejicitur: me hóc est aequom amíttere.
G. Quantúm potest me cértiorem, ínquít, face:
Si illám dant, hanc ut míttam: ne incertús siem:
Nam illí mihi dotem jám constituerúnt dare.
C. Iam accípiat: illis répudium renúntiet:
Hanc dúcat. *D.* quae quidem ílli res vortát male.
C. Oppórtune adeo argéntum nunc mecum áttuli,
Fructúm, quem Lemni uxóris reddunt praédia:
Inde súmam: uxori, tíbi opus esse, díxero.

Actus IV. Scena IV.

Antipho. Geta.

A. Geta. *G.* hém. *A.* quid egisti? *G.* émunxi argentó senes.
A. Satin' ést id? *G.* nescio hércle, tantum jússus sum.

A. Eho, vérbero, aliud míhi respondes ác rogo?
H. Quid érgo narras? *A.* quíd ego narrem? operá tua
Ad réstim mi quidem rés redit planíssume.
Ut té quidem omnes, dí deae, superi, ínferi,
Malís exemplis pérdant! em, si quíd velis,
Huic mándes, qui te ad scópulum e tranquillo aúferat.
Quid mínus utibile fuít, quam hoc ulcus tángere
Aut nóminare uxórem? injecta est spés patri
Posse íllam extrudi. cédo nunc porro, Phórmio
Dotém si accipiet, úxor ducenda est dómum,
Quid fiet? *G.* non enim dúcet. *A.* novi. céterum
Cum argéntum repetent, nóstra causa scílicet
In nérvom potius íbit. *G.* nihil est, A'ntipho,
Quin mále narrando péssit depravárier.
Tu id, quód boni est, excérpis: dicis, quód mali est.
Audí nunc contra jám: si argentum accéperit,
Ducénda est uxor, út ais: concedó tibi:
Spatiúm quidem tandem ápparandis núptiis,
Vocándi, sacrificándi dabitur paúlulum.
Intérea amici, quód polliciti súnt, dabunt:
Inde íste reddet. *A.* quámobrem? aut quid dicét? *G.* rogas?
Quot rés post illa mónstra evenerúnt mihi?
Intróiit in aedis áter alienús canis:
Anguís in impluvium décidit de tégulis:
Gallína cecinit: ínterdixit hárіolus:
Arúspex vetuit: ánte brumam autém novi
Negóti nihil incípere causa est sóntica.
Haec fient *A.* ut modo fíant. *G.* fient: mé vide.
Pater éxit: abi, dic, ésse argentum Phaédriae.

Actus IV. Scena V.

Demipho. Geta. Chremes.

D. Quiétus esto, inquam: égo curabo, né quid verborúm duit.
Hoc témere numquam amíttam ego a me, quín mihi testis ádhibeam:
Cui dém, quamobrem dem, cómmemorabo. *G.* ut caútus est, ubi níhil opus 'st!
C. Atqui íta opus facto est, ét mature, dúm libido eadem haéc manet:
Nam si áltera illaec mágis instabit, fórsitan nos reíciat.
G. Rem ipsám putasti. *D.* dúc me ad eum ergo. *G.* nón moror. *C.* ubi hoc égeris,
Transíto ad uxorém meam, ut convéniat hanc prius, quam hínc abit.

Dicát, eam dare nos Phórmioni núptum, ne suscénseat:
Et mágis esse illum idóneum, ipsi qui sít familiárior:
Nos nóstro officio níl degressos: quántum is voluerít dari,
Datum ésse dotis. *D.* quíd tua', malum, id réfert? *C.* magni, Démipho.
Non sátis est, tuum te officium facere, fáma si id non ádprobat:
Volo ipsíus quoque voluntáte haec fieri, né se ejectam praédicet.
D. Idem égo istuc facere póssum. *C.* mulier múlieri magis cóngruet.
D. Rogábo. *C.* ubi ego illas núnc iam reperíre possim, cógito.

ACTUS IV. SCENA VI. [B. V, 1.]

SOPHRONA. CHREMES.

S. Quíd agam? quem mi amícum misera invéniam, quo consília haec referam, aut
Únde mi auxiliúm petam?
Nám vereor, era ne ób meum suasum indígne injuria ádficiatur:
I'ta patrem adulescéntis facta haec tólerare audió violenter.
C. Nám quae haec anus est, éxanimata a frátre quae egressá 'st meo?
S. Quod ut fácerem, egestas me ímpulit; cum scírem, infírmas núptias
Hasce ésse: ut id consúlerem, ínterea vita ut in tutó foret.
C. Cérte edepol, nisi me ánimus fallit, aút parum prospíciunt oculi,
Meaé nutricem gnátae video. *S.* néque ille investigátur. *C.* quid ago?
S. Qui éjus pater est. *C.* âdeo? an maneo, dum, haéc quae loquitur, mágis cognosco?
S. Quód si cum nunc reperíre possim, níhil est, quod vereár. *C.* ea 'st ipsa.
Cónloquar. *S.* quis hic lóquitur? *C.* Sophrona. *S.* ét meum nomen nóminat?
C. Réspice ad me. *S.* di, óbsecro vos, éstne hic Stilpho? *C.* nón. *S.* negas?
C. Cóncede hinc a fóribus paulum istórsum sodes, Sóphrona.
Ne me ístoc posthac nómine appellássis. *S.* quid? non, óbsecro, es,
Quem sémper te esse díctitasti? *C.* 'st. *S.* quid has metuís fores?
C. Conclúsam hic habeo uxórem saevam. vérum istoc me nómine
Eo pérperam olim díxi, ne vos fórte inprudentés foris
Effútiretis; átque id porro aliqua úxor mea rescísceret.
S. Istóc pol nos te hic ínvenire míserae numquam pótuimus.
C. Eho díc mihi, quid rei tibi est cum fámilia hac, unde éxis?
Ubi íllae? *S.* miseram me, *C.* hém, quid est? vivúntne? *S.* vivit gnáta.

Matrem ípsam ex aegritúdine miserám mors consecúta est.
C. Male fáctum. *S.* ego autem, quae éssem anus desérta, egens, ignóta,
Ut pótui, nuptum vírginem locávi huic adulescénti,
Harúm qui est dominus aédium. *C.* Antiphónine? *S.* isti inquam ípsi.
C. Quid? duásne is uxorés? *S.* au, obsecro, únam ille quidem hanc sólam.
C. Quid illam álteram, quae dícitur cognáta? *S.* haec ergo 'st.
C. quíd ais?
S. Compósito factum 'st, quó modo hanc amáns habere pósset
Sine dóte. *C.* di vostrám fidem, quam saépe forte témere
Evéniunt, quae non aúdeas optáre? offendi advéniens,
Quicúm volebam atque út volebam fíliam locátam:
Quod nós ambo opere máxumo dabámus operam ut fíeret,
Síne nóstra cura máxuma, sua cúra haec sola fécit.
S. Nunc, quíd opus facto sít, vide. pater ádulescentis vénit:
Eumque ánimo iniquo hoc óppido ferre ájunt. *C.* nil perícli 'st.
Set pér deos atque hominés, meam esse hanc cáve resciscat quísquam.
S. Nemo éx me scibit. *C.* séquere me: intus cétera audiémus.

Actus V. Scena I. [B. V, 2.]

Demipho. Geta.

D. Nostrápte culpā fácimus, ut malís expediat ésse:
Dum nímium dici nós bonos studémus et benígnos.
Ita fúgias ne praetér casam, quod ájunt. nonne id sát erat,
Accípere ab illo injúriam? etiam argéntum 'st ultro objéctum:
Ut sít, qui vivat, dum áliud aliquid flágiti confíciat.
G. Planíssime. *D.* iis nunc praémium est, qui récta prava fáciunt.
G. Veríssime. D. ut stultíssime quidem ílli rem gessérimus.
G. Modo ut hóc consilio póssiet discédi, ut istam dúcat.
D. Etiam ídne dubium 'st? *G.* haút scio hercle, ut homó 'st, an mutet ánimum.
D. Hem, mútet autem? *G.* néscio: verúm, si forte, díco.
D. Ita fáciam, ut frater cénsuit, ut uxórem huc ejus addúcam:
Cum ista út loquatur. tú, Geta, abi prae: núntia hanc ventúram.
G. Argéntum inventum 'st Phaédriae: de júrgio silétur:
Provísum est, ne in praeséntia haec hinc ábeat: quid nunc pórro?
Quid fíet? in eodem haésitas luto: vorsura sólvis:
Praeséns quod fuerat, ín diem malum ábiit: plagae créscunt,
Nisi próspicis. nunc hínc domum ibo; ac Phánium edocébo,
Ne quíd vereatur Naústratam, neque eius oratiónem.

Actus V. Scena II. [B. V, 3.]

Demipho. Nausistrata. Chremes.

D. Agedum, út soles, Nausístrata: fac, illa út placetur nóbis,
Ut suá voluntate íd, quod est faciúndum, faciat. *N.* fáciam.
D. Paritér nunc opera me ádiuvas, ac ré dudum opituláta es.
N. Factúm volo: ac pol mínus queo viri cúlpa, quam me dígnum 'st.
D. Quid aútem? *N.* quia pol meí patris bene párta indiligénter
Tutátur: nam ex iis praédiis talénta argenti bína
Capiébat statim: hem vír viro quid praéstat? *D.* bina quaéso?
M. Ac rébus vilióribus, tamén duo talénta. *D.* hui.
N. Quid haéc videntur? *D.* scílicet. *N.* virúm me natum véllem:
Ego osténderem. *D.* certó scio. *N.* quo pácto. *D.* parce sódes,
Ut póssis cum illa; né te adulescens múlier defetíget.
N. Faciam, út jubes: set meúm virum abs te exíre video. *C.* chem, Démipho,
Iam illí datum est argéntum? *D.* curavi ílico. *C.* nollém datum.
Ei, vídeo uxorem: paéne plus, quam sát erat. *D.* cur nollés, Chreme?
C. Iam récte. *D.* quid tu? ecquíd locutus cum ísta es, quamobrem hanc dúcimus?
C. Transégi. *D.* quid ait tándem? *C.* abduci nón potest. *D.* qui nón potest?
C. Quia utérque utrique est córdi. *D.* quid istuc nóstra? *C.* magni: praéter haec,
Cognátam comperi ésse nobis. *D.* quíd? deliras. *C.* síc erit:
Non témere dico: rédii mecum in mémoriam. *D.* satin' sánus es?
N. Au óbsecro, cave ne ín cognatam pécces. *D.* non est. *C.* né nega:
Patris nómen aliud díctum est: hoc tu errásti. *D.* non norát patrem?
C. Norát. *D.* cur aliud díxit? *C.* numqnamne hódie concedés mihi,
Neque intélleges? *D.* si tú nil narras. *C.* pérgis? *N.* miror, qui hóc siet.
D. Equidem hércle nesció. *C.* vin' scire? at íta me servet Iúppiter,
Ut própior illi, quam égo sum ac tu, homo némo 'st. *D.* di vostrám fidem:
Eámus ad ipsam: una ómnis nos aut scíre aut nescire hóc volo. *C.* ah.
D. Quid ést? *C.* itan' parvam míhi fidem esse apút te? *D.* vin' me crédere?
Vin' sátis quaesitum mi ístuc esse? age, fíat. quid? illa fília
Amíci nostri quíd futurum 'st? *C.* récte. *D.* hanc igitur míttimus?

C. Quidni? *D.* illa maneat? *C.* sic. *D.* ire igitur tibi licet, Nausistrata.
N. Sic pól commodius ésse in omnis árbitror, quam ut coéperas, Manére hanc; nam perlíberalis vísa 'st, cum vidí, mihi.
D. Quid istúc negoti 'st? *C.* jámne operuit óstium? *D.* jam. *C.* o Iúppiter,
Di nós respiciunt: gnátam inveni núptam cum tuo fílio. *D.* hem, Quo pácto id potuit? *C.* nón satis tutus ést ad narrandum híc locus.
D. At tu íntro abi. *C.* heus, ne fílii quidem nóstri hoc resciscánt, volo.

Actus V. Scena III. [B. V, 4.]

Antipho.

Laetús sum, ut meae res sése habent, fratri óptigisse, quód volt.
Quam scítum 'st, ejusmodí parare in ánimo cupiditátes,
Quas, cúm res advorsaé sient, pauló mederi póssis?
Hic símul argentum répperit, curá sese expedívit:
Ego núllo possum rémedio me evólvere ex his túrbis:
Quin, si hóc celetur, ín metu; sin pátefit, in probró sim.
Neque mé domum nunc réciperem, ni mi ésset spes osténta
Hujúsce habendi. sét ubinam Getam ínveníre póssim?
Rogem, quód conveniundí patris me témpus capere júbeat.

Actus V. Scena IV. [B. V, 5.]

Phormio. Antipho.

P. Argéntum accepi, trádidi lenóni: abduxi múlierem:
Curávi, propria ea Phaédria ut poterétur: nam emisso ést manu.
Nunc úna mihi res étiam restat, quae ést conficiunda; ótium
Ab sénibus ad potándum ut habeam: nam áliquot hos sumám dies.
A. Set Phórmio 'st: quid ais? *P.* quid? quidnam núnc facturus 'st Phaédria?
Quo pácto satietátem amoris áit se velle absúmere?
P. Vicissim partis tuás acturus 'st. *A.* quás? *P.* uti fugitét patrem:
Te suás rogavit rúrsum ut ageres; caúsam ut pro se díceres.
Nam pôtaturus ést aput me. ego me íre senibus Súnium
Dicam ád mercatum, ancíllulam emptum, dúdum quam dixít Geta:
Ne cum híc non videant mé, conficere crédant argentúm suum.
Set óstium concrépuit abs te. *A.* víde, qui egrediatúr. *P.* Geta 'st.

Actus V. Scena V. [B. V, 6.]

Geta. Antipho. Phormio.

G. O' fortuna, o fórs fortuna, quántis commoditátibus,

Quám desubito ero A'ntiphoni ope vóstra hunc onerastís diem?
A. Quídnam hic sibi volt? *G.* nósque amicos eius exonerastís metu?
Sét ego nunc mihi césso, qui non úmerum hunc onero pállio;
A'tque hominem propero ínvenire: ut haéc, quae contigerint, sciat.
A. Núm tu intellegís, quid hic narret? *P.* núm tu? *A.* nil. *P.* tantúndem ego.
G. A'd lenonem hinc íre pergam: ibi núnc sunt. *A.* heus, Geta. *G.* ém tibi!
Núm novom aut mirúm 'st revocari, cúrsum cum institerís? *A.* Geta.
G. Pérgin'? hercle númquam hodie odio tú me vinces. *A.* nón manes?
G. Vápula. *A.* id quidem tíbi jam fiet, nísi resistis, vérbero.
G. Fámiliariórem oportet ésse hunc: minitatúr malum.
Sét isne est, quem quaero, án non? ipsus 'st. cóngredere actutúm. *A.* quid est?
G. O ómnium, quantum ést, qui vivont, hóminum homo ornatíssume:
Nám sine controvérsia ab dis sólus diligere, A'ntipho.
A. I'ta velim: set, qui istuc credam ita ésse, mihi dicí velim.
G. Sátin' est, si te délibutum gaúdio reddo? *A.* énicas.
P. Quín tu hinc pollicitátiones aúfer, et quod férs, cedo. *G.* oh.
Tú quoque aderas, Phórmio? *P.* aderam: sét tu cessas? *G.* áccipe, em,
U't modo argentúm tibi dedimus ápud forum, recta ád Chremem
Súmus profecti: intérea mittit érus me ad uxorém tuam.
A. Quámobrem? *G.* omitto próloqui: nam níhil ad hanc rem est, A'ntipho:
U'bi in gynaeceum íre occipio, púer ad me accurrít Mida:
Póne adprehendit pállio, resupínat: respició: rogo,
Quámobrem retineát me: ait, esse vétitum intro ad eram accédere.
Sóphrona modo frátrem huc, inquit, sénis introduxít, Chremem:
Eúmque nunc esse íntus cum illis: hóc ubi ego audivi, ád fores
Súspenso gradú placide ire pérrexi: accessi: ástiti:
A'nimam compressi: aúrem admovi: ita ánimum coepi atténdere,
Hóc modo sermónem captans. *A.* eú, Geta. *G.* hic pulchérrumum
Fácinus audivi: ítaque paene hercle éxclamavi gaúdio.
A. Quód? *G.* quodnam arbitráre? *A.* nescio. *G.* átqui mirificíssumum:
Pátruus tuus est páter inventus Phánio, uxorí tuae. *A.* hem,
Quíd ais? *G.* cum ejus consuévit olim mátre in Lemno clánculum.
Ph. Sómnium: utn' haec ígnoraret suúm patrem? *G.* aliquid crédito,

Phórmio, esse caúsae: set me cénsen' potuisse ómnia
I'ntellegere extra óstium, intus quae ínter sese ipsi égerint?
A. A'tque hercle ego quoque íllam inaudivi fábulam. *G.* immo etiám dabo,
Quó magis credas: pátruus interea índe huc egreditúr foras:
Haút multo post cúm patre idem récipit se intro dénuo:
A'it uterque, tíbi potestatem eíus habendi sé dare:
Dénique ego sum míssus, te ut requírerem atque addúcerem. *A.* em,
Quín ergo rape mé: quid cessas? *G.* fécero. *A.* o mi Phórmio,
Vále. *P.* vale, Antiphó: bene, ita me dí ament, factum. gaúdeo

Actus V. Scena VI. [B. V, 7.]

Phormio.

Tantám fortunam de ínproviso esse his datam.
Summa éludendi occásio 'st mi núnc senes.
Et Phaédriae curam ádimere argentáriam;
Ne cuíquam suorum aequálium suppléx siet.
Nam idem hóc argentum, ita út datum 'st, ingrátiis
Ei dátum erit: hoc qui cógam, re ipsa répperi.
Nunc géstus mihi voltúsque est capiundús novos.
Set hínc concedam in ángiportum hoc próxumum:
Inde hísce ostendam me, úbi erunt egressí foras.
Quo me ádsimularam ire ád mercatum, nón eo.

Actus V. Scena. VII. [B. V, 8.]

Demipho. Phormio. Chremes.

D. Dis mágnas merito grátias habeo átque ago,
Quando évenere haec nóbis, frater, próspere.
Quantúm potest, nunc cónveniundus Phórmio est,
Priusquám dilapidat nóstras trigintá minas,
Ut aúferamus. *P.* Démiphonem, sí domi est,
Visam: út quod — *D.* at nos ád te ibamus, Phórmio.
P. De eadem hác fortasse caúsa. ita hercle crédidi.
Quid ád me ibatis? rídiculum: an verémini,
Ne nón id facerem, quód recepissém semel:
Heus, quánta quanta haec méa paupertas ést, tamen
Adhúc curavi unum hóc quidem, ut mi essét fides.
C. Estne íta, uti dixi, líberalis? *D.* óppido.
P. Idque ádeo advenio núntiatum, Démipho,
Parátum me esse: ubi vóltis, uxorém date.
Nam omnís posthabui míhi res, ita uti pár fuit,
Postquám, tantopere id vós velle, animadvérteram.
D. At híc dehortatus ést me, ne illam tíbi darem:

Nam quí erit rumor pópuli, inquit, si id fécceris?
Olím cum honeste pótuit, tum non ést data:
Nunc víduam extrudi túrpe 'st: ferme eadem ómnia,
Quae túte dudum córam me incusáveras.
P. Satis pól superbe inlúditis me. *D.* quí? *P.* rogas?
Quia ne álteram quidem illam potero dúcere:
Nam quó redibo ore ád eam, quam contémpserim?
C. Tum autem A'ntiphonem vídeo ab sese amíttere
Invítum eam: inque. *D.* tum aútem video fílium
Invítum sane múlierem ab se amíttere.
Set tránsi sodes ád forum, atque illúd mihi
Argéntum rursum júbe rescribi, Phórmio.
P. Quodne égo discripsi pórro illis, quibus débui?
D. Quid ígitur fiet? *P.* sí vis mi uxorém dare,
Quam déspondisti, dúcam: sin est, út velis,
Manére illam aput te, dós hic maneat, Démipho.
Nam nón est aequom, mé propter vos décipi:
Cum ego vóstri honoris caúsa repudium álterae
Remíserim, quae dótis tantundém dabat.
D. In' hinc málam rem cum ístac magnificéntia,
Fugitíve? Etiamnum crédis, te ignorárier,
Aut túa facta adeo? *P.* inritor. *D.* tunc hanc dúceres,
Si tíbi data esset? *P.* fác periclum. *D.* ut fílius
Cum illa hábitet aput te, hoc vóstrum consiliúm fuit.
P. Quaesó, quid narras? *D.* quín tu mi argentúm cedo.
P. Immo véro uxorem tú cedo. *D.* in jus ámbula.
P. Enimvéro si porro ésse odiosi pérgitis,
D. Quid fácies? *P.* egone? vós me indotatís modo
Patrócinari fórtasse arbitrámini:
Etiám dotatis sóleo. *C.* quid id nostrá? *P.* nihil.
Hic quándam noram, cuíus vir uxorem — *C.* hém. *D.* quid est?
P. Lemni hábuit aliam: *C.* núllus sum. *P.* ex qua fíliam
Suscépit: et eam clam éducat *C.* sepúltus sum.
P. Haec ádeo ego illi jám denarrabo. *C.* óbsecro,
Ne fácias. *P.* oh, tune ís eras? *D.* ut ludós facit.
C. Missúm te facimus. *P.* fábulae. *C.* quid vís tibi?
Argéntum, quod habes, cóndonamus te. *P.* aúdio.
Quid vós, malum, ergo mé sic ludificámini,
Inépti vostra púerili senténtia?
Noló, volo: volo, nólo rursum: cápe, cedo:
Quod dictum, indictum 'st: quód modo ratum erat, ínritum 'st.
C. Quo pácto aut unde haec híc rescivit? *D.* néscio,
Nisi mé dixisse némini, id certó scio.
C. Monstri, íta me di ament, símile. *P.* injeci scrúpulum. *D.* hem,
Hicíne ut a nobis tántum hoc argenti aúferat,

Tam apérte inridens? émori hercle sátius est:
Animó virili praésentique ut sís, para.
Vidés, peccatum tuum hóc esse elatúm foras:
Neque jám celare id pósse te uxorém tuam:
Nunc, quód ipsa ex aliis aúditura sít, Chreme,
Id nósmet indicáre placabílius est.
Tum hunc ínpuratum póterimus nostró modo
Ulcísci. *P.* atattat, nísi mi prospicio, haéreo.
Hi gládiatorio ánimo ad me adfectánt viam.
C. At véreor, ut placári possit. *D.* bóno animo es.
Ego rédigam vos in grátiam; hoc fretús, Chreme,
Cum e médio excessit, únde haec susceptá 'st, tibi.
P. Itane ágitis mecum? sátis astute. adgrédimini.
Non hércle ex re istius me ínstigasti, Démipho.
Ain' tu? úbi, quae lubitum fúerit, peregre féceris,
Neque huíus sís veritus faéminae primáriae,
Quin nóvo modo eji fáceres contuméliam;
Veniás mihi precibus laútum peccatúm tuum?
Hisce égo illam dictis íta tibi incensám dabo,
Ut né restinguas, lácrumis si extilláveris.
D. Malúm, quod isti dí deaeque omnés duint.
Tantáne adfectum quémquam esse hominem audácia?
Non hóc publicitus scélus hinc deportárier
In sólas terras? *C.* ín id redactus súm loci,
Ut, quíd agam, ex illo prórsus nesciam. *D.* égo scio:
In jús eamus. *P.* ín jus? huc, si quíd lubet.
D. Adséquere ac retine, dúm ego huc servos évoco.
C. Enim sólus nequeo: accúrre huc. *P.* una iujúria 'st
Tecúm. *C.* lege agito ergo. *P.* áltera est tecúm, Chreme.
D. Rape húnc. *P.* itan' agitis? énimvero vocé 'st opus:
Nausístrata, exi. *C.* os ópprime. *D.* inpurúm vide,
Quantúm valet. *P.* Nausístrata, inquam. *C.* nón taces?
P. Taceám? *D.* nisi sequitur, púgnos in ventrem ingere.
P. Vel óculum exculpe: est, úbi vos ulciscár probe.

Actus V Scena VIII. [B. V, 9.]

Nausistrata. Chremes. Phormio. Demipho.

N. Qui nóminat me? *C.* hem. *N.* quíd istuc turbae 'st óbsecro,
Mi vír? *P.* chem, quid nunc óbstipuisti? *N.* qui híc homo 'st?
Non míhi respondes? P. hícine ut tibi respóndeat?
Qui hercle, úbi sit, nescit. *C.* cáve isti quicquam créduas.
P. Abi, tánge: si non tótus friget, me énica.
C. Nihil ést. *N.* quid ergo est, quód istic narrat? *P.* jám scies:
Auscúlta. *C.* pergin' crédere? *N.* quid ego, óbsecro,

Huic crédam, qui nil díxit? *P.* delirát miser
Timóre. *N.* non pol témere 'st, quod tu tám times.
C. Egon' tímeo? *P.* recte sáne: quando níl times,
Et hoc níhil est, ego quod díco, tu narrá. *D.* scelus,
Tibi nárret? *P.* eho tu, fáctum 'st abs te sédulo
Pro frátre. *N.* mi vir, nón mihi dicis? *C.* át *N.* quid at?
C. Non ópus est dicto. *P.* tíbi quidem: at scito huíc opus 'st.
In Lémno — *C.* henr, quid agis? *D.* nón taces? *P.* clam te.
C. eí mihi!
P. Uxórem duxit — *N.* mí homo, di meliús duint.
P. Sic fáctum 'st. *N.* perii mísera. *P.* et inde fíliam
Suscépit jam unam, dúm tu dormis. *C.* quíd agimus?
N. Pro di ínmortales, fácinus indignum ét malum.
D. Hoc áctum 'st. *P.* an quicquam hódie est factum indígnius?
Qui mi, úbi ad uxores véntum 'st, tum fiúnt senes.
N. Démipho, te appéllo? nam me cum ísto distaedét loqui.
Haéc illae erant itiónes crebrae et mánsiones díutinae
Lémni? haecine erat éa, quae nostros mínuit fructus, vílitas?
D. E'go, Nausistrata, ésse in hac re cúlpam meritum nón nego;
Sét ea quin sit ignoscenda. *P.* vérba fiunt mórtuo.
D. Nám neque neclegéntia tua, néque odio id fecít tuo.
Vínolentus fére abhinc annos quíndecim muliérculam
Eám compressit, únde haec nata 'st: néque postilla unquam áttigit.
E'a mortem obiit, é medio abiit: quí fuit in re hac scrúpulus.
Quámobrem te oro, utália tua sunt fácta, aequo animo et hóc feras.
N. Quíd ego aequo animo? cúpio misera in hác re jam defúngier,
Sét qui sperem? aetáte porro mínus peccaturúm putem?
Nón jam tum erat sénex, senectus sí verecundós facit?
A'n mea forma atque aétas magis nunc éxpetenda 'st, Démipho?
Quíd mi hic adfers, quámobrem exspectem aut spérem, porro
nón fore?
P. E'xsequias Chreméti quibus est cómmodum íre, em tém-
pus est.
Síc dabo: age nunc, Phórmionem, quí volet, lacéssito:
Fáxo cum talí mactatum, atque híc est, infortúnio.
Rédeat sane in grátiam: jam súpplici satis ést mihi,
Hábet haec, eji quód, dum vivat, úsque ad aurem oggánniat.
N. A't meo merito crédo: quid ego núnc commemorem, Démipho,
Síngulatim, quális ego in hunc fúerim? *D.* novi aeque ómnia
Técum. *N.* merito hoc meó videtur fáctum? *D.* minume géntium:
Vérum, quando jam áccusando fíeri infectum nón potest,
I'gnosce: orat; cónfitetur; púrgat: quid vis ámplius?
P. E'nimvero, priusquam haéc dat veniam, míhi prospiciam
et Phaédriae.

Heús, Nausistratá, priusquam huic respóndes temere, audí. *N.* quid est?
P. E'go minas trigínta per fallácias ab isto ábstuli.
Eás dedi tuo gnáto. is pro sua amíca lenoní dedit.
C. Hém, quid ais? *N.* adeón' indignum hoc tíbi videtur, fílius,
Hómo adulescens, sí habet unam amícam, tu uxorés duas?
Níl pudere? quo óre illum objurgábis? respondé mihi.
D. Fáciet, ut volés. *N.* immo ut meum jám scias senténtiam:
Néque ego ignosco, néque promitto quícquam, neque respóndeo,
Príusquam gnatum vídero: ejus judício permitto ómnia.
Quód is jubebit, fáciam. *D.* mulier sápiens es, Nausístrata.
N. Sátin' tibi est, Chreme? *C.* ímmo vero púlchre discedo ét probe,
E't praeter spem. *N.* tú tibi nomen díc quod est? *P.* min'? Phórmio:
Vóstrae familiae hércle amicus, ét tuo summus Phaédriae.
N. Phórmio, at ego ecástor posthac tíbi, quod potero et quaé voles,
Fáciamque et dicám. *P.* benigne dícis. N. pol meritúm 'st tuum.
P. Vín' primum hodie fácere, quod ego gaúdeam, Nausístrata,
E't quod tuo viro óculi doleant? *N.* cúpio. *P.* me ad cenám voca.
C. Pól vero voco. *D.* cámus intro hinc. *C.* fíat? set ubi est Phaédria,
Iúdex noster? *P.* jam híc faxo aderit. Vós valete et plaúdite.

DE P. TERENTII AFRI VITA ET COMOEDIIS.

„*Publius Terentius Afer, Carthagine natus, servivit Romae Terentio Lucano Senatori, a quo ob ingenium et formam non institutus modo liberaliter, sed et mature manumissus est. Quidam captum esse existimant, quod fieri nullo modo potuisse Fenestella docet, quum in fine secundi belli Punici et ante initium tertii natus sit et mortuus; nec, si a Numidis aut Gaetulis captus sit, ad ducem Romanum pervenire potuisset, nullo commercio inter Italicos et Afros, nisi post deletam Carthaginem, coepto. Hic cum multis nobilibus familiariter vixit, sed maxime cum Scipione et cum Laelio, quibus etiam corporis gratia conciliatus existimatur, quod et ipsum Fenestella arguit, contendens utroque majorem natu fuisse, quamvis Cornelius Nepos aequales omnes fuisse tradat, et Porcius suspicionem de consuetudine per haec faciat:*

„*Dúm lasciviám nobilium et fúcosas laudés petit,*
Dum Africani vócem divinam inhiat avidis aúribus,
Dum ád Furium se coénitare et Laélium pulchrúm putat,
Dúm se amari ab hísce credit, crébro in Albanúm rapi
Ob florem aetatis suae: ad summam inopiam redáctus est.
Itaque e conspectu ómnium abiit Graéciam in terram últimam.
Mórtuus est in Stýmphalo, Arcadiae óppido. Nil Públius
Scipio profuit, nihil ei Laélius, nil Fúrius,
Trés per idem tempús qui agitabant nóbiles facillime;
Eórum ille opera né domum quidem hábuit conductítiam,
Sáltem ut esset, quó referret óbitum domini sérvulus.“

Scripsit comoedias sex; ex quibus primam ANDRIAM *cum Aedilibus daret, iussus ante Caecilio recitare, ad coenantem cum venisset, dictus est, initium quidem fabulae, quod erat contemtiore vestitu, subsellio iuxta lectulum residens legisse; post paucos vero versus, invitatus, ut accumberet, coenasse una, deinde caetera percurrisse non sine magna Caecilii admi-*

ratione. Et hanc autem et quinque reliquas aequaliter populo probavit. Quamvis Volcatius de enumeratione omnium scribat:

„Sumétur Hecyra sexta ex his fábula.“

Eunuchus quidem bis*) acta est, meruitque pretium, quantum nulla antea cujusquam comoedia, id est, octo millia nummúm; propterea summa quoque titulo adscribitur: nam Adelphorum principium Varro etiam praefert principio Menandri.

Non obscura fama est, adjutum Terentium in scriptis a Laelio et Scipione, quibuscum familiariter vixit. Eamdem ipse auxit; numquam enim, nisi leviter, se tutari conatur, ut in Prologo Adelphorum:

„Nam quód isti dicunt málevoli, homines nóbiles
Eum ádjutare, adsídueque una scribere:
Quod illi maledictum véhemens esse existumant,
Eam laúdem hic ducit máxumam, cum illis placet,
Qui vóbis univérsis et populó placent,
Quorum ópera in bello, in ótio, in negótio,
Suo quísque tempore úsus 'st sine supérbia.“

Videtur autem se levius defendisse, quia sciebat, Laelio et Scipioni non ingratam esse hanc opinionem; quae tamen magis et usque ad posteriora tempora valuit. Q. Memmius in oratione pro se ait: „P. Africanus, qui, a Terentio personam mutuatus, quae domi luserat ipse, nomine illius in scenam detulit.“ Nepos auctore certo comperisse se ait, C. Laelium quondam in Puteolano Kalend. Martiis admonitum ab uxore, temporius ut discumberet, petiisse ab ea, ne interpellaretur: serius tandem ingressum triclinium dixisse; non saepe in scribendo magis successisse sibi, deinde rogatum, ut scripta illa proferret, pronunciasse versus, qui sunt in Heauton timorumeno:

„Satis pól proterve mé Syri promissa huc induxérunt.“

Santra Terentium existimat, si modo in scribendo adjutoribus indiguerit, non tam Scipione et Laelio uti potuisse, qui tunc adolescentuli fuere, quam C. Sulpicio Gallo, homine docto, et qui Consularibus Ludis initium fecerit fabularum dandarum: vel Q. Fabio Labeone et M. Popillio, Consulari utroque ac poëta: ideo ipsum non juvenes designasse, qui se adjuvisse dicerentur, sed viros, quorum operam et in bello et in otio et in negotio populus sit expertus. Post editas comoedias nondum quintum atque trigesimum egressus annum, causa evitandae opinionis, quia videbatur aliena pro suis edere, seu percipiendi Graecorum instituta moresque, quos perinde exprimeret in scriptis, egressus urbe est, neque amplius rediit. De morte ejus Volcatius tradit:

*) al. adjiciunt: die.

„Sed út Afer sex populo édidit comoédias,
Iter hínc in Asiam fécit: navim cúm semel
Conscéndit, visus númquam est. Sic vitá vacat.“

Q. Consetius*) redeuntem e Graecia periisse in mari dicit cum centum et octo fabulis conversis e Menandro. Caeteri mortuum esse in Arcadiae Stymphalo, sive Leucadia tradunt: Cn. Cornelio Dolabella, M. Fulvio Nobiliore Coss. morbo implicitum acri, dolore ac taedio amissarum fabularum, quas in navi praemiserat, ac simul fabularum, quas novas fecerat. Fuisse dicitur mediocri statura, gracili corpore, colore fusco. Reliquit filiam, quae post equiti Romano nupsit. Item hortulos viginti jugerum, via Appia ad Martis villam. Quo magis miror, Porcium scribere:

„nil Públius
Scípio profuit, nihil ei Laélius, nil Fúrius,
Trés per idem tempús qui agitabant nóbiles facíllime.
Eórum illĕ opera né domum quidem hábuit conductítiam,
Sáltem ut esset, quó referret óbitum domini sérvulus.“

Hunc Afranius quidem omnibus Comicis praefert, scribens in Compitalibus:

„Teréntio non símilem dices quémpiam.“

Volcatius autem non solum Naevio et Plauto et Caecilio, sed Licinio quoque postponit. Cicero in Limone hactenus laudat:

„Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,
Conversum expressumque Latina voce Menandrum
In medio populi sedatis vocibus effers,
Quicquid come loquens ac omnia dulcia dicens.“

Item C. Caesar:

„Tu quoque, tu in summis, o dimidiate Menander,
Poneris, et merito, puri sermonis amator.
Lenibus atque utinam scriptis adjuncta foret vis,
Comica ut aequato virtus polleret honore
Cum Graecis, neque in hac despectus parte jaceres!
Unum hoc maceror et doleo tibi deesse, Terenti.“

Haec Suetonius Tranquillus. Nam duos Terentios poëtas fuisse scribit Metius: quorum alter Fregellanus fuerit, Terentius Libo, alter libertinus, Terentius, Afer patria, de quo nunc loquimur. Scipionis fabulas edidisse Terentium, Valgius in Actaeone ait:

„Hae quae vocantur fábulae, cujúsne sunt?
Non hás, qui jura pópulis recensens dabat
Honóre summo affectus, fecit fábulas?“

Duae ab Apollodoro translatae esse dicuntur Comico, Phormio

*) Al. Cosconius.

et Hecyra; quatuor reliquae a Menandro, ex quibus magno successu et pretio stetit Eunuchus. Hecyra, saepe exclusa, vix acta est."

Pauca sunt, quae de vita Terentii tradita habemus, eaque ipsa magnam partem dubitatione infirmantur. Primum enim de scripti auctore non satis constat, qui fuerit, qui vitam narraverit, idque alii Suetonii, alii Donati opera factum esse censent. Suetonio Tranquillo Tanaquillus Faber*), Daceria, Cocquelines, Schmiederus, Osannus: Aelio Donato Erasmus, Muretus, Lindenbrogius, Zeunius, Bothius narrationem tribuerunt: sunt etiam, qui censeant, quod in reliquis Donati commentariis, idem in hac descriptione vitae Terentii factum esse, ut, a Donato primum conscripta, post additis aliorum opinionibus aucta sit, iique recte sensisse videntur: Gerh. Io. Vossius (de historicis Latinis I, 31) usque ad illa verba:

„*Haec Suetonius Tranquillus*"

Suetonii, non Donati esse censet: alii, quid statuant, aperte non professi sunt. Insunt praeterea in rebus narratis, quae parum verisimilia esse videantur, quod genus, quae de centenario numero e Menandro conversarum et in navigatione perditarum fabularum feruntur. Quae de consuetudine Terentii cum Scipione et Laelio narrantur, ea ad C. Laelium, Sapientis patrem, et ad P. Cornelium Scipionem Africanum, qui Hannibalem ad Zamam U. C. 550 vicit, quo bello captus Terentius Romam adductus fuerit (Orosius l. IV c. 19), referri solebant; verum, qui Scipionem triumphantem pileo capiti imposito sequebatur, Q. Terentius Culleo erat, civis Romanus (Liv. XXX, 45), qui praetor factus U. C. 565 ad quaestionem in L. Scipionem exercendam delectus est (Liv. XXXVIII, 55), neque ab iis in comoediis scribendis adjuvari poterat Terentius poëta, inter quos Scipio Africanus Major erat, qui U. C. 565 sive vicesimo primo anno ante Andriam editam Literni obiit. Quare Tanaquillus Faber prudenter instituit, quum ad Laelium Sapientem et ad P. Cornelium Scipionem Africanum, Minorem Aemilianum, qui U. C. 607 Carthaginem evertit, Terentii amicitiam pertinuisse putaret, quod idem temporum ratione verum esse evicit.

Verumenimvero quid nostra interest, de vita civili quot quantaque sciamus, quum non de vita civili, ut de cive, sed de poëmatis, ut de poëta, quaestio habenda sit, quaeque de literarum illius aetatis ratione comperimus, ea fere sufficiunt ad aestimationem Comoediarum Terentii instituendam.

Fenestella, qui „*novissimo Tiberii Caesaris principatu obiit*" (Plin. H. N. XXXIII, 52), et ab A. Gellio (XV, 28) et

*) In Terentio a Cocquelines edito repetita sunt ejus verba.

Plinio (H. N. VIII, 7. VIII, 74 (48). IX, 30. XV, 1) saepe laudatus, semel tantum (Plin. H. N. IX, 59 (35) bisve erroris arguitur, Terentium poëtam in fine secundi belli Punici et ante initium tertii natum et mortuum esse docebat, fide Didascaliis ei confirmantibus, quae ab anno U. C. 586 a. Chr. 168 ad annum U. C. 592 a. Chr. 162 Terentii fabulas actas esse declarant. Quodsi Cn. Cornelio Dolabella, M. Fulvio Nobiliore Coss. obiit, U. C. 593 mortuus est. Hieronymus eum in Chronico Eusebiano Olymp. CLV, anno III, id est U. C. 601 obiisse dicit.

Ea vero aetas Romanae reipublicae simillima fuit ejus aetatis, quae post bella Persica inter Graecos orta est.

Bella ubi inter aliquem populum sedata sunt, remittuntur nervi, qui ad contentionem virium rerumpublicarum intenti erant; quodsi certamina laeto eventu terminata sunt, animi cura laxati a bellicosa industria ad otium convertuntur, et literarum et artium studiis ferocia populi frangitur. Quare repente Athenis post pugnam Salaminiam Tragoedia et Comoedia amicis et faventibus et colentibus celebrata, et Aeschyli, Sophoclis, Euripidis et Aristophanis opera ad summum perfectionis fastigium evecta est; philosophi paulo post fuerunt Socrates, Xenophon, Plato; Thucydides scripsit historiam; una eloquentia serius exstitit, quae Philippi et Alexandri aetate demum vires sumebat, quum Demosthenes audacia Macedonum coepta reprimere conaretur, tamquam si huic disciplinae destinatum fuerit, libertati Graeciae ad exsequias adesse, quae laudationem funebrem haberet.

Non multo secus Romae factum est post bellum Punicum secundum.

Romani, gens laboriosissima, nondum quidquam deliciarum luxuriae perceperant, quum belli Punici secundi discrimina eos horterentur, ut nulli alii rei aeque studerent atque periculo a se amoliendo. Igitur intermiserunt, si quem Graecae elegantiae et cultioris vitae gustum ceperant, donec proelio ad Nolam facto quarto anno belli Punici secundi primum aliquantum a cladibus per Hannibalem acceptis respiraverunt. Quum propter detrimenta, quae bello experti fuerant, Romani consuessent, „*satisfecisse sibi videri, ubi Hannibalem fugitando effugerint*," M. Claudius Marcellus, praetor factus U. C. 536, „*erubescere eos docuit cum clade servatos, pudere paulo inferiores relictos, dolere non victores.*" (Plutarch. comp. Pelopidae c. Marcello 1.) Quam rerum Romanarum mutationem postquam perpetraverat, exinde factum est, ut in eum potissimum civium oculi intenti essent, ut ejus mores et exemplum imitarentur. Erat autem Marcellus „*Graecarum literarum et elegantiae ita*

amans, ut, si qui in iis satis profecissent, eos et diligeret et admiraretur, ipse quidem, carens otio, non tantum in iis provectus, quantum eas discere et tractare cupiebat." (Plut. Marc. 1.) Tertium consul U. C. 538 M. Marcellus in Siciliam cum exercitu transiit et biennio post Syracusas vi cepit, quae defecerant. Ibi primus Romanos suos ad mitiores usus belli erudivit (Plut. Marc. XX), sed idem primus „*ornamenta urbis, signa tabulasque, quibus abundabant Syracusae, Romam devexit; hostium quidem illa spolia*, Livius ait (XXV, 40), *et parta belli jure, caeterum inde primum initium mirandi Graecarum artium opera.*" Ab hoc tempore saepius a rerum scriptoribus artificiorum mentio fit, quae ab expugnatis urbibus Romam asportata fuerint. Ita de Eretria insulae Euboeae U. C. 554 a L. Quinctio capta Livius (XXXII, 16) refert: „*Pecuniae aurique et argenti haud sane multum fuit: signa, tabulae priscae artis ornamentaque ejus generis plura, quam pro urbis magnitudine aut opibus caeteris, inventa.*" Idem de T. Quinctio Flaminino, qui Philippo, Macedonum rege, et Nabide, Lacedaemoniorum tyranno, victis, Romam U. C. 558 triumpho ingressus est, scribit (XXXIV, 52): *Triduum triumphavit. Die primo arma, tela signaque aerea et marmorea transtulit, plura Philippo ademta, quam quae ex civitatibus ceperat: — — — vasa multa omnis generis, caelata pleraque, quaedam eximiae artis: et ex aere multa fabrefacta; ad hoc clypea argentea decem.*" Post bellum Macedonicum profligatum, quum Aetoli ab amicitia populi Romani defecissent, societate cum Antiocho, rege Syriae, conjuncti, M. Fulvius consul in Epiro Ambracienses obsessos U. C. 563 in deditionem accepit. „*Signa aenea marmoreaque et tabulae pictae, quibus ornatior Ambracia (quia regia ibi Pyrrhi fuerat), quam caeterae regionis ejus urbes erant, sublata omnia avectaque.*" (Liv. XXXVIII, 9.) Biennio post U. C. 565 M. Fulvius ante diem decimum Kalend. Ianuar. de Aetolis et de Cephallenia triumphavit. Ante currum signa aenea ducenta octoginta quinque; signa marmorea ducenta triginta (Liv. XXXIX, 5) lata sunt.

Graecae literae etiam ante bellum Punicum secundum parva quaedam initia Romae ceperant (Sueton. de illustr. Gramm. I), nunc cum amore Graecorum artificiorum studium earum conjunctum, post Philippum Macedonem et reliquam Graeciam devictam latius manasse, indicio sunt studia, quae U. C. 597, paulo post obitum Terentii poëtae, exarserunt, quum Carneades Academicus et Diogenes Stoicus et Critolaus Peripateticus, delecti studiorum et philosophiae fama, ab Atheniensibus legati venirent. Ii tanto studio Romanos incenderunt, ut frequentes juvenes eos adirent, eosque publice audientes et admirantes

prosequerentur. (Freinshem. Supplem. Liv. XII, 24.) Erant quidem cives Romani, qui hanc morum mutationem odissent, *veriti, ne, si quando juvenum industria ad has artes converteretur, facundiae famam gloriae praeferrent, quae praeclare factis et bellica virtute paritur* (Plut. Cato M. XXII. cf. Plin. H. N. VII, 31), sed ii, communi aetatis suae judicio victi, incassum nisi sunt. U. C. 565 luxuriae peregrinae origo ab exercitu Asiatico Romam invecta fuerat. „*Ii primum lectos aeratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas et alia textilia, et, quae tum magnificae supellectilis habebantur, monopodia et abacos Romam advexerant. Tunc psaltriae sambucistriaeque et convivalia ludionum oblectamenta addita epulis: epulae quoque ipsae et cura et sumtu majore apparari coeptae*“ (Liv. XXXIX, 6), et post Hispaniam, Africam, Graeciam et partem Asiae a Romanis devictam, eae divitiae Romam confluxerant, ut Romani U. C. 592 tributum pendere desierint (Freinsh. Supplem. Liv. XI, 40), et elegantiora quoque desideria explere potuerint. Otio abundare coeperant, postquam magis magisque ab urbe bella ad longinquiores terras recesserunt, quo otio ad oblectationes corporis alii, alii ad oblectationes mentis usi sunt. Disciplinae literarum, quae antea Athenis et Graece discebantur, nunc etiam Romae et Latine tradi coeptae sunt. Rhetoricam U. C. 591 Romae exerceri coeptam fuisse, ex senatus consulto hoc anno facto et edicto censorio apparet, quibus hanc artem factitare Romani vetiti sunt (Sueton. de clar. rhetor. I); studium artis Grammaticae primus Crates Mallotes in urbem sub ipsam Ennii mortem intulisse dicitur. (Sueton. de illustr. Grammat. II.) Nec singuli tantum et potentiores cives haec studia amabant, sed major pars populi Graeca artificia et Graecas literas in deliciis habebat (Plut. Marcel. 21). Quare magistratus plerique desiderio civium blanditi sunt, et quotannis fere urbs aedibus dedicatis, statuis signisque positis ornata est. Dies festi numero aucti sunt, et U. C. 558 ludi scenici ludis circensibus auctoritate publica aedilium curulium additi.

Ludi scenici U. C. 391 primam Romae originem ceperant (Liv. VII, 2). „*Eo et insequenti anno pestilentia fuit, et quum vis morbi nec humanis consiliis nec ope divina levaretur, victis superstitione animis ludi quoque scenici, nova res bellicoso populo (nam circi modo spectaculum fuerat), inter alia coelestis irae placamina instituti dicuntur. Caeterum parva quoque (ut ferme principia omnia) et ea ipsa peregrina res fuit. Sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu ludiones ex Etruria acciti, ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Tusco dabant. Imitari deinde eos juventus, simul inconditis inter se jocularia fundentes versibus, coepere; nec ab-*

soni a voce motus erant. Accepta itaque res saepiusque usurpando excitata. Vernaculis artificibus, quia hister Tusco verbo ludio vocabatur, nomen histrionibus inditum: qui non, sicut ante, Fescennino versu similem incompositum temere ac rudem alternis jaciebant; sed impletas modis saturas, descripto jam ad tibicinem cantu, motuque congruenti peragebant. Livius post aliquot annos, qui ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere, (idem scilicet, id quod omnes tum erant, suorum carminum actor) dicitur, quum saepius revocatus vocem obtudisset, venia petita puerum ad canendum ante tibicinem quum statuisset, canticum egisse aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis usus impediebat; inde ad manum cantari histrionibus coeptum, diverbiaque tantum ipsorum voci relicta.“ Hac Livii historici narratione discimus, Livium Andronicum poëtam fuisse, qui primus artem scenicam via et ratione gradi docuerit, et, quum prius eadem actio histrionum inter poëmatia varii argumenti (*saturae*) vagari soleret, primus ita instituerit, ut per eamdem actionem unum et idem fabulae propositum teneretur. Idem sermones quidem, qui inter plures in scena simul inibantur (*diverbia*), unis histrionibus habendos reliquit, sed in soliloquiis, quae, quoniam dolore commotos animos fere exprimerent, *cantu* pronunciabantur (*cantica*), histrionis munera ita divisit, ut actio ab histrione, cantus vero a puero prope collocato peragretur. Idque anno fere U. C. 514 ita institutum est, quum C. Clodio Caeci F. M. Tuditano Coss. Livius Andronicus primus fabulam docuerit (Cic. Brut. 18). Post Livium Andronicum C. Naevius poëta fabulas ad spectandum proposuit, sed (ob bellum Punicum secundum credibile est) rei scenicae mutatio memorabilis non prius fiebat, quam U. C. 558 „*Megalesia, ludos scenicos, C. Atilius Serranus, L. Scribonius Libo aediles curules primi fecerunt.*“ (Liv. XXXIV, 54.)

U. C. 547 (quartusdecimus is annus belli Punici secundi fuit) in libris Sibyllinis carmen inventum fuerat: „*Quandoque hostis alienigena terrae Italiae bellum intulisset, eum pelli Italia vincique posse, si mater Idaea a Pessinunte Romam advecta foret.*“ (Liv. XXIX, 10.) Cui carmini ut satisfieret, legati a Romanis Pergamum ad regem Attalum missi sunt, iique Pessinuntem in Phrygiam a rege deducti, sacrum lapidem, quam matrem Deûm esse incolae dicebant, Romam proximo anno subsequente P. Sempronio M. Cornelio Coss. deportaverunt. „*In aedem Victoriae, quae erat in Palatio, Dea pridie Idus Apriles perlata est, isque dies festus fuit. Populus frequens dona Deae in Palatium tulit, lectisterniumque et ludi fuere, Megalesia appellata.*“ (Liv. XXIX, 14.) Decimo anno post C. Atilius Ser-

ranus, L. Scribonius Libo aediles curules ludis Megalesiis seu Megalensibus ludos scenicos addiderunt, sine quibus antea acti fuerant. Ita Dukerus locum Livii supra adscriptum (Liv. XXXIV, 54) interpretatus est. Poterat fortasse Livianae narrationis etiam haec voluntas esse, ut ea indicaretur, ludos scenicos etiam ante Atilium Serranum et Scribonium Libonem aediles curules in Megalesiis factos esse, sed privato sumtu gregis alicujus histrionum, non legitimo et anniversario sumtu aedilium curulium, qui adhuc ludos circenses tantum curaverant, hujusque opinionis similem aliquam Lessingius quoque suscepisse videtur, qui in scripto suo de M. Accii Plauti vita et poëmatis (T. X p. 153 novissimae editionis) Plautum suspicatur priores suas fabulas privato et suo sumtu edidisse. Utrumcumque fuerit, et ludi scenici sive hoc anno, sive triennio post in dedicatione aedis Matris Magnae Idaeae, cujus rei Valerius Antias (Liv. XXXVI, 36) auctor est, auctoritate publica edi coepti fuerint, hoc quidem constat, quum primum poëtae et histrioni publica praemia proposita fuerint, rem scenicam mirum quantum artificio et studio auctam esse. Eodem anno U. C. 558 censores ludis Romanis aedilibus curulibus imperarunt, ut loca senatoria secernerent a populo, quum antea in promiscuo spectarent (Liv. XXXIV, 44), et imperio aediles obsequuti sunt (Liv. XXXIV, 54), quam legem ad ludos scenicos potissimum, non ad circenses spectasse, Lipsius docet ad Taciti Annalium XV, 32. Saepe per plures dies ludi scenici, quam circenses, fiebant. Ita U. C. 573 „*ludi scenici triduum post dedicationem templi Iunonis, biduum post Dianae, et singulos dies in circo*“ (Liv. XL, 52), et U. C. 579 „*scenici ludi per quatriduum, unum diem in circo*“ editi sunt (Liv. XLII, 10). M. Aemilius Lepidus U. C. 573 theatrum et proscenium ad Apollinis (Liv. XL, 51), Q. Fulvius Flaccus et A. Postumius Albinus censores U. C. 578 inter alia opera publica scenam aedilibus praetoribusque praebendam locaverunt (Liv. XLI, 27). Studia histrionalia, quae sub Imperatoribus legibus et edictis (Tacit. Ann. I, 16. I, 77. XI, 13) coërcenda erant, etiam Plauti aetate gravia exarserant. Prologus Amphitruonis v. 64 sqq. id indicat:

Nunc hóc me orare a vóbis jussit Iúppiter,
Ut conquísitores sínguli in subséllia
Eánt per totam cáveam spectatóribus:
Si cuí fautores délegatos víderint,
Ut hís in cavea pígnus capiantúr togae.
Sive quí ambissent pálmam histriónibus,
Seu cuíquam artifici, seú per scriptas lítteras,
Sive quí ípsi ambissent, seú per internúntium,
Sive ádeo aediles pérfidiose quoí duint,

Sirémpse legem jússit esse Iúppiter.
— — — — — —
— — — — — —
Hoc quóque etiam mihí in mandatís dedit,
Ut conquísitores fierent histriónibus,
Qui síbi mandassent, délegati ut plaúderent,
Quive, quó placeret álter fecissént minus,
Eis órnamenta et córium uti concíderent.

Igitur, quod in reliquis literis factum est, ut ad imitationem Graecorum Romani confugerent, idem in re scenica fiebat, et Plautus, Caecilius, Terentius auctores Graecos novae Comoediae in patrium sermonem convertere solebant.

Quare ut accurate judicare possemus, de Comicis Latinis quid statuendum sit, Graeca *πρωτότυπα* nobis opus essent, ut ex iis intelligeremus, Latini quid de suo addiderint, quidve ex alieno sumserint. Sed Graece scripta novae Comoediae Fortuna nobis invidit*), ut vel veterum judicio nos confidere, vel in Latine scriptis aestimandis acquiescere oporteat, nulla fere Graecorum exemplarium ratione habita.

Exstant quidem de Comicis Latinis veterum Latinorum tria judicia imprimis famosa, Horatii, Quintiliani et A. Gellii. Horatius in prima epistola libri secundi, quum iniquam et ineptam opinionem Romanorum perstringit, qui prae antiquis poëtis recentiores mirum quantum contemnant, nil nisi annorum auctoritatem in iis admirati, nullius fere, nisi poëtae scenici, Ennii, Naevii, Pacuvii, Plauti, Caecilii, Terentii mentionem injicit. Se quidem non insectari,

delendave carmina Livi
esse, reri,
sed emendata videri
Pulchraque et exactis minimum distantia,

mirari. Ad quam sententiam infirmandam, quum iniqua esse videatur, praecipue hoc recordari debebimus, Horatium in ea pronuntianda non judicis, sed advocati munere functum esse, qui recentium poëtarum causam contra veteres agat, in qua actione primum hoc eum causidicorum artificio usum esse videmus, ut, quum contra omnes fere poëtas veteres se pugnaturum esse promisisset, impetum suum in unum tantum eumque maxime imbecillum direxerit, de quo victoria facillime reportari potuerit. Nam etiamsi ab omnibus hoc confitendum fuerit, Livii poëmata *parum emendata pulchraque* videri, tamen non illico sequebatur, Terentii quoque poëmata eodem loco

*) Menandri et Philemonis reliquiae. Edidit Augustus Meineke. Berolini MDCCCXXIII.

habenda esse, „quum etiam inter Terentium et Plautum, qui triginta annis non amplius inter se aetate distabant, judicio, elegantia et emendata lingua non parvum aliquid interesse sentiatur.“ (Wieland ad Horat. Epist, II, 1 n. 12). Mox proxime sequentibus versibus Horatius accusationem suam ad duo argumenta restrinxit, raro in veteribus poëtis *verbum decorum et versum paulo concinniorem* emicare, quorum prius argumentum vix ad Terentium pertinere poterit, ejus quum elegantia et *ars* (Horat. ib.) ab omnibus fere laudata fuerit, quodsi quid reliquum sit, quod revera in hanc reprehensionem incurrere possit, temporum id magis, in quibus, et hominum, de quibus Terentius scripsit, quam poëtae vitio factum est, ipseque Horatius aetatem magis poëtarum, quam ipsos poëtas accusare voluisse videtur, quemadmodum a vituperatoribus novae poëseos propter aetatem suam laudati fuerant.

Aequius ipse judicium Quintilianus (Institut. orator. X, 1 p. 227 ed. Bipont.) de Terentio tulit. „Maxime in Comoedia Romanos claudicare, licet Plautum, licet Caecilium veteres laudibus ferant; *licet Terentii scripta ad Scipionem Africanum referantur, quae tamen sint in hoc genere elegantissima, et plus adhuc habitura gratiae, si intra versus trimetros stetissent.*“ Sed in judicio lato tam parum se intelligentem judicem praebuit, ut suspicari possimus, verius eum de oratoribus, quam de poëtis, praesertim scenicis, statuere potuisse, quum varietas versuum tantum absit, ut in vitio ponatur, ut eam infra, Bentleji exemplum sequuti, inter laudes Terentii commemoraturi simus.

Auli Gellii judicium, quod in ejus noctibus Atticis II, 22 scriptum habemus, ad Caecilium poëtam potissimum pertinet, qui, etsi ab aliis (Vellej. Paterc. I, 17) cum Terentio comparatur, a pluribus tamen ei postponitur. (Cic. ad Attic. VII, 3.) Quodsi inde etiam ad Terentium aliquid vituperationis permanet, compensatur id aliorum scriptorum veterum testimonio, a quibus Terentius laudibus effertur, exempli causa Varronis (fragment. ed. Bip. p. 345), Donati (ad Prolog. II Hecyrae), qui, quod Terentio semel, saepius Caecilio accidisse dicit, ut ejus fabulae non spectarentur.

Restat igitur, ut, quid de Terentio statuendum sit, ipsi videamus.

Terentius Graecos imitatus est.

Inter causas, quibus factum sit, ut spectacula comoediae minus aliquando, quam debebat, expetita et levioribus spectaculis (funambuli, gladiatorum prol. Hec.) posthabiti fuerint, Schlegelius (histor. rei literariae in ejus Opp. T. I p. 105) imprimis hanc habet, quod peregrini mores Atheniensium, qui in comoediis

adumbrari solebant, ad spectatores Romanos non potuerint non frigere et parum efficaces esse. Sed eam „calamitatem," quod non spectabantur, raro tantum comoedias „oppressisse," studia declarant, quae maxima a Romanis suscepta esse, supra ostendimus, et Wielandius, rei scenicae maxime intelligens (ad Horat. Epist II, 1 n. 25), vix aliunde, nisi a Graecis argumenta comoediarum peti potuisse docuit, ita gravia itaque seria Romanos et sensisse et egisse. Mores enim, priusquam Carthago deleta sit, majores Romanorum animos prodidisse, quam qui rideri potuerint, Carthagine deleta non ridiculos, sed detestabiles factos esse. Quare argumenta sua si Comicis Latinis vix de hominibus togatis petere licuit, unum iis restitit, ut vel ipsi peregrina argumenta invenirent, vel inventa et peregrino sermone proposita in vernaculum sermonem converterent. Ad famam poëtarum illud, ad utilitatem spectatorum hoc magis appositum fuit. Numquam enim poëta Romanus Graecos mores tam callide exprimere poterat, quam ipse Graecus, et quum semel de Graecarum literarum praestantia opinio commota esset, populum Romanum credibile est a Graecis maluisse, quam a poëtis Romanis inventa spectare, idque et tutius ad eventum et utilius ad suum commodum existimasse *). Quod majus est, aegre ferebant, si Graeca exemplaria non diligenter a suis exprimerentur, et ex duabus Graecis una fabula Latina fieret. Nam „*contaminari non decere fabulas.*" (Andr. prol.).

Terentius igitur in Menandro et Graecis imitandis si ipse sibi constitit, non iniquo modo e Menandro pendens, et exemplaris sui, nisi omnes, plerasque certe virtutes adaequavit, meritam laudem inveniet.

Ipse sibi constitit non iniquo modo e Menandro pendens, nam ea licentia usus est, ut saepe in eadem fabula duo Menandri argumenta conjungeret, quod in Andria factum est, uti prologus testatur, idemque in Heauton timorumeno factum esse, interpretes sunt, qui opinantur. Sed ea licentia Terentii, quam modo ei laudi duximus, jam a Lucio Lanuvino, constante obtrectatore Terentii, vitio versa, eademque a viris quoque nostrae aetatis vituperata est. Lucius Lanuvinus ita egit, quod aegre ferebat, si *fabulae contaminarentur*, nec diligenter e Graecis exprimerentur; Diderot (de la poésie dramatique, oeuvres T. III Amsterdam 1772, p. 240) non placet, ut duo negotia („intrigues") eadem fabula conjungantur. Lucii Lanuvini opinionem vix opus est refellere, Trancogallorum praeceptum, quod ex Aristotele sibi

*) Donatus praefat. in Adelphos: „non statim intelligeretur, Menandri esse, quod Terentius imprimis lectorem scire cupit, minus existumaus laudis proprias scribere, quam Graecas transferre."

sumsisse videbantur, ut in eadem fabula „*una res agatur*“ a Lessingio (de M. Accio Plauto T. X p. 277 sqq.) et ab A. G. Schlegelio (de rebus literisque scenicis T. II p. 84 sqq.) confutatum est. Aristoteles de arte poëtica c. VII (Hermanno interprete) praecipit: „*Positum nobis est, tragoediam perfectae et integrae actionis imitationem esse, habentis aliquam magnitudinem. Potest enim integrum aliquid esse neque habere magnitudinem. Integrum autem est, quod habet initium et medium et finem. Initium est, quod ipsum quidem necessario non est post aliud quid, sed post quod aliud esse vel fieri solet. Finis contrarium est, quod ipsum post aliud esse solet, sive necessitate, sive ut plurimum, post id autem aliud nihil. Medium est, quod et ipsum post aliud, et post quod aliud est. Oportet ergo fabulas bene compositas neque undecumque incipere, neque ubicumque finiri, sed formis utendum, quas diximus.*“ Hunc locum Aristotelis Gallici scriptores artium ita intellexerunt, ut praeciperent, fabulam intra unum locum, unum diem, unum argumentum continendam esse, quae plausoris egeat

„aulaea manentis et usque
Sessuri, donec cantor: Vos plaudite, dicat.“ *)

Diderot (l. l.): „Duo negotia in eadem fabula si quis simul continuanda suscipit, necessitatem sibi imponit utriusque eodem momento temporis expediendi. Quodsi principale negotium prius ad exitum venit, alterum importunum est. Contra si adventicia fraus prius finitur, incommode fit, ut hae et illae personae aut repente evanescant, aut inutiliter compareant; totum opus ut aut mutiletur aut frigeat.“ Sed haec accusatio quum ad Andriam et Heauton timorumenon solum spectet, de ea infra videbimus, hoc loco declarasse sufficiet, rectius nostros homines, Lessingium et Schlegelium Aristotelis praeceptum percepisse, quum non de una et eadem re in fabula agenda, sed de similitudine sensuum („l'unité de l'intérêt“ de la Motte) id interpretati sint, qui aliqua fabula excitentur. Sensusque, qui fabulis Terentii excitantur, sui similes esse et inter se congruere, descriptio fabularum docebit, quam illico exhibebimus.

Ex omnibus Terentii fabulis Eunuchus Romanis hominibus maxime placuisse videtur. Id intelligitur ex Aelii Donati partim praefatione, partim accuratis laudibus, quas singulis locis hujus fabulae tribuit. Revera quidem ea fabula Menandream ita imi-

*) *Boileau de arte poëtica l. III haud procul a principio:*
„Mais nous, que la raison à ses regles engage,
Nous voulons, qu' avec art l'action se ménage;
Qu'en un lieu, qu'en un jour un seul fait accompli
Tienne jusqu' à la fin le théâtre rempli.“

tata esse dicitur, ut ipsum principium „*Quid igitur faciam*“ ad verbum e Graeco expressum sit: „εἶτα τί ποιήσω,“ sed tamen ipse Terentius in prologo confitetur, ex Assentatore Menandri duas personas parasiti et militis gloriosi in Eunuchum suam se transtulisse. Quare praeter alia verisimillimum est, sive ipsius Terentii testimonio apparet, actus secundi scenam alteram, in qua scena Gnatho disciplinae suae laudes dicit, in ipsa Menandri Eunucho non scriptam fuisse, sed a Terentio adjectam esse. Ea scena vituperatur quidem a Gallico judice (p. 324 sq.), quippe quae langueat in hoc rerum ordine eumque disturbet, sed ejus scenae eadem ratio est, quae est in Captivis Plauti actus quarti scenae secundae, quam Lessingius (de M. Accio Plauto T. X p. 283) acute defendit. Similiter Thrasonis amorem ipse Terentius commentus est, vel id commentum ex alia fabula Menandri in hanc suam transtulit, sed id negotium cum reliquis negotiis eodem momento temporis et tam apte finitur, ut nemo inde artificii alicujus suspicione offendi potuerit. Neque unum quidem praeceptum erat, quod spectatoribus spectata fabula inculcaret, sed plura monebantur, quae cavenda essent de amore, de assentatoribus, de fatuitate gloriosorum hominum.

Unum imprimis in Heauton timorumeno docemur, „flagitium esse

aliis consilium dare,

Foris sapere, sibi non posse se auxiliarier.“

Id praeceptum sunt, qui in simplici Menandri fabula, sunt qui in duplicata a Terentio propositum esse censeant, idque scriptor artis Gallicus a Terentio factum esse vituperat. Utrum sit, sive Terentius ita hanc fabulam iteraverit, uti eam a Menandro traditam acceperat, sive argumento ejus aliquid addiderit, tam apte singulae partes secum conjunctae sunt, ut Lessingius *) dubitaverit, an fieri omnino potuerit, ut sine Chremete sineque Clitiphone argumentum Menander invenerit; se quidem, utraque persona demta, nec commentum, neque exitum hujus fabulae sibi mente fingere posse.

In Andriam Charini negotium ex Perinthia Menandri Terentius transtulit. Id an sine detrimento fecerit, Diderot (l. l. 239 sq.) quaestionem movet. Verum est, post finitum primum actum ad Charini rem tamquam ad novam nos transire, et principale Pamphili negotium in exitu actus V scenae quartae finitum esse videri, sed ea exspectatio de Charini negotio in spectatorum animis excitata fuerat, ut credibile sit, libenter eos perpaululum temporis morae suae adjecisse, dum de exitu rerum Charini docerentur; et nisi in principio secundi actus novum

*) Hamburgische Dramaturgie T. II p. 277 in annot.

Charini negotium attigissemus, post exitum totius fabulae doleremus, quod una Philumena, Chremetis filia, quae Pamphilo ad matrimonium destinata fuerat, spem suam perdiderit, nullo solatio ei adhibito. Denique vel a spectando vel a legendo numquam discedimus, quin nobis satisfactum sit, et homines, qui spectaculo fuerunt, quisque pro bene factis praemium, pro male factis poenam poëtae artificio acceperint.

In Adelphis quoque par senum, par adolescentium ad spectaculum proponere opus erat, ut doceremur, quod ea fabula docemur, in neutra parte modum migrare licere, neque in severitate, neque in indulgentia patris; patres tamen numquam obesse, sed consulere velle filiis, sive hac, sive illa ratione peccent, ideoque juvenes iis obtemperare debere.

In Phormione quoque duplex amoris negotium spectatur, sed de hac fabula tacemus, quoniam a nemine eam vituperatam esse audivimus.

Unam Hecyram Terentii habemus, quae procul dubio unius et simplicissimi argumenti est, eaque ipsa minime Romanis placuit, sed saepius acta saepe exclusa est, indeque colligimus, etiamsi verum sit, quod viri harum rerum periti contendunt, quod duplicato argumento Terentius Menandri fabulas depravaverit, non meliores reddiderit, minime id tamen Terentii culpa factum esse „*cui mens defuerit ad inveniendum uberior*," quod A. G. Schlegelius censuit (l. l. T. I p. 357), sed vitio Romanorum hominum judicii id factum esse. Nam quemadmodum in eloquentia vel populus Romanus vel ipse Cicero *immensum aliquid infinitumque desiderabat*, cui desiderio ne Demosthenes quidem satisfaceret, ita in re scenica quoque credibile est populum Romanum Attica Menandri vel elegantia vel subtilitate parum contentum fuisse, et magis actuosa spectare voluisse. Hoc desiderium ut expleret Terentius, argumenta fabularum suarum duplicavit, quamvis eo artificium totius fabulae quodammodo labefactaretur, ipseque Schlegelius, contra quem modo pugnavimus, de Romanis observavit (T. II p. 16), acrius eos in re scenica unius artificii eximiam virtutem, quam universum concentum totius operis sensisse.

Etiam Plauti aetate Romani in eam consuetudinem venisse videntur, ut prologo fabularum actionem aperirent. Hac consuetudine Plautus plerumque ita usus, ut spectatores de rebus moneret, quae cum agenda fabula ita conjunctae essent, ut ex iis continuationi rerum spectaculo propositarum lux petenda esset. Terentius id aliter instituit, et prologis suis plerumque usus est, ut ab iniquitate adversariorum se defenderet, itaque eum prudentius egisse, intelligentes harum rerum judices (Eichstädt de dramate Graecorum comico-satyrico p. 121 sqq.) existimant. Spectaculi enim

is finis est, ut res non gestas audiamus, sed, dum gerantur, conspiciamus, omni, quantum fieri potest, artis suspicione e spectatoribus expulsa. Sed eum finem parum assequitur, qui ab artificioso et artem non celante principio, quod ab ipsa fabulae actione sejunctum sit, fabulam suam orditur. Magis ad rem Terentius, qui prologorum consuetudinem servavit quidem, sed ad praefationes quasdam eam adhibuit, quibus causam suam coram spectatoribus ageret, continuationem rerum, inter quas singula argumenta acta fuerint, primae scenae ipsius fabulae aperiendam relinquens.

Conspiciebantur itaque, postquam aulaea depressa erant, plerumque par hominum inter se colloquentium, qui colloquio suo argumentum fabulae exponebant; ita factum est in Andria, in Heauton timorumeno, in Hecyra. Aliquoties etiam *in mediam rem, non secus ac notam rapimur*, in Eunucho, in Adelphis, in Phormione, et in his altera scena explicari solent, quae scire opus est. In priori genere fabularum unum et alterum *προτατικὸν πρόσωπον* insuper addi solebat, id est, *persona adventicia, quae semel inducta in principio fabulae propter evolvendam argumenti obscuritatem in nullis deinceps fabulae partibus adhibetur* (Donat. praef. in Andr.), persona Sosiae in Andria, Philotidis et Syrae in Hecyra, Davi in Phormione: quibus personis adventiciis si quando minus satisfecit peritorum judicio, tam callide tamen inter eas res gestae declarantur, ut eo poëta non possit aequum judicem non sibi reconciliasse.

Adolescentes fere sunt meretricum amantes, qui sub patrum acri tutela continentur. Heriles filii ut libidinem suam expleant, cum servis patrum contra patres conjurant. Patres a servorum fraude sibi cavere volunt, lenones, parasiti accedunt, qui rem insuper impediant. Haec fere principia rerum tam bene Terentius in primo colloquio exponit, ut aestimator Gallicus judicaverit: „Cum Terentio praesertim narrante vix alius quis comparari possit. Est flumen limpidum et perspicuum, quod aequabili semper cursu manat, semper eadem celeritate, eodem strepitu, quem ripae et alveus ejus desiderant. Nihil argutiarum, nihil ad speciem propositi, nihil acutarum sententiarum, nihil sensuum, qui in philosophi alicujus libro rectius legerentur. Quodsi commune aliquod praeceptum admiscetur, simplicissima id et maxime consueta ratione fit; nihil praeter tritum aliquod proverbium, nihil aliud, nisi quod ex ipsa rè existit, dici putes.“ (Diderot l. l. p. 324.) Post hanc rerum expositionem per singulas scenas casus hominum ad spectandum propositorum magis magisque impediuntur et difficiliores fiunt, dum spectatores delectamur inventionis poëticae facetiis, contentionibus, quae inter mores hominum et fortunam fiunt, in quam homines incidunt,

aliis alius hominis consiliis, quae inter se pugnant, et iis ornamentis minutioribus, quae praeter *οἰκονομίαν* sive descriptionem ad fabulae alicujus delectationem adveniunt. Ita spectando detinemur, donec omnis res fabulae ad summam perturbationem accesserit. Hic dum stupemus, quid de consiliis, quid de fortunis hominum fiat, repente vel agnitione vel inopinato aliquo casu negotium exitum suum invenit. Quae *περιπέτειαι* vel *ἀναγνωρίσεις*, quas Aristoteles (de arte poët. c. X) dicit, eo verisimiliores erant, quo magis eae cum Graeciae, quae tum temporis erat, statu congruebant. „Graecia multitudo erat minutarum civitatum, quae aliae ab aliis sejunctae et ad oras et in insulis dispersae fuerunt. Semper navigabatur, non raro praedones maritimi erant, qui etiam homines venarentur, quos pretio venales proponerent. Ita ingenui liberi rapi poterant, aut propter jus patribus concessum expositi et praeter spem vivi servati ad parentes redibant. His omnibus fit, ut in comoediis palliatis parentes et liberi, fratres et sorores saepe amissi redeant, quo subsidio comoediae ad exitum veniunt, sicuti eo tragoediae prius ad exitum venerant.“ (Schlegel de literis et arte scenica T. I p. 375.)

Quare in descriptione fabularum Terentius sibi constitit, nihil praeter verisimilia ad quodque argumentum explicandum adhibens, et suo merito laudem ab hac parte invenit.

Terentius exemplaris sui, nisi omnes, plerasque certe virtutes adaequavit.

Testimonia veterum de Menandro, quum ipsi de ejus operibus non judicare possimus, plura sunt, Quintiliani (inst. or. X, 1 p. 221), Plutarchi (de comparatione Aristophanis et Menandri p. 853 ed. Steph. Symp. VIII, 3 p. 712 B) et Anthologiae Palatinae (I p. 413. II p. 63). Sed nemo brevius et ad rem nostram aptius summam horum judiciorum sententiam collegit, quam Fridericus Schlegelius, qui eum *philosophum novae Comoediae* (de Diotima in F. Schleg. Opp. T. IV p. 99), et Propertius, qui *mundum Menandrum* (Eleg. IV, 5, 43) eum dicit. Schlegelius quum philosophum novae Comoediae Menandrum dicat, eo indicasse videtur, Menandrum mores animosque hominum et probe novisse, et scientiae suae in comoediis argumenta edidisse. Schlegelii laudatio ad inventionem, Propertii laudatio ad eloquutionem spectat. „Mundum Menandrum“ eum intelligo, qui facete et eleganter sensa et inventa sua declaraverit. Utraque laus Terentio quoque debetur.

Meretrices, adolescentes, senes patres, matres familias, servi, milites, lenones et parasiti sunt, quorum ad mentem designandam Terentius in comoediis suis contulit.

E meretricibus Glycerium novimus in Andria, Thaidem in Eunucho, in Heauton timorumeno Bacchidem et Antiphilam,

alteram Bacchidem in Hecyra. Ipse Terentius certis verbis ingenia et mores meretricum qui fuerint, nos docuit:

„Quae dúm foris sunt, níl videtur múndius,
Nec mágis compositum quícquam, nec magis élegans:
Quae cum amátore suo cúm cenant, ligúrriunt.
Harúm videre inlúviem, sordes, ínopiam;
Quam inhonéstae solae sínt domi atque avidaé cibi;
Quo pácto ex jure hestérno panem atrúm vorent;
Nosse ómnia haec salúti est adulescéntulis."

Eun. V, 4, 12. Sed id ibi de una Thaidis domo statuitur, imperiosae et inter omnes meretrices, quot in Terentio adumbratas habemus, avidissimae mulieris. Plerumque etiam meretricum ingenia meliora et erant et habebantur. Nam Atheniensibus hoc genus hominum non ita despectui fuit, uti id nunc nobis est. Athenienses mulieres non ita arte erudiri solebant, quemadmodum nostrae nostra aetate erudiri solent. Puellae si in matrimonium petebantur, propter necessitatem saepius, quam animi causa petitae sunt. Matrimonia ita inita delectationis non multum habere poterant, eaque tutius in consuetudine aliquarum amicarum quaerebatur. Hae amicae, quae feminae peregrinae et pauperes et libertinae esse solebant, quamvis nullam morum gravitatem prae se ferrent, nihilo magis tamen feminae nequam erant (A. G. Schlegel l. l. T. I p. 366 et Frider. Schlegel de animis mulierum, quomodo a Graecis poëtis expressi sint, in Opp. T. IV p. 86 sqq. et de Diotima ib. p. 99). Quare Glycerii et Antiphilae (Heaut. II, 2, 33 sqq. II, 3) mores tales exhibentur, qui ne ingenuas quidem puellas dedeceant, sed eaedem virgines erant „bene ac pudice eductae, ignarae artis meretriciae" (Heaut. I, 3, 14), et mox a liberis parentibus agnoscebantur, attamen et ipsa Bacchis „potens, procax, magnifica, sumtuosa, nobilis" eas causas morum suorum Heaut. II, 3 dicit, quae leviter eam excusent. Altera Bacchis, quae in Hecyra est, nisi laudabiles, certe non valde improbandos suos sensus in actu V, sc. 3, v. 35 illius fabulae exponit.

Adolescentes etiam in Terentio, quamquam in eo orbis, quo actiones concluduntur, non ita amplus est, eam morum animorumque varietatem praebent, quae hujus aetatis propria est. Plerumque in custodia durorum et avarorum patrum sunt, qui propter avaritiam in rebus uxoriis, quas filios inire jubent, non tam animi filiorum, quam utilitatis rationem habent. Cum hac patrum mente filii diurno tempore, intra quod vita eorum a Comicis nobis exhibetur, confligere solent, de alio et a patrum rationibus discrepante amore solliciti. Patres ut decipiant, cum servis conjurant filii, sed repente aut agnitione aut inopinato aliquo casu aut res aut animi corriguntur. Pamphili, Chaereae, Cli-

niae amicae in Andria, in Eunucho, in Heauton timorumeno cives Atticae esse reperiuntur, „Thais patri se commendat in clientelam et fidem, Phaedriae Thais tota fit.“ Una Bacchis a Clitiphone spernitur, qui Archonidi filiam in matrimonium ducit, quae parentibus magis placet, Bacchis Hecyrae sua sponte amicum matrimonio tradit.

„Aetas annorum LXV est etiam Comicorum senum,“ Varro testatur fragm. p. 368, „neque ab ea aetate mores abhorrent, quos Comici eorum fingunt. Sunt senes morosi, difficiles, avari, „iniqui in omnes adulescentes judices, qui aequom esse censent, filios jam a pueris ilico nasci senes, neque illarum adfines esse rerum, quas fert adulescentia. Ex sua libidine moderantur, nunc quae est, non quae olim fuit. Ubi adbiberunt plus paulo, sua quae narrant facinora!“ Ita Clitipho in Heauton timorumeno I, 3 Chremetem, patrem senem, adumbrat. Senes erant, qui, in mediocritate aliqua fortunarum constituti, quas parsimoniae debebant, aegre ferebant, nisi filii ejusdem utilitatis rationem habere vellent. Quare jam inde ab Aristophanis aetate (Aristophanis nubes) seniles animi cum juvenilibus discordantes in instrumento rei Comicae erant. Nimiae in adolescentem filium facilitatis unus Micio in Adelphis fingitur.

Matres familias, quarum animos Terentius diligentius expresserit, duas Sostratas habemus, in Heauton timorumeno alteram, alteram in Hecyra; in eadem Hecyra est quoque Myrrhina, postremum Nausistrata est in Phormione. Sostratus ipso nomine (σώζω) indicari creditur sedulas esse mulieres, quae rem familiarem diligenter curent; utraque marito summa obedientia servit, ipsarum levis penes maritum auctoritas est, spernuntur potius et parvi habentur. Contra Nausistrata femina est imperiosi animi, quae facile irascitur, non opum immemor, quas conjugi e domo sua attulerit. Myrrhina mediocritatis alicujus in moribus est, non ita jacens auctoritate, uti illae, tamen neque ita, uti haec, imperio valet. Caeterum Graeci nec pietatem noverunt, qua equites medii aevi venustis feminis corpore et mente sua serviebant, neque amorem cum ardente venerationis sensu conjunctum.

Iudaei nostrae Comoediae servi sunt Graecae Comoediae. Iudaeis quemadmodum nunc a nostris Comicis non raro mores tribuuntur, qui in omnibus reliquis, praeter Iudaeos, abominabiles videantur, ita servorum quoque a Graecis Comicis et qui eos imitantur, saepe is animus fingitur, quem, nisi ipsi, quibus affingitur, omni propemodum et civili et humano jure carnissent, vix ferre possemus. Ita vero quum leges civiles vix iis homines esse permitterent, aequum esse videbatur, nec humanas ab iis virtutes exspectare, et per

Graecos Comicos omni iis calliditate abuti licebat, ut herum fallerent, heriles filios ut corrumperent. Humiliter sentiendi rationem in scena corpore referebant actione aeque humili, nunc in metu ad terram usque corpore depresso, nunc in laetitia immodice erecto, nunc tota longitudine sua porrecto, quum nuntium aliquem, de quo celabantur, intercipere vellent. Ita formam servilem fere expressam videmus in iis editionibus, quae cum personarum figuris aeri incisis ex Ms. codice Bibliothecae Vaticanae Urbini a. MDCCXXXVI et Romae Cocquelinii opera a MDCCLXVII prodierunt. Hodie si quis nostrorum poëtarum similes mores eorum fingere vellet, qui similem nunc nostrae rei familiari operam praebent, is multum erraret de eo, quod interest inter nostrae et Graecae vitae rationem. Ipse Terentius servos quodammodo excusare voluisse videtur in Phorm. I, 2.

Inter reliquas personas, quae in comoediis inter se similes constanter fingi solent, milites sunt. Ejusmodi militem Thrasonem in Eunucho habemus. Gloriosus est, magnus aliquis propter res ab ipso gestas, in amore sibi non invenustus esse videtur, regibus quantum in deliciis fuerit, aliorum invidiam et petulantiam quomodo calliditate et salse dictis represserit, narrat; plenus minarum, sed nihil efficiens, imbellem, ignavum, stolidum omnibusque se deridendum praebet, cujus nihil quicquam, praeterquam pecunia, expetatur. Hi quoque mores ad rerum veritatem prudenter adumbrati sunt. Etiam in Darii, Persarum regis, exercitu Graeci milites stipendia merebant, quum ab Alexandro oppugnaretur. Post quoque in Asiam Graeci militatum abibant, „rem et belli gloriam armis reperturi“ (Heaut. I, 1, 60), et Seleucidis, regibus Syriae, (Plaut. mil. glor. IV, 1, 2) vires suas dicabant. Ex hac militia debilitatos eos Asiatica luxuria rediisse credibile est, quare poëtae Comici ridendos eos populo ad spectaculum proponebant, quemadmodum in veritate vitae ab Atheniensibus nasutis rideri solebant.

„Lenó sum, fateor, pérnicies commúnis adulescéntium,
Perjúrus, pestis“

Sannionem Terentius praedicantem fecit in Adelphis II, 1, 34—35, itaque breviter, sed ad veritatem vitam lenonum, qualis fuerit, descripsit. Avaritia et perfidia praecipue inter mores μαστροπῶν sive προαγωγῶν, quos Xenophon in Symposio c. IV dicit, fuerunt. Plautus in Pseudoli act. I sc. 3, 31 non multo secus Ballionem lenonem de se confitentem fecit:

„nam si sácrificem summó Iovi,
A'tque in manibus éxta teneam, ut pórriciam, intereá loci
Sí lucri quid détur, potius rém divinam déseram.“

In Persa ejusdem poëtae act. III sc. 3, 4 servus Dordalum lenonem praeter sordidiora convicia, quae reticeo, ita alloquitur:

„Impúre, inhoneste, injúre, illex, labés popli,
Pecúniae accípiter, avide atque invide,
Procáx, rapax, traháx: trecentis vérsibus
Tuas ímpuritias tráloqui nemó potest.“

Nec tantum lenones viri sunt, sed etiam lenae feminae. Ad has Syram in Hecyra et illas anus quodammodo pertinere censeam, quae, in rebus puellarum internuntiae, multo tamen minus nequam ingenio a Terentio exhibentur.

Lenonum et parasitorum naturae ad nostros sensus maxime incommode accidunt; tamen neque hae a veritate rerum Atheniensium abhorrent. Etiam huc referri possit, quod F. A. Wolfius in scholiis ad Horatii sermonum I, 1 observavit, Graecae et Romanae reipublicae libertatem non tantum virtutum, sed etiam vitiorum feracissimam fuisse, eaque ad summum et immane aliquod magnitudinis fastigium auxisse. Quare avaritiae ea exempla in antiquitate exstitisse, quorum vix hodie simile quid Londini et Parisiis reperiatur. Parasitus in Athenaei Deipnosophist. l. VI (p. 236 F. ed Casauboni): „In foro, inquit, si quem virum parum sapientem, sed divitem conspicio, illico ad eum sum: quodsi quid pecuniosus dixerit, laudibus id effero, et miror, quasi de sermone ejus laetans: tum alius alio ad coenam discedimus, cibum ad alienum: ibi grata multa assentatorem statim dicere oportet, aut foras ejicitur.“ Is locus ab Eupolide poëta petitus est, non multum ille a Gnathonis disciplina diversus, quae in Eunucho II, 2 exponitur.

Hic fere orbis est, intra quem mores personarum a Terentio et reliquis poëtis novae Comoediae continentur. „Athenae, ubi plerumque rem agi simulabant, caput erat parvi territorii, urbs nostris urbibus nec solo suo neque celebritate hominum comparanda. Aequabilitas liberae reipublicae non repentina aliqua fortunarum inaequalitate ordines disjungebat; ultra modum civilem nobilis nemo superabat, omnes vero cives erant, vel pauperiores vel divitiores, qui nullum aliud negotium plerumque facessebant, praeterquam quod rem suam familiarem curabant. Itaque in Attica Comoedia fere non ea oppositio est, quae consuetudinis et scientiae dissimilitudine fit, intra mediocritatem quamdam continetur, civilis aliquid et, si ita dicere licet, oppidani habet, quod iis displicet, qui in Comoedia aulae mores et exquisitam regalium urbium vel elegantiam vel nequitiam requirunt.“ (Schlegel de re scenica I, 365 sqq.)

Nec solum bene inventa est a Terentio notatio morum, sed etiam bene declarata. Primum ipsa nomina personarum etiam origine sua quale ingenium fuerit ad spectaculum propositorum hominum significant, quod Donatus ad Adelph. I, 1, 1 annotavit: „Nomina personarum, in comoediis dumtaxat, habere de-

bent rationem et etymologiam. Etenim absurdum est, Comicum aperte argumenta confingere: vel nomen personae incongruum dare, vel officium, quod sit a nomine diversum. Hinc servus fidelis Parmeno: infidelis, vel Syrus vel Geta: miles, Thraso vel Polemon: juvenis, Pamphilus: matrona, Myrrhina: et puer ab odore Storax: vel a ludo et a gesticulatione, Circus: et item similia, in quibus summum poëtae vitium est, si quid e contrario repugnans contrarium diversumque protulerit, nisi per *ἀντίφρασιν* nomen imposuerit joculariter, ut Misargyrides in Plauto dicitur trapezita, et fere hoc modo apud alios a poëtis nomina componuntur describenda per *ἀντίφρασιν*, quod designat Storax." Sed hunc morem Terentius non praeter alios poëtas Comicos observavit, ipsius ingenio debetur artificium, quo e paucissimis verbis alicujus mentem elucentem fecit. Thais, quum ab irato Thrasone reprehenderetur, quod *coram ipso alium amatorem ante oculos ei adduxerit, quid cum illo egerit, cum eo cur se clam subduxerit?* nihil respondet (Eunuch. IV, 7, 26), praeterquam: *Lubuit.* Unum vocabulum est, sed haec brevitas dicendi artificium est, quo nullum utilius inveniri potuerit ad simulatam meretricis superbiam, qua metum suum ab inimico celare et militi imponere vult, pingendam. Donatus vere addidit: „Superbum est et meretricium verbum." In Heauton timorumeno Bacchis est, meretrix *potens, procax, magnifica, sumtuosa, nobilis.* Ea apud Chremetem coenavit. Postridie mane Chremes id Menedemo, vicino suo, factum esse narrat (Heaut. III, 1, 46 sqq.), et a Menedemo interrogatus: „Estne ea intus?"

Sensi, inquit Chremes, *namque unam ei cénam atque ejus cómitibus*
Dedí; quod si iterum míhi sit danda, actúm siet.
Nam, ut ália omittam, pýtissando módo mihi
Quid víni absumsit! sic hoc, dicens, ásperum
Pater, hóc est; aliud lénius, sodés, vide.
Relévi dolia ómnia, omnes sérias.
Omnís sollicitos hábui, atque haec úna nox.

Nonne his verbis prurientem mulieris superbiam ante oculos nostros positam conspicimus? et

pýtissando módo miki
Quid víni absumsit! sic hoc, dicens, ásperum,
Pater, hóc est, aliud lénius, sodés, vide

verba quum legimus, annon meretricem libidinose corpore se jactantem videre putamus? Metum servilem quomodo melius aliquis poëta imitari potuerit, quam Thaidis opprobrio, quod Pythiae ancillae objicit (Eun. V, 1, 1—2):

Pergín', scelesta, mécum perplexé loqui?
„Scio — néscio — abiit — aúdivi — ego non ádfui.“

In eadem fabula act. V, 5, 9—10 servus prae metu prius se excusat ad dominum:

Ere, primum te arbitrári, id quod res ést, velim,
Quicquid huïus factum 'st, cúlpa non factúm 'st mea,

post domino, quid sit, quaerenti:

récte sane, respondet, *intérrogasti: opórtuit*
Rem praénarrasse me. —

Est timidorum naturae, quod, dum pavent, et peccatum suum omni modo dicere nolunt, ipso pavore suo se peccasse indicant, et poenam in se contrahunt, quam ut a se amoverent, tantopere studebant. Quid ad legentium animos gratius possit accidere, quam mens hilaris, qua Pamphilus filius seni patri, mediocriter avaro, consobrinum defunctum non multum divitiarum reliquisse nuntiat (Hec. III, 5, 10). Nam consobrinum voluptati obsequentem fuisse,

ét qui sic sunt, haút multum heredém juvant,
Sibi vero hanc laudém relinquont: vixit, dum vixit, bene.

Haec hilaritas loquentis juvenis et securitas defuncti consobrini, quae a dicente adumbratur, quo acrius ea cum diligente cura superstitis senis contendit, eo facilius risum movet legentium. Indulgentium patrum debiles animi, *quibus pro peccato magno paulum supplici satis est*, qui fieri potuerit, ut verbis aptius referantur, quam Heaut. IV, 6, 19 Menedemi verbis:

Ne séntiat, me sénsisse, atque aegré ferat

filius. En! patriae potestatis lepidum exemplum, quod nobis sistitur, quum peccanti filio non tantum pater non irasci audeat, sed ipse insuper de ira timeat peccantis filii. Ipsa verborum contentio, ex instituto a poëta inepte facta, patris ineptum animum imitatur, et eo magis ridiculi sensum in legentis animo excitat.

Ipso numero aliquando poëta, dicentium animi quomodo affecti fuerint, significare voluisse videtur. Andriae III, 1, 22:

Nunc huíus periclo fit, ego in portu návigo.

Numerus hujus versus non firmo gradu incedens ad exitum pervenit, sed levi pede saliens decurrit, qui rhythmus utilissimus est ad animum effingendum, qui post magnam curam laeta securitate residit. Eunuchi II, 2, 25—26:

Concúrrunt laeti mi óbviam cuppédiarii ómnes.
Cetárii, lanii, coqui, fartóres, piscatóres

ipsi versus leves pedibus cursum suum accelerare videntur, ad

exspectationem opificum exprimendam, ad quam erecti accurrerint. In Heauton timorumeno II, 2, 81:

Vis amare: vis potiri: vis quod des illi, éffici

verba sunt, quibus Syrus servus stultitiam herilis filii vituperat, qua frui quidem audaciae commodis, sed nihil audere velit, ipseque numerus malignam vultus irrisionem imitatus esse videtur, qua ad haec verba servum cavillatum esse verisimile est. Simile quid etiam in Adelphis III, 4, 24:

Persuásit nox, amór, vínum, adulescéntia

et in aliis versibus inesse videtur.

Ex facetiis imprimis cognosci potest, inter Plauti et Terentii ingenia et aetates quid intersit. „Ille audacter et fortiter descriptione imaginum, graviter lineamentis pingens; Terentius Attica elegantia, simpliciter, ut vix imitari possis, et subtili colorum temperatione dicens, apti sunt, Plautus quidem senatui virorum militarium et civitati hominum rusticorum', qui cum victore Zamensi fuerunt: Terentius aetati, qua philosophia et luxuria devictae Graeciae victores et dominos domare coepit.“ Parum opus est, hoc, quod inter Plautum et Terentium Johannes Müller (ll. XXIV rerum imprimis in Europa gestarum I p. 177) interesse docuit, exemplis confirmare, ita intelligentibus apparet. Iejuniora si quibus Terentii poëmata videantur, non jejunitas ea est, sed subtilitas dicendi. Quid facetius esse possit ea viae monstratione, quam Adelph. IV, 2, 34 cf. c. IV, 6 habemus? Quae ratio melior inveniri possit, quam ea, qua in Hec. III, 4, 16 sqq. herus servum suum a se ablegat, ut ab incommodo speculatore liberetur, et qui lepos magis nativus cogitari possit, quam is, quo Parmeno Hec. V, 3 *ob rem nullam* se ab hero in arcem missum esse queritur? In omni Terentii opere non ea quidem dicacitas est, qua singuli Plauti loci modo conferti exuberant, modo destituti frigent, exquisitioris judicii lectorem aliquando offendunt, sed urbanum facetiarum genus, quod, in omni sermone aequabiliter fusum, Attico suo sale eruditos animos exhilarat. Iuvat praeterea lectorem Terentius eo descriptionis fabularum suarum artificio, quo efficitur, ut contrarias hominum voluntates saepe cum rebus suis confligentes videamus. Ita Laches in Eunucho V, 5 summa securitate animi ex rure suo in urbem redit, et dum felicitate sua triumphat, ex sua quiete repente in turbulentissimas res, a servo de filii periculo certior factus, conjicitur.

„Talis hominibus fuit oratio, qualis vita“ (Senec. epist. 114) Igitur a populo agros colente et bellicoso, inter quem literarum amor primum excitabatur, linguam vix exspectare licet ita limatam, qualem in Ciceronis et eorum scriptorum libris repe-

rimus, qui aurea aetate scripserunt, sed Romanorum sermo tum temporis fere is erat, quem Catonis liber de re rustica refert, qui suppari aetate scriptus est. Ipsius Scipionis Africani Aemiliani, quem Terentio familiariter usum esse supra diximus, locus aliquis ex oratione quadam, contra legem judiciariam Tib. Gracchi habita, exstat. Is locus est in Aurelii Macrobii Saturnal. l. II c. X p. 362 ed. Bip., ubi ita legitur: „*Docentur praestigias inhonestas: cum cinaedulis et sambuca psalterioque eunt in ludum histrionum: discunt cantare: quae majores nostri ingenuis probro ducier voluerunt. Eunt, inquam, in ludum saltatorium inter cinaedos virgines puerique ingenui. Haec quum mihi quisquam narrabat, non poteram animum inducere, ea liberos suos homines nobiles docere: sed, quum ductus sum in ludum saltatorium, plus medius fidius in eo ludo vidi pueris virginibusque quingentis. In his unum (quo me reipublicae maxime misertum est) puerum bullatum, petitoris filium, non minorem annis duodecim, cum crotalis saltare: quam saltationem impudicus servulus honeste saltare non posset.*“ Est haec oratio eadem ferme vocabulorum suppellectili conscripta, qua Cicero quoque ejusque aetas orationes suas conscribere solebant. Unum verbum *ducier* est, quod antiquitatem aliquam redoleat; in reliquis nihil est, quod non idem in Ciceronis quoque scriptis legi possit: idque, quod de his reliquiis oratoriis statuimus, summatim quoque de oratione Terentii statui possit. Utitur ille quidem durioribus aliquando et minus politis dicendi formis, quas propter aetatis suae rationem vix vitare posset, sed nihilo minus ex Attice scriptis, quae convertere solitus est, Attice sentire et sensa sua etiam eo, quod tum erat, orationis instrumento urbane dicere didicerat ita, ut elegantiae laudem et meruerit et inter Romanos etiam posterae aetatis invenerit (Cic. Epp. ad Att. VII, 3 p. 299 ed. Bip.). *Proprietatem* dicendi Servius ad Aen. I, 410 in Terentio laudat, id est, dicendi genus ita emendatum, ut nulla res nisi suo vocabulo designaretur. Ipsius Graecae originis aliqua vestigia nobis reperisse videmur in ea dicendi ratione, quae apud Terentium frequentissima est, cujusque exemplum habemus Adelph. V, 2, 20: *Illum, ut vivat, optant* pro *ille ut vivat, optant*. Quo genere dicendi Attici usi sunt, quum dicerent *Γηρυόνην φασὶν, ὅτι τριπέφαλος ἦν*, de qua forma interpretes videantur ad Greg. Cor. p. 127 sq. ed. Schaef. Quodsi verum est, quod Quintilianus (inst. or. VIII, 3 p. 76 ed. Bip.) censet, *autumare* verbum vetustum esse: Terentius quidem (Heaut. prol. v. 19) eo usus est.

Maxime de versibus nunc nostris hominibus Terentius displiceat, de quibus proximo loco eum excusabimus.

Denique Terentium poëtam esse novimus, qui, nisi legentes praejudicatas aliquas opiniones ad lectionem attulerint, numquam non delectet: in quo, quod reprehendi possit, ut inveniamus, sagacitate opus est, qua abutamur; ut, quum nova Atticorum Comoedia semel interierit, si quisquam Latinorum fuit, qui de damno facto nos consolari posset, Terentius is poëta fuerit.

DE VERSIBUS TERENTIANIS.

Versus, quibus Terentius usus est, vel iambici, vel trochaici, semel bisve cretici, bacchiaci et choriambici sunt. Iambicorum usitatissimus iambicus trimeter sive senarius est: cui versui ut tirones acrius sentiant qualis numerus insit, Catulli Dedicationem Phaseli (carum IV) huc transscribam, in quo carmine meri iambi sunt:

Phaselus ille, quem videtis, hospites,
Ait fuisse navium celerrimus,
Neque ullius natantis impetum trabis
Nequisse praeterire, sive palmulis
Opus foret volare, sive linteo.
Et hoc negat minacis Adriatici
Negare litus insulasve Cycladas,
Rhodumve nobilem horridamve Thraciam,
Propontida trucemve Ponticum sinum:
Ubi iste post phaselus antea fuit
Comata sylva: nam Cytorio in jugo
Loquente saepe sibilum edidit coma.
Amastri Pontica et Cytore buxifer,
Tibi haec fuisse et esse cognitissima,
Ait phaselus: ultima ex origine
Tuo stetisse dicit in cacumine,
Tuo imbuisse palmulas in aequore,
Et inde tot per impotentia freta
Herum tulisse; laeva sive dextera
Vocaret aura, sive utrumque Iuppiter
Simul secundus incidisset in pedem;
Neque ulla vota litoralibus diis
Sibi esse facta, cum veniret a mare
Novissimo hunc ad usque limpidum lacum.
Sed haec prius fuere: nunc recondita
Senet quiete, seque dedicat tibi,
Gemelle Castor et gemelle Castoris.

Hoc carmen quando legimus, syllabas quasdam sono suo inter reliquas excellere, et ictu quodam vocis in pronunciando

acui sentimus. Sunt eae autem hae syllabae, quas accentibus notabimus.

Phasélus ille, quém videtis, hóspites,
Ait fuisse návium celérrimus,
Neque úllius natántis impetúm trabis
Nequisse praeterire sive pálmulis
Opús foret voláre sive línteo,
Et hóc negat minácis Adriátici
Negáre litus insulasve Cycladas,
Rhodúmve nobilem hórridamve Thráciam,
Propóntida trucémve Ponticúm sinum:
Ubi iste post phasélus anteá fuit
Comáta sylva: nám Cytorio in jugo
Loquénte saepe sibilum edidít coma.
Amástri Pontica ét Cytore búxifer,
Tibi haéc fuisse et ésse cognitíssima,
Ait phaselus: última ex orígine
Tuó stetisse dícit in cacúmine,
Tu imbuisse pálmulas in aéquore,
Et inde tot per impotentiá freta
Herúm tulisse; laéva sive déxtera
Vocáret aura, sive utrumque Iúppiter
Simúl secundus incidísset in pedem;
Neque úlla vota litoralibús diis
Sibi ésse facta, cúm veniret á mare
Novíssimo hunc ad úsque limpidúm lacum,
Sed haéc prius fuére: nunc recóndita
Senét quiete séque dedicát tibi,
Gemélle Castor ét gemelle Cástoris.

Similiter in versibus trochaicis fit. Trochaicorum versuum usitatissimus trochaicus tetrameter catalecticus, sive versus trochaicus octo pedum una syllaba minus est; quod genus in Pervigilio Veneris habemus, e quo exempli causa priores aliquot versus (1—26) huc referam:

Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.
Ver novum, ver jam canorum, ver renatus orbis est.
Vere concordant amores, vere nubunt alites,
Et nemus comam resolvit de maritis imbribus.
Cras amorum copulatrix inter umbras arborum
Implicat casas virentes de flagello myrteo.
Cras Dione jura dicit, fulta sublimi throno.
Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.
Tunc cruore de superno, spumeo Pontus globo,
Caerulas inter catervas, inter bipedes equos,
Fecit undantem Dionen de maritis imbribus.

Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.
Ipsa gemmis purpurantem pingit annum floribus.
Ipsa surgentes papillas de Favoni spiritu
Urget in notos Penates. Ipsa roris lucidi,
Noctis aura quem relinquit, spargit humentes aquas.
Lacrimae micant trementes de caduco pondere:
Gutta praeceps orbe parvo sustinet casus suos.
Hinc pudorem florulentae prodiderunt purpurae.
Humor ille, quem serenis astra rorant noctibus,
Mane virgines papillas solvit humenti peplo.
Ipsa jussit, mane ut udae virgines nubant rosae.
Facta Cypris de cruore deque Amoris osculis,
Deque gemmis, deque flammis, deque Solis purpuris
Cras ruborem, qui latebat veste tectus ignea,
Uvido marita nodo non pudebit solvere.

Hi versus in legendo his ictibus acuuntur:

Crás amet, qui númquam amavit; quíque amavit, crás amet.
Vér novum, ver jam canorum, ver renatus órbis est.
Vére concordánt amores, vére nubunt álites,
E't nemus comám resolvit dé maritis ímbribus.
Crás amorum cópulatrix ínter umbras árborum
I'mplicat casás virentes dé flagello mýrteo.
Crás Dione júra dicit, fúlta sublimí throno.
Crás amet, qui númquam amavit; quíque amavit, crás amet.
Túnc cruore dé superno, spúmeo Pontús globo,
Caérulas intér catervas, ínter bipedés equos,
Fécit undantém Dionen dé maritis ímbribus.
Crás amet, qui númquam amavit; quíque amavit, crás amet.
I'psa gemmis púrpurantem pingit annum flóribus.
I'psa surgentés papillas dé Favoni spíritu
U'rget in notós Penates. I'psa roris lúcidi,
Nóctis aura quém relinquit, spárgit humentés aquas.
Lácrimae micánt trementes dé caduco póndere:
Gútta praeceps órbe parvo sústinet casús suos.
Hínc pudorem flórulentae pródiderunt púrpurae.
Húmor ille, quém serenis ástra rorant nóctibus,
Máne virginés papillas sólvit humentí peplo.
I'psa jussit, máne ut udae vírgines nubánt rosae.
Fácta Cypris dé cruore déque Amoris ósculis,
Déque gemmis, déque flammis, déque Solis púrpuris
Crás ruborem, qui latebat véste tectus ígnea,
U vido marita nodo nón pudebit sólvere.

In iambicis versibus alteram syllabam a principio, in trochaicis primam ictu insignitam, et post binos trochaeos in utroque versuum genere accentum iteratum videmus. Sed Teren-

tius nisi in suis versibus majore aliqua licentia, quam quae horum versuum est, usus esset, vix opus fuerit, ut, Bentleji exemplum sequuti, accentibus in hac editione lectionem regeremus. De Terentianis versibus haec observavimus.

Terentius ea aetate Romanarum literarum vixit, qua ore magis et sermone homines, quam scriptis, linguam colebant, et nondum Graece docti Graeca arte Romani syllabas dimetiri, sed accentu suo versus suos adhuc modulari consueverant.

Lingua sua quam diu populus aliquis ad dicendum potius quam ad scribendum usus est: ad eloquendi in ea volubilitatem multa fieri possunt, quae, quum primum dicendi consuetudo etiam scripto sub adspectum venerit, et oculorum testimonio loquendi formae constiterint, amplius in ea audere nequimus. Quare Terentius et Syncope et Apocope et Synaeresi et crebrioribus et durioribus usus est, quam quibus vel Horatius vel Virgilius vel reliqui poëtae aureae aetatis uti solebant. De maxime memorabilibus earum nunc singulatim dicam.

Syncope est And. I, 1, 124 *praescripsti* pro *praescripsisti; promisti* Adelph. V, 6, 17 p. *promisisti; amisti* Hec. II, 2, 9 p. *amisisti; dixti* Adelph V, 6, 30 p. *dixisti; adduxti* Eun. IV, 7, 24, Heaut IV, 4, 15 p. *adduxisti; circumspexti, prospexti* Adelph. IV, 5, 55 p. *circumspexisti, prospexisti. Dixe* Hec. V, 4, 5 p. *dixisse, produxe* Adelph. IV, 2, 22 p. *produxisse, decesse* Heaut. prol. 32 p. *decessisse, intercesse* Adelph. III, 2, 51 p. *intercessisse. Exporge* Adelph. V, 1, 53 p. *exporrige, lib'rius* And. I, 1, 25 p. *liberius, periclum* And. I, 1, 104 et alias saepissime p. *periculum; mnas* Phorm. IV, 3, 57 p. *minas* (nummus); *nemini* „pronunciatur hic (Bentl. ad Hec. III, 1, 1) διαλλάβως, quasi esset *nem'ni*. Sic Plautus Poen. V, 6, 11:

Neminém venire, qui istas adsercrét manu.

Abdomini (Bentl. ad Eun. III, 2, 7) „pronunciatur quasi esset *abdom'ni*.“ Praeterea syncopen Chr. Wasius (Senarius p. 157 sqq.) in pluribus verbis inesse censet, quorum pronunciatio similitudinem aliquam cum pronunciatione vel nostrae vel Francogallicae linguae habuerit. Ita *amat* Adelph. I, 2, 38 cum Francogallorum *il aime*, *tacet* Adelph. IV, 5, 5 cum *il se tait* ejusdem linguae, *pater* Phorm. IV, 2, 11 cum *le père*, *soror* Eun. I, 2, 77 cum *la soeur* comparat. Sed haec vocabula quum in principio versuum plerumque scripta sint: Bentlejus (in schediasmate de metris Terentianis XV) id aliter expedire conatus est, „correptas esse ejusmodi syllabas, dicens, quae in Latino sermone longae fuerint, et in primo fere versuum pede, parcius alias, licentiam hanc Terentium exercuisse.“ Quare exempla hujus generis paulo infra habebimus.

Synaeresis est Heautont. II, 2, 85:

Hárum d u a r u m cónditionum núnc utram malis, vide.

Wasius in Senario p. 100: „*Duo*, *duae*, *duo* fiunt unius syllabae, ut Angl. *Two*, Belgic. *Twee*.“ *Zwo* nostrates dicebant. Similiter in Phormionis IV, 6, 27 legendum est. Heautont. II, 2, 94:

Immo ad d u a m matrem deducetur,

ubi Bentlejus: „*Immo ad tuam* anapaestus est, ut similiter saepe alibi.“ Quare pro *tuam*, duabus syllabis, *twam*, una syllaba, pronunciandum erit. *Eum*, *eam*, *eumdem*, *eamdem*, *eo*, *ea*, *eodem*, *eadem*, *eorum*, *earum*, *eorumdem*, *earumdem*, *eos*, *eas*, *eosdem*, *easdem* duas primas vocales in unum cogunt (Wase p. 105). *Deorsum*, *seorsum* disyllabis Terentius usus est: Eun. II, 2, 47:

Ne súrsum deorsum cúrsites.

Adelph. V, 7, 14:

Omnibus gratiam hábeo: et seorsum tibi praeterea, Démea.

Lucretius quoque de rerum natura II, 205 scripsit:

Pondera, quantum in se est, deorsum deducere pugnent.

Catullus XX, 17:

Manúmque sorsum habébis. Hoc tibi éxpedit.

Alid pro *aliud* Heaut. II, 2, 90, ubi Bentlejus: „*Alis* pro *alius* vetuste dictum veteres Grammatici omnes testantur. *Alis* jam in Catullo (de coma Beren. 28). „*Alid* p. *aliud* saepe in Lucretio (V, 258. I, 1108. V, 1304. 1455).“ *Dies* aliquando monosyllabon est (Bentl. ad Eun. IV, 7, 23), *ais* aliquando monosyllabon est (Bentl. ad Eun. V, 7, 2). *Ajebas* (Bentl. ad Heaut. V, 2, 7 cf. ad Heaut. V, 1, 51 et Faërn. ad Adelph. IV, 2, 22) apud alios quidem trisyllabon, sed apud Nostrum ubique *aibas*, *aibant*. *Quia* interdum in unam syllabam contrahi videtur (Herm. elem. d. metr. p. 156 ad Terent. Hec. V, 2, 18). *Scibam* Heaut. II, 2, 68 p. *sciebam*. „*Iis*, ut *Diis*, semper monosyllabon est, aeque ac *his*. Cum disyllabon volunt, *eis* pronunciant scribuntque, ut *deis*.“ Bentl. ad Eun. II, 2, 19. *Reicere* per unum *i* pro *rejicere* librorum auctoritatem sequuti Faërnus et Bentlejus Phorm. prol. 18 cl. Phorm. IV, 5, 5 scripserunt. Virgil. Ecl. III, 96:

Tityre, pascentes a flumine reice capellas.

Rei (*res*, *rei*) non posse pro iambo esse, Hermannus (elem. d. metr. p. 176) docet, ita, ut semper *rei*, una syllaba, numquam *rei*, duabus syllabis, legendum foret. Aliter Bentlejus sensit, v. Eun. IV, 3, 10.

Contractio quoque fieri solet per ambiguitatem (Wase, Senar. p. 184 sqq.) literarum *u* et *i*, quae modo pro consonantibus, modo pro vocalibus sunt. Ita Faërnus ad Andr. IV, 6 (5), 2: „*Divitias* per synizesin coëuntibus vel duabus primis syllabis, vel duabus extremis, contrahitur in creticum; atque

hoc modo saepe a Terentio et Plauto usurpatur haec dictio." cf. Heautont. I, 2, 20. III, 2, 16. Bentlejus ad Phorm. V, 7 (8), 79: „*Novo* contracta syllaba, pronunciatione veteri *nowo*. Sic Plautus *nowo* modo Mil. III, 1, 30 et Pseud. I, 5, 156. Atque ita alibi per numeros casusque fere omnes una syllaba *nowi*, *nowae*, *nowa*, *nowos*." *Via* hic (Bentl. ad Hec. I, 1, 16) monosyllabon, quod pronuncias ut Anglorum *Way*. *V* enim (Bentl. ad Heaut. I, 1, 49) apud antiquos ut nostrum *W* pronunciabatur. *Dissolui* Heaut. III, 1, 102 p. *dissolvi*. Pronomina *hujus*, *cujus*, *ejus* modo unam, modo duas syllabas in legendo efficiunt. Unam syllabam quando efficiunt *huius*, *cuius*, *cius* in hac editione scripta sunt; si disyllaba sunt *hújus*, *cújus*, *éjus*, accentu in priore syllaba posito. Eadem ratio est in compositis: *hujusce*, *hujusmodi*, *cujusquam*, *cujusque*, *ejusdem*. *Ingenium* Andr. III, 1, 8 ut *inyenium* legamus, Wase (Senar. p. 209) suadet. „Palatinas $\varkappa$, γ, χ, liquidam *n* sequentes, vocali brevi praecedente, positionis necessariae aliquando gratiam facere. Versum incipere a proceleusmatico; liquescere enim *ng* ac si scriberetur *ny*.

Contractio quotidianam loquendi consuetudinem praeterea imitata est in: *ecca*, *eccum*, *eccam*, *eccos*, et in *ellum*, *ellam*. „Quid est enim aliud *eccum*, nisi *ecce eum? eccam*, nisi *ecce eam? eccos*, nisi *ecce eos? eccas*, nisi *ecce eas? ellum*, nisi *ecce illum?*" (Prisc. XII, 6 T. I p. 555 ed. Krehl.)

Crasin quoque huc pertinere censeo, quippe quae e communi potius loquendi usu, quam ex accentu versus mihi nata esse videatur. Ejus exemplum habemus in Eunuchi I, 2, 113:

Diés noctesque mé ames: me desideres.

Ibi verba *mé ames* ita miscentur, ut ex *ames* amittatur *a*, e vero proximi superioris vocabuli in ictu positum retineatur. Quare „*mè ames* non iambum, sed spondeum constituit, perinde ac si *m' aemes*, vel *me 'mes*, vel Gallicum *m'aimes* efferretur: quod blaesitatis*) illecebram in se continet." (Wasii sunt p. 70.) Eun. I, 2, 106:

Faciúndum 'st, quod vis. méritō te amo, béne facis.

Hic quoque *té 'mo*, non *t' ámo* legendum sit, ut spondeus, non iambus fiat. Heautont. II, 2, 119:

Ut sít necessum. mérito te amo, Clínia,

té 'mo crasi, non *t 'amo* elisione legendum. Andr. IV, 5, 5:

Relíquit me homo, atque ábiit.

me 'mo, non *m' homo* legendum. Ad *crasin* Wasius Heautont. I, 1, 63 quoque

Putávit me et aetáte et benevoléntia

*) i. e. balbutiendi.

referf, ita ut *me et* crasi in una syllaba conjungendum et hanc ob causam producendum sit. Faërnus, Bentlejus, Harius hiatum esse inter *me et* statuunt, correpto *me*. Similiter Phorm. III, 2, 72:

Actum, ájunt, ne agas. nón agam? immo haut désinam, ne agas Wasius *ne 'gas*, Harius *nĕ agas* correpto *ne* legi jubet. Hec. III, 2, 8:

Nam qui amat, cui odio ípsus est, bis fácere stulte dúco, Wasius p. 77, ut *qui 'mat* legamus, suadet. Plura exempla in Wasii Senario legere licet; tamen, si in principio versuum scripta sunt, ex Bentleji quidem doctrina corripiendis monosyllabis vitari ea possunt.

Apocope est in encliticis *ne, ve, ce, te*, aliquando etiam in *nempe, saepe, proinde, perinde, unde;* in *tibi, modo*. Phorm. III, 2 (II, 3), 92:

Dicám tibi inpingam grándem: dixi, Démipho,

ubi Faërnus: „puto *tibi* in unam syllabam contrahi, et per synaloephen elidi."

Nostin', tacen'; viden' secundam corripiunt; at *taces, vides, nosti* vix posteriore syllaba brevia sint Bentl. ad Eun. III, 5, 15 et ad Hec. IV, 1, 12.

Cicero Oratore c. 48: „Quin etiam, quod jam subrusticum videtur, olim autem politius, eorum verborum, quorum eaedem erant postremae duae literae, quae sunt in *optumus*, postremam literam detrahebant (prisci Romani), nisi vocalis insequebatur. Ita non erat offensio in versibus, quam nunc fugiunt poëtae novi. Ita enim loquebamur: *Qui est omnibu' princeps*, non, *omnibus princeps*, et, *Vita illa dignu' locoque*, non, *dignus*." Priscianus de metris Terentii c. I p. 407 in T. II ed. Krehl: „At illud quoque sciendum, quod omnes quidem (Comici Latini) crebris synaloephis et episynaloephis et collisionibus et abjectionibus *S* literae sunt usi scandendo versus suos. Terentius autem plus omnibus." Bentlejus ad Eunuchi V, 2, 62:

Non fáciam, Pythias. nón pol credo, Chaérea,

„quid frequentius est, ait, vel Lucilio et Lucretio, quam *S* post brevem vocalem ejicere: *Dulcedini' fructum?* Sic hic *Pythia' non. Famelicu' videt*" (Eun. II, 2, 29). Numquam tamen *S* abjectum est ante vocalem (Herm. elem. d. m. p. 61. Cf. Quint. inst. or. IX, 4 p. 183). Bentlejus ad Heaut. IV, 3 (5), 28:

Nam prórsus nihil intéllego. vah, tárdus es,

„*prorsus* abjecta *S* trochaeus est, ad Graeci metri morem." Idem ad Heaut. V, 2, 40:

Solent ésse: id non fit. vérum dicis: quid érgo nunc faciám, Syre?

„Non *ergo* hic primam corripit; sed *dicis* pro more solemni ejicit *S: Verum dici': quid érgo nunc?*“ ut in *dici* lenior ictus dimidiati ditrochaei sit, de quo infra dicetur. Phorm. IV, 5, 13:

Volo ipsius quoque voluntate haec fieri, ne se ejectam praedicet;

ibi Faërnus una cum Bentlejo *s*, quod in verbi *ipsius* fine positum est, abjici jubet.

Contractioni contraria est Diaeresis, qua fit, ut, quod plerumque una syllaba pronunciatum fuerit, in plures dissolvatur. Heaut. III, 2, 4:

Ille Clíniaï sérvos tardiúsculus 'st.

Faërnus divisit diphthongum, et Bentlejus „recte, inquit, hoc et sic omnes nostri. *Cliniaï* dividit diphthongum, ut alibi *hospitaï* (And. II, 6, 8), *Phaedriaï*. Heaut. V, 1, 20:

Spónsaë aurum, véstem, ancillas, ópus esse: argentum út dares.

Bentlejus: „*Sponsaë* pronunciandum est, tamquam si esset *Sponsaï*.“ Eun. II, 2, 9:

I'tan' parasti te, út spes nulla réliqüa in te sit tibi?

ibi Bentlejus: „*relliqua* semper apud Nostrum vel primam producit, vel quadrisyllabum est.“ Idem ad Eun. V, 5, 26: *reliqüom* est quadrisyllabum, ut alibi non raro.“

Ad hanc pervetustam dicendi rationem refero quoque *ne utiquam* (*n' utiquam*), e eliso et prima syllaba correpta pro *neutiquam*, v. Faërnus ad Heaut. II, 2 (3), 116 et Bentl. ad Hec. I, 2, 50. Quod in Graeca lingua factum est, ut antiquissimis temporibus vocabula aliqua, quae post una voce pronunciabantur, duabus pronunciata sint: idem in *neutiquam* Latino factum esse videtur, ut, nondum uno vocabulo Terentii aetate conjunctum, pro duobus haberetur, et primitivam suam in versibus legendis potestatem servaret. Wasius p. 164 testis est, *neutiquam* in Corp. jur. Civ. *ne utiquam* scriptum reperi.

Alteram causam, de qua factum sit, ut in versibus Terentianis multa secus atque in versibus Horatianis, Virgilianis, reliquorum poëtarum aureae aetatis instituerentur, in *accentu* positam fuisse novimus. Romani antiquissimis temporibus, non moras syllabarum vel longitudine vel brevitate metientes, sed vel intentionem vel remissionem vocis in syllabis pronunciandis aestimantes, accentu versus modulabantur. Igitur versus Saturnios, quod genus antiquissimum Romanae poësis est, *ad rhythmum solum componere consueverant* (Servii ad Georg. II, 385). Ennius, qui U. C. 585 obiit, Graecae rationi versum heroicum primus adstrinxit; sed Terentius, quamquam post Ennium erat, quo felicius quotidianum Romanorum sermonem imitari posset, versus Plautini exemplum sequutus, inter versus Saturnii licentiam et diligentiam versus heroici, ab Ennio inventi, medium quoddam tenuit.

Quae praeter artem recentiorum poëtarum accentus causa peculiaria Terentius exhibet, haec sunt.

In principio versuum saepe syllabae corripiuntur, quae ab aliis poëtis producuntur. Exempla ejus rei Bentlejus in schediasmate suo haec adscripsit:

Set ĭd grátum fuisse —
Sine ĭnvidia laudem.
Sine ŏmní periclo.
Propter hóspitaĭ.
Hic ĕst ille non te.
Studĕt pár referre.
Ob hănc ínimicitias.
Ob décĕm mnas inquit.

reliqua:

eaque ipsa facili negotio numero augeri possent. Ita in

Andr. II, 3, 22: *Dabĭt némo, inveniet,*
Andr. III, 2, 9: *Vel hŏc quis non credat,*
Eun. IV, 4, 4: *Quid hŭc tíbi,*
Eun. III, 2, 41: *Ego hĭnc ábeo,*

ubi Bentlejus: „*hinc* et similia in versus initio corripi frequentissimum."

Heaut. I, 2, 8: *Apŭt nós est.*
Hec. I, 2, 88: *Ad ĕxémplum ambarum.*

„In primo fere versuum pede, parcius alias Terentius hanc licentiam exercuit; idque verissimo judicio, Bentlejus inquit, quum histrio, in fine prioris versus anima recepta, plenum rapidumque spiritum posset effundere. Praeterea non eas syllabas, quae natura et vocalis sono longae sunt, corripuit: sed eas tantum, quae per vocalem quidem breves erant, positione tamen et consonantium concursu longae factae sunt; quae vocabula monosyllaba fere vel disyllaba sunt, vel cum praepositionibus composita."

Accentus versus idem effecisse videtur, ut positio debilis saepe neglecta fuerit. Positio debilis ea dicitur, quae geminato *s, l, c, d, p, r,* oritur: *cm, gn, dm* in Comicis non necessario proxime superiorem syllabam producunt; *mp, md, tn, pt* non magis id efficiunt. In his verbis tamen omnibus hoc unum requiritur, ut consonantes post vocalem *natura brevem* sint. Corripiuntur igitur in Terentii Comoediis:

Esse: Heaut. I, 1, 19:

Haec nón voluptati tibi esse, satis certó scio,

ubi Faërnus. „in *esse* priorem syllabam corripias;" et Bentlejus. „Recte. *Esse* saepe corripitur." *Istuc* priore syllaba correpta in Eunucho est: II, 2, 6:

Quid istuc, inquam, ornáti est? quoniam miser, quod habui,
pérdidi: en,

ubi Bentlejus. „*Isthuc* priore correpta, ut passim.“

Illā sexto casu Eun. II, 1, 17:

Tandém non ego illa cáream, si sit ópus, vel totum tríduum? hui,

ubi Bentlejus: „*Ego illā* anapaestus. Nihil frequentius.“

Voluptati, antepenultima correpta, Faërnus et Bentlejus habent. Heaut. I, 1, 19 *Quidĕm causa*, quamquam consonans *m* a consonante c excipitur, in Heaut. est I, 1, 35:

Scire hóc vis? hac quidem caúsa, qua dixi tibi,

ad quem locum Faërnus: „ut versus stet, ex *quidem* *m* abjicietur;“ et Bentlejus: „*Quidem* corripi frequentissimum est.“ Eun. II, 1, 22:

Sét quis hic est, qui huc pérgit? attat, hic quidem est parasitús Gnatho.

Bentlejus: „*Hic* corripitur, ut *hĭc quĭdem ĕst* anapaestus sit.“ Etiam *hic* adverbium Hermannus in elementis doctrinae metricae p. 157 corripiendum censet in hoc iambico tetrametro catalectico Heaut. IV, 2 (4), 15:

Iube máneat. i. quin ést paratum argéntum. quin ego hic máneo,

ita, ut in septimo pede *ĕgo hĭc mănĕo* proceleusmaticus sit. In verbo *abdomini* Bentlejus tres posteriores syllabas pro Cretico, in verbis *abdomini hunc* syllabas, quae sunt in *domin' hunc* pro dactylo esse censet; ita dicens ad Eun. III, 2, 7: „Quum *hunc* et *hanc* passim corripiant Comici: inde factum, ut, qui per se Creticus esset, *domini*, addito *hunc*, *domini hunc*, dactylus fiat, et additione plurium consonantium brevior evadat, ut versu mox decimo *Quo? quid hunc* pro dactylo est.

Plura exempla collegit Wasius Sen. p. 17—31. Ita *illic* Andr. IV, 5, 3.

Puer hércle 'st. mulier, tu ádposuisti hunc? ubi illic est?

ĕccum Eun. III, 1, 5:

Dedúcam. set ĕccum militem. est istúc datum.

hŏc quod Eun. IV, 2, 14:

Set quid hoc, quod timidæ súbito egreditur Pýthias?

ĭpsa Phorm. V, 7, 67:

Nunc, quód ipsa ex aliis aúditura sit, Chreme.

Hiatum Bentlejus esse statuit e. c.: Andr. I, 2, 20:

Hoc quid sit? omnes, qui amant, graviter sibi dari uxorém ferunt.

Heaut. I, 1, 63:

Putávit, me et aetáte et benevolèntia.

Eun. III, 2, 42:

Una íre cum amica imperatorem in via.

Eun. I, 2, 39:
Ego cum illo, quicum tum úno rem hæbebam hóspite.
Heaut. II, 2, 46:
Ejus ánuis causa, opínor, quae erat mórtua.
Andr. V, 1, 6:
Vide quam iniquus sis prae studio: dúm id efficias, quód cupis.

In his versibus *hiatus* est in 1) *qui amant;* 2) *me et aetate;* 3) *cum amica;* 4) *rem habebam;* 5) *quae erat mortua;* 6) *dum id efficias.* Sunt ea verba monosyllaba; ictum habent vel majorem, qualis post ditrochaeum integrum, vel minorem, qualis post dimidiatum esse solet; quae vocali desinunt (*qui, me, quae*), ea vocali longa desinunt, et primam syllabam in anapaesto constituunt (*quĭ ămānt; mĕ ĕt aĕ; cŭm ămī* etc.); hasque res Bentlejus necessarias esse putat, si quos hiatus in versibus Comicis nobis reperire videamur.

Addere licet Eun. II, 2, 11:
Qui color, qui nítor vestítus; quaé habitudo est córporis?
Heaut. V, 1, 45:
At né illud haut inúltum, si vivó, ferent.
Hec. IV, 1, 21:
M. Misera sum. PH. utinám sciam esse istúc: set nunc mi in méntem venit ex,
ad quem locum Hermannus (elem. d. m. p. 178: „*Sum* non cliditur.“

Tamen Wasius etiam in his versibus hiatum plerumque effugit, *qui' mant (qui amant), me 't aetate (me et aetate), quae 'rat mortua (quae erat mortua), quae 'bitudo (quae habitudo)* crasi legens (Sen. p. 83). *Cum amica* Wasius similiter legi jubet, atque quum *co'eo* legimus pro *cumeo*, ita, ut *co'amica, co 'mica* pronuncietur. Ipse Wasius duobus in locis Terentii hiatum reperisse putat (Sen. p. 33 et 40):

Hecyrae prol. 1:
Hecyra ést huic nomen fábulae, haec cúm data est.
Adelph. IV, 8, 5:
Exémplum disciplínae. Sy. ecce autem hic adest,
(ad quem locum annotata vide), ibique hiatus satis ea mora excusatur, quae vel in ejusdem personae sermone post interpunctionem oritur, vel alternos sermones plurium personarum dirimit. Omnino Terentius multo magis et multo artificiosius, quam Plautus, huic licentiae pepercisse videtur. Hermannus (elem. d. met. p. 65) quoque Bentlejum vituperat, quod nimis diligens neglectae elisionis observator fuerit, saepeque modum in hac re excesserit. Romanos non tam elidi syllabas, quam coalescere voluisse, et hiatum in versibus hac cautione admi-

sisse, ut *voces monosyllabas, si sententiae aliqua vis in iis esset, in ictu metrico, non etiam extra ictum, sine elisione pronunciarent.*

Accentu versus quoque factum est, ut syllabae, natura sua longae, quum extra ictum in versu positae essent, aliquando correptae sint; contra aliae syllabae, natura breves, quum in ictu legerentur, productae sint. *Systole* illa, haec ratio *Diastole* dicitur.

Ad Systolen imperativi imprimis vel primae vel secundae vel quartae conjugationis pertinent, quorum postrema syllaba, quum ab aliis poëtis legitime producatur, a Comicis saepissime correpta est.

Ita in Andr. IV, 5, 21:

Mané: cavĕ quoquam ex istoc excessis loco.

Heaut. III, 4, 23:

Mánĕ, manĕ, quid est, quód tam a nobis gráviter crepuerúnt fores?

Adelph. III, 4, 21:

Vitiávit. hem. manĕ. nóndum audisti, Démea.

Heaut. IV, 4, 22:

Set páter egreditur. cávĕ, quicquam admirátus sis.

Adelph. III, 4, 12:

Si déseris tu, périimus. cavĕ dixeris.

And. II, 3, 29:

Curábitur. set páter adest. cavĕ, te ésse tristem séntiat.

Eun. V, 1, 20:

Viden'? vídeo. comprehéndi jubĕ, quantúm potest.

Adelph. V, 5, 10:

Atque hánc in horto máceriam jubĕ dírui.

ib. 16:

Ego lépidus ineo grátiam, jubĕ núnc iam.

Phormio V, 7, 29:

Argéntum rursum júbĕ rescribi, Phórmio.

Heaut. IV, 6, 30:

Si sápies. faciam. abi intro: vidĕ, quid póstulet.

Adelph. II, 2, 31:

Labáscit. unum hoc hábeo: vidĕ, si sátis placet.

Hec. III, 5, 34:

Vérum vidĕ, ne inpúlsus ira práve insistas, Pámphile.

And. I, 5, 20:

Abĭ domum. id mi visus 'st dicere, ábĭ cito, et suspénde te.

Adelph. IV, 2, 25:

Laúdo: o Ctesiphó, patrissas: ábĭ, virum te júdico.

Heaut. II, 2, 108:

Concáluit: quid vis? rédĭ, redi. adsum, díc, quid est?

In his omnibus *mane, cave, jube, vide, abi, redi* prior quoque syllaba brevis est, quare Harius de metris Comicis (in Te-

rentio suo p. LXI) hanc regulam constituit: „In disyllabis, quorum prior brevis sit, alteram quoque saepissime Comicos corripere.“ Nuper Lingius (de hiatu in versibus Plautinis p. 34) haec addidit: „Non promiscue omnia verba ita usurpantur, sed tantum *disyllaba*, *quae priorem syllabam habent brevem*. Itaque semper corripiuntur *abi* et *redi*, numquam vero *exi*, semper *vale*, numquam *salve*. — — — A Comicis poëtis praeter syllabarum quantitatem observabatur etiam accentus, recentiores poëtas praetervolabat. Et vere haec est illorum imperativorum ratio. Nam voculam pronunciare disyllabam, atque alteram syllabam et breviorem quidem accentu notare, alteram eamdemque longam deprimere *cávē*, *vídē*, id prorsus est contra naturam et vulgi consuetudinem. Dum enim prior i. e. brevior syllaba accentu evehitur, obscuratur altera, et quantum illi accedit ponderis, tantum huic detrahitur. Id non accidit aliis, veluti *salve praebe*, quae prisci illi poëtae non minus constanter producunt, quam recentiores.“

Cum his imperativis a Wasio (p. 219), Hario et Lingio alia verba disyllaba (*domi*, *boni*, *mali*, *malum*) ratione sua comparantur, quae Hermannus (elem. d. m. p. 65) una syllaba pronunciata fuisse putat.

Ad Systolen quoque referendum est, quod in prol. ad Eun. v. 20 habemus:

Menándri Eunuchum póstquam Aediles émĕrunt,

in *emĕrunt* correpta ea syllaba, quae altera a postrema est.

Diastole, qua propter accentum metricum, qui in aliquam syllabam incidit, brevis syllaba producitur, est:

Hec. IV, 4, 43:

Remissan' opus sit vóbis, redductán' domum,

ubi *rédductan'* sub ictu minore dimidiati ditrochaei pro *rĕductan'*.

Adelph. I, 2, 26:

Injurium 'st: nam si ésset, unde fíeret,

fíĕret p. *fĭĕret*

Igitur quum in Terentii versibus tantum non omnia ex accentu pendeant, Bentlejus bene meruit, quod ictibus eos notatos edidit.

Feritur autem in versibus trochaicis prima syllaba, in versibus iambicis altera syllaba, et, si anapaestus est, qui versum iambicum orditur, tertia syllaba a principio ictu metrico. Quare ex accentu in prima syllaba posito statim trochaici, ex accentu in altera et tertia posito versus iambici cognoscentur. Unum est, in quo Bentlejus ictum putat etiam in versibus iambicis a secunda syllaba in primam retrahi: si quando a dactylo senarius incipit (Bentlej. de metr. Terent. et ad Andr. I, 1, 25). Ipsi igitur versum iambicum ictu in prima syllaba collocato notavimus: Andr. prol. 2, 11, 12. I, 1, 25, saepius in periochis.

Post crebrius id facere noluimus, quum et ipse Bentlejus parum sibi in regula sua observanda constitisset, neque Reizius in Rudente Plauti II, 6, 29 Bentleji voluntati obsequutus esset, ipsique veriti essemus, ne obscuritatem et tenebras lectioni id afferre posset.

Post singulos trochaeos iteratur quidem ictus, qui trochaicum in prima, iambicum versum in altera syllaba primum acuerat, sed accentu minore, quam qui graviter sentiri possit. Quare eorum notatio in hac, aeque ac Bentlejana editione, neglecta est. Bini trochaei (*διποδία τροχαϊκή*) intermittendi sunt, donec in principio tertii trochaei novus versus accentus syllabam suam efferat et acrius sentiatur. Horum accentuum sedes in hac editione Terentii et in versibus supra positis scripto notatae sunt.

Ex iis intelligimus, insigne artificium Terentii in eo esse, quod prudentia et verborum idonea compositione effecerit ut ictus versuum et accentus vocabulorum accurate inter se congruant.

De accentibus linguae Latinae singularis libellus Prisciani exstat. Servius quoque ad Aen. I, 116. 384. 451. X, 668 alias plura monuit. Diomedes quoque de Oratione et partibus Orationis l. II p. 425 sqq. ed. Putsch. Brevissime quidem Quintilianus (inst. or. I, 5 p. 39) praecipit: „In omni voce, *acuta* intra numerum trium syllabarum continetur, sive hae sint in verbo solae, sive ultimae: et in his aut proxima extremae, aut ab ea tertia. Trium porro, de quibus loquor, media longa, aut acuta, aut flexa erit: eodem loco brevis utique gravem habebit sonum, ideoque positam ante se, id est ab ultima tertiam, acuet. Est autem in omni voce utique acuta, sed numquam plus una; nec ultima umquam; ideoque in disyllabis prior. Praeterea numquam in eadem, flexa et acuta, quoniam eadem flexa et acuta. Utique neutra claudet vocem Latinam. Ea vero, quae sunt syllabae unius, erunt acuta, aut flexa, ne sit aliqua vox sine acuta." Haec Quintilianus. Inde discimus, in lingua Latina praeter ea verba, quae unius tantum syllabae sunt, nullum verbum fuisse, quod accentum in ultima habuerit. Tamen „*μόρια*, id est, *minores particulae*, ut *Quae*, *Ve*, *Ne*, *Ce*, quoties junguntur aliis partibus, ante se accentum faciunt, qualislibet sit syllaba, quae praecedit, sive brevis, sive longa, ut *musaque*, *hujusce*, *illucce*, *tantone*, *adduce*, *deduce*: et haec mutilata (e. c. *tanton'* pro *tantone*) similiter proferuntur, scilicet sub eodem accentu." (Serv. ad Aen. X, 668, cf. Priscianus de accentibus c. II p. 364 §. 10 ed. Krehl.) Hinc factum est, ut Terentius in secunda quidem trimetri *διποδία*, quae est post binos trochaeos a principio absolutos, rarissime tantum scripserit, quemadmodum Eun. V, 1, 16 scripsit:

Scelésta ovem lupó commisi. dispudet,

lupo, in ultima syllaba acuto. Sed plerumque hanc necessitatem, si quando cum in versu urgebat, ita a se removit, ut Synaloephe usus vicinum verbum cum vicino misceret. Ita est Eun. V, 5, 21:

Is pro illo eunucho ad Thaidem hac dedúctus est.

Quodsi *ad Thaidem deductus* scripsisset, ictum minorem, qualis in principio singulorum trochaeorum est, in tertia syllaba verbi *Thaidém* haberemus: ita vero, quum *ad Thaidem huc deductus* scripserit, tertia syllaba, quae in verbo *Thaidem* est, eliditur, et accentus in *huc* incidit.

Tamen „interrogationis hoc proprium est, ut vehementius vocem impellat, quod ubi non potest fieri, nisi ultima syllaba acuenda, acui ea debebit.“ Haec Hermannus tradit (de emendanda ratione Graecae Grammaticae I c. XIX p. 93) de accentu interrogationis, qui in Graeca lingua est, eademque quum in omnibus linguis aeque constent: Terentius quoque in artem minime peccavit, quum in interrogatione extrema vocabula aliquando ictu versus acueret. Quare in Andr. I, 5, 8 hujus editionis recte scriptum est:

Itane óbstinate operám dat, ut me a Glýcerio miserum ábstrahat?

operám ultima syllaba acuta. Similiter Andr. III, 4, 7:

Nam própemodum habeo jám fidem. D. tandém cognosti qui siem?

ubi Bentlejus: „lege cum interrogatione: *Tandém cognosti qui siem?* nam idcirco *tandém* habet ictum in secunda.“ Eun. IV, 4, 42:

E'tiam nunc credés, indignis nós esse inrisás modis?

ubi Bentlejus. „*Credés* posteriorem acuit ob interrogationem,“ idemque etiam in schediasmate de metris Terentianis p. XIX monuerat.

Evenire, ut metri quoque conditio mutet accentum, a Quintiliano loco supra laudato docemur. Igitur non admirandum est, quod apud Nostrum quoque metri conditio accentum mutaverit. Terentius quidem in secunda tantum trimetri διποδίᾳ legitimam et communem accentuum rationem observavit: in prima et tertia διποδίᾳ eam negligere consuevit; quoniam sine ista venia conclamatum actumque fuisset de Comoedia Tragoediaque Latina, uti Bentlejus existimat. Itaque in Phormionis V, 7, 83 est:

Malúm, quod isti dí deaeque omnés duint,

malúm et *omnés* vocabulis in ultima acutis, quamquam in quotidiano quidem sermone nemini Romano ita pronunciare facile licuerit, quin risum moveret. Sed hanc inter prosam orationem et versum discrepantiam Servius ad Aeneidem quoque I, 451 annotavit.

Ictuum notationem igitur si ducem sequimur: haec versuum genera in Terentii poëmatis inesse cognoscimus.

1) Iambicus monometer uno ictu:
Te nóminat (Phorm. II, 2, 16).

2) Iambicus dimeter acatalectus sive quaternarius, his ictibus:
Set núm quid aliud ímperas? (Eun. II, 1, 7).

3) Iambicus dimeter catalecticus sive iambicus quaternarius una syllaba minus:
Adgrédiar. Bacchis, sálve (Hec. V, 1, 5).

4) Iambicus trimeter sive senarius:
Tantúm laborem cápere ob talem fílium?

5) Iambicus tetrameter acatalectus sive octonarius iambicus:
Dum témpus ad eam rém tulit, sivi ánimum ut explerét suum.

6) Iambicus tetrameter catalecticus i. e. iambicus octonarius una syllaba minus (septenarius quoque a Latinis dicitur a numero pedum, quos integros habet, idemque Comicus quadratus):
An poénitebat flágiti, te auctóre quod fecísset?

7) Trochaicus monometer catalecticus i. e. trochaicus monometer una syllaba minus:
O'ccidi (Eun. II, 3, 1).

8) Trochaicus dimeter catalecticus i. e. trochaicus dimeter una syllaba minus:
Ego istam invitis ómnibus (Adelph. II, 1, 4).
U'nde mi auxiliúm petam? (Phorm. IV, 6, 2).

9) Trochaicus tetrameter acatalectus sive trochaicus octonarius:
Vérba dum sint: vérum si ad rem cónferentur, vápulabit.

10) Trochaicus tetrameter catalecticus i. e. trochaicus octonarius una syllaba minus (idem trochaicus septenarius et quadratus a Latinis dicitur):
Sérvon' fortunás meas me cómmisisse fútili?

11) Creticus tetrameter (Andr. IV, 1, 2):
Tánta vecórdia innáta cuiquam út siet.

12) Bacchiacus tetrameter acatalectus (Andr. III, 2, 1):
Adhúc, Archylis, quae adsolént quaeque opórtet.

13) Choriambici (Adelph. IV, 4, 3—6):

(— ∪ ∪ — ´— ∪ ∪ —˘

´— ∪ ∪ — ∪ —˘

pede Bacchio alias, hic pede amphibracho in extremo versu secundo)

Mémbra metu débilia
Súnt: animus timore

Obstipuit: péctore nil
Sistere consili quit.

Duplicia plerumque nomina adscripsimus, quorum alterum Graecum, alterum Latinum est. Graeci per διποδίαν versus trochaicos et iambicos scandere et binos pedes pro uno μέτρῳ putare solebant, Latini singulos pedes numerabant. Inde factum est, ut quem versum Latini quaternarium, a quaternis pedibus indito nomine, eum Graeci dimetrum a μέτρῳ duplici dixerint.

Iambici et trochaici versus vel catalectici vel acatalecti sunt. Acatalecti (α priv. καταλήξις) dicuntur, qui pedes suos idoneo syllabarum numero complent, catalectici, quorum extremo pedi una syllaba deest. Hypercatalecti quoque sive hypermetri iambici quidem versus esse possunt, quamvis id Bentlejus ad Heaut. III, 3, 13 negaverit. Talem et hunc ipsum versum Heaut. III, 3, 13, magis etiam Phorm. II, 2, 11 habemus:

Ejús me miseret: ei nunc timeo: is núnc me retinet: nam ábs-
que eo esset,

qui versus postrema sua syllaba *set* redundat.

Horum versuum hypermetrorum non ita dissimiles sunt illi iambici octonarii, qui, elisione facta, ultimam syllabam cum sequente versu conjungunt. Phorm. II, 2, 10:

Eheú me miserum: cúm mihi paveo, tum Á'ntipho me excrú-
ciat animi,

ex extrema syllaba *mi* vocalis ejicienda et *m* consonans cum vicina vocali proximi versus conjungenda est (Herm. d. m. p. 172). Non secus in Andr. III, 4, 2:

Cur úxor non adcérsitur? iam advésperascit. aúdin' tu illum?

ultima syllaba elidenda et cum proximo versu conjungenda est.

Hac versuum suppellectili Terentius vel ita usus est, ut unum eumdemque numerum per plures versus continuaverit, vel ita, ut repente numerum mutaverit. Idem numerus ubi per plures versus continuatur, etiam versuum genus mutari potest, numero non mutato. Ita in Andria III, 5 duo versus, qui a principio sunt, trochaici tetrametri pleni sunt, tertius versus trochaicus tetrameter catalecticus est, eum excipiunt v. 4 — 14 pleni iambici tetrametri; at dipodiae trochaicae perpetuo ordine se sequuntur, nihil varietate interpellatae, propterea, quod versu tertio, qui trochaicus catalecticus est, a trochaicis ad iambicos rhythmus gradum facit, eo, quod *fútili* in extremo versu tertio et *Ego* in principio versus quarti dipodia trochaica conjuncta sunt et numerum continuant. Versu quartodecimo demum numerus intentione vocis (*arsis*) consistit, quae in extrema syllaba verbi *núptias* est, quemadmodum numerus ubique arsi terminari solet. Numerus ubi per plures versus continuatur,

saepe *clausulae* addi solent, id est, „versus breviores, admixti longioribus ejusdem generis, et plerumque cum iis numeri perpetuitate cohaerentes.“ Herm. elem. d. m. p. 180.) Ita in Eunuchi II, 1 iambicus dimeter, qui post versum secundum est, clausula dici potest, eaque cum versu secundo, trochaico tetrametro catalectico, continuo dipodiarum trochaicarum ordine conjuncta est, si syllabae

túm 'st tibi ah rogi,

quae inter ictus prioris et proxime subsequentis versus sunt, conjunguntur. Eadem ratione versus septimus ejusdem scenae cum versu sexto conjungitur.

Etiam inter diversas scenas versus continuati sunt. Ita in Andr. III, 3, 48 et III, 4, 1 iambicus tetrameter catalecticus est, cujus altera pars in exitu scenae tertiae, altera in principio scenae quartae constituta est.

A iambicis trimetris fabulae Terentii plerumque ordiuntur. Ita prudenter institutum est, quum fabulae a sedatioribus initiis incipere soleant, et trimetri ad tranquillitatem rerum declarandam apti sint. Post, ubi res turbulentiores factae sunt, trochaicis Terentius utitur. Nec solum post integras scenas metrum commutare solet, sed in eadem quoque scena varia versuum genera ad varias animorum affectiones significandas adhibet. Bothe ad Eunuchi v. 571 (in nostra editione Eun. IV, 1 sqq. v. not. versus paulo aliter constituti leguntur): „Consideret lector in hac scena artem Terentii, in versu, pro rerum conversionibus affectuumque commutationibus apte variato, declaratam. Et ut de hoc quidem subtilius edisseram, incipit scena a trochaicis tetrametris, quorum prior etiam acatalectus est, gravissimo metri genere, ad exprimendam ancillae summam sollicitudinem de domina, pessimis turbis implicata. Quae quo spectare videantur, ubi breviter indicavit, jam narrationem ipsam incipit, idque se facere indicat alio illato versu, iambico tetrametro catalectico, vehementi illo quidem, sed moderatiore tamen iambicis plenis, quibus mox, iram militis a verbis ad rem processisse, ostenditur. Huic longe aliis, sed aeque tamen violentis, affectibus commota Thais respondet trochaicis; finitaque jam narratione, ubi, quo voluit, pervenit, eodem metro, quo et domina, auctor sibi rerum omnium, usa est, et a quo ipsa incepit, denuo usurpato, naturaliter scenam concludit pedissequa.“ Bentlejus ad Heaut V, 2, 25: „Nota, postquam Chremes abierat, tum statim a trochaicis ad iambicos itum est.“ Idem ad Eun. IV, 6, 5: „Ante et post in tetrametris plenis debacchatur Thais; at in hoc versu, dum Chremen salutat, defervet paulum ira et catalectico utitur. In Phorm. II, 3, 24 adveniente Phaedria ab octonariis iambicis ad sena-

rios transitur, interposito trochaico septenario. „Omnino, ubi aliquid incidit, quare forma colorque orationis repente mutetur, mutantur etiam numeri.“ (Hermanni sunt elem. d. m. p. 165.)

In pedibus quoque versuum construendis summa licentia Terentius usus est. Unum diligenter cavetur, in iambicis versibus ne trochaci, in trochaicis ne iambi sint. Caeterum in omnibus pedibus et paris et imparis numeri, praeterquam ultimo, pro iambis proque trochaeis spondei admittuntur, et qui spondeis spatio aequales sunt. Quare spondei, dactyli, tribrachi et anapaesti pro iambis et trochaeis ubique fere esse possunt. Creticus tamen sive amphimacer (— ∪ —), quod Scaliger opinatus est (Poëtices l. VII p. 844 in ed. a. MDCVII), in numero iambico et trochaico esse non potest. Camerarius (de Carminibus Comicis in edit. Plauti p. 46): „Silentio praetereundum non est, in iambico et trochaico Creticum non esse: quamvis de Archilochii trochaici structura ille praecipiens, Rufinus, ut ferunt, hoc scripserit:

Creticon Archilochus supra caput addit iambi. *)

Nam Cretici ratio, qui est ἀμφίμακρος, temporum quinque, ab hoc genere est alienior. Itaque quidam inculcantes in iambicos et trochaicos versus hunc pedem, audiendi, mea quidem sententia, non sunt.“ Pes quoque proceleusmaticus (∪∪∪∪) Terentio insolens est (Bentl. ad Heaut. III, 1, 93, h. e. 96), si quidem in dipodia trochaica, qua Bentlejus versus metitur, pro trochaeo esse debeat. Nam pro iambo recte infertur. Andr. I, 1, 91:

Quae ibi áderant, forte unam áspicio adulescéntulam.

Proceleusmaticus, qui in syllabis est *spicio adu*, pro iambo, non pro trochaeo substitutus est, et ab Hermanno elem. d. m. p. 127 recte adhibitus esse censetur. Cf. quoque Hermanni Praef. ad Trinum. Plauti p. VIII sq. Ipsi proceleusmaticum in hac editione etiam pro trochaeo semel admisimus Heaut. III, 1, 96 contra Bentleji auctoritatem.

Aliquanto accuratius Latini Comici in postremo tantum pede constituendo agere solent. In trimetris quidem ultimum pedem vel iambum vel pyrrhichium (∪∪) constanti usu esse voluerunt. Iambicus tetrameter catalecticus et acatalectus duos quodammodo versus, dimidiato quisque pedum numero, constituunt, quorum prior quarto pede absolvitur. Quare in fine quarti pedis si caesura est: et spondeus et anapaestus et multo magis dactylus in quarto pede displicent. Minus curarunt de septimo pede iambici tetrametri catalectici, ibique et spondeum et anapaestum et dactylum et aliquando proceleusmaticum esse

*) Putschii Grammaticae Latinae Auctores Antiqui p. 2709.

siverunt. Contra in iambicis tetrametris acatalectis ultimum pedem vel iambum vel pyrrhichium esse oportet, praeterquam in hypercatalectis et iis versibus, qui, elisione facta, cum proxime subsequentibus continuantur, ubi spondeum et qui temporibus ei aequales sunt, octavum pedem esse licet. In trochaico tetrametro catalectico spondeum dactylumque Romani omnibus in pedibus sibi indulserunt, praeterquam in septimo pede. In trochaicis tetrametris acatalectis versus etiam tribracho vel anapaesto finiri potest, dactylus vero in ultimo pede nullo modo admittitur.

Ea libertate necesse erat Terentius uteretur, ut colorum ei varietas suppeteret, qua ad singulas quasque affectiones animi in idoneo lumine collocandas opus erat! Ii quidem, qui schola potius assueti, quam e conspectu dissimilium rerum humanarum ad lectionem Terentii venere, inconstantiam aegre tulerunt et majorem aliquam dicendi similitudinem desideraverunt; ipse Quintilianus poëtam reprehendit, quod non intra trimetros Comoedias suas continuerit: sed qui, in luce vitae constituti, more hominum sedulo spectato, cognoverunt, quam varie animi cupiditatibus agitari soleant; ii poëtae nostro merito id laudi ducent, quod, animos hominum poëmatis suis exprimens, colorum temperatione tam parum constanti usus sit, quam parum et ipsi animi sibi constare soleant. E Cicerone (Orator. 45 sqq.) qui intellexerunt, pristino sermoni Romanorum quanta licuerint: ii *synalocphas et episynaloephas et collisiones et abjectiones s literae* Terentio non vitio vertent; ipsosque Romanos, qui una cum Terentio aetate fuerunt, credibile est, nostrum poëtam iis poëtis longe praetulisse, quorum versus Martialis in Chrestillum (Epigr. XI, 90) perstringit:

Carmina nulla probas, molli quae limite currunt,
Sed quae per salebras altaque saxa cadunt.
Et tibi Maconio res carmine major habetur,
Luceilei columella heic situ' Metrophan' est *)
Attonitusque legis terraï frugiferaï;
Accius et quicquid Pacuviusque vomunt.

*) Donatus ad Phorm. II, 3: „Columen, culmen; an columen, columna? unde Columellae apud veteres dicti servi majores domus. Lucil. XXII:

Servus neque infidus domino, neque inutilis cuiquam,
Lucili columella, hic situ' Metrophanes."

IN ANDRIAM ARGUMENTI NARRATIO.

Terentius postquam Lucio Lanuvino, adversario poëtae et constanti laudum suarum obtrectatori, in prologo responderat: Simo et Sosia, quorum hic illius libertus est, in ipso exordio fabulae nuptias apparantes comparent.

Res agitur Athenis. Ante aedes Simonis Simo cum Sosia colloquitur, et quid sibi in animo proposuerit declarat.

Simoni Pamphilus erat filius, juvenis omni in re modicus, cui Chremes, alius civis Atheniensis, unicam gnatam suam cum dote summa uxorem dare voluit. Hae nuptiae hodie faciendae erant.

Sed sana mens juvenis periculum fuerat ne puellae vitio periret, quae ex Andro insula Athenas migraverat. Chrysis moritur: id nomen Andria puella gesserat, et Simo curis levatus deponit suum in defunctam animum, etiam cum gnato suo funus prosequens. Quod utinam non prosequutus esset! Minus compererit, gnatum suum amare et lacrymas, quae fundebantur, ad Glycerium magis, floridam Chrysidis sororem, quam ad defunctam pertinere.

Iratus pater domum venit; Chremes postridie accurrit, se tali juveni filiam suam in matrimonium daturum esse negans, et tamen Simo nuptias se hodie apparare simulat, ut filium ad amorem sibi fatendum cogat, materiam ut ita rixae nanciscatur; simul Davum servum experiri vult, quid animi gerat de matrimonio herilis filii ineundo; utique simulatis nuptiis de veris nuptiis quid fieri possit periclitando cognoscere.

Hoc consilium postquam Simo, pater, Sosiae, liberto, (I, 1) exposuit, Sosia intra domum abit, restat Simo, Davus advenit (I, 2), et primum herum non adesse sentiens secum loquitur, quae usque ad v. 12 continentur. Inde minae sunt, quas herus in servum iactat, si quid ad nuptias disturbandas servus conatus fuerit.

Minatus Simo et ipse domum suam ingreditur, et solum Davum I, 3 in scena relinquit, qui servus secum deliberans, quae sibi pericula vel a domino vel ab herili filio immineant, primus Andriam spectatoribus nunciat gravidam esse e Pamphilo, cujus

partum ut Pamphilus tollere possit, civem Atticam Glycerium esse fingere, natam e cive Atheniensi, qui ad Andrum insulam naufragium fecerit (cf. IV, 6 et V, 4). Haec dum narrat, Mysis ancilla, Glycerii e domo egressa, in scena comparet, Lesbiam obstetricem, quae Glycerium in partu adjuvet, adduci jussa, et cum Archylide ita colloquitur, uti I, 4 scriptum est. Archylis, intra fores herilium aedium constituta, de domo proloquitur; ipse Davus ad forum abiit, ut Pamphilum certiorem faciat. Mysis in via Pamphilum advenientem videt, itaque quinta scena primi Actus praeparatur. Pamphilus adest. De patris consilio timens prae ira aestuat, et querelis virus acerbitatis suae effundit. Mysis, eum audiens, et ipsa cognoscit, quae de nuptiis faciendis Simo sibi proposuerit, sed animo confirmato iis promissis, quae de perpetua sua constantia Pamphilus fecerat, tandem ad arcessendam obstetricem discedit; Pamphilus in scena remanens a Charino cum Byrrhia colloquente excipitur et secundus Actus orditur.

Charinus amore sollicito agitatus cum servo Byrrhia vagatur, et repente in medio errore suo in ipsum Pamphilum incidit. Adolescens Charinus est post primum Actum spectatoribus adhuc incognitus, , qui Philumenam, Pamphili sponsam, misere amat. Charinus declarato amore suo, quo erga Philumenam flagret, interrogat Pamphilum de proferendis nuptiis, itaque comperit, quam parum Pamphili sponsa ex animo sponsi sit. Charinus spem suam recipit. Inter haec Davus II, 2 ad Pamphilum advenit. Davus postquam I, 3 ad forum abierat, primum forum percurrerat; ibi quum filium herilem non invenisset, ultra progressus ad aedes Chremetis itinere perrexerat, et ex solitudine et intra et extra ejus domum conjecerat, nullas veras apparari nuptias. Id domino nunciat. Charinus discedit, ut amorem suum curet; Davus II, 3 Pamphilo persuadet, ut apud patrem se eas nuptias non amplius nolle simulet.

Adhuc res sedatae fuerant, I, 1—II, 3, et *propositio* quaedam (*πρόθεσις*) i. e. *primus Actus initiumque dramatis, quo pars argumenti explicatur, pars reticetur ad populi exspectationem tenendam**) rebus futuris praefabatur, et iis viam muniebat. „Proxima scena (II, 4) nodum injicit erroris fabulae et periculum comicum; facit etiam exsecrationem consiliorum“ Donatus dicit. Simonis consilia II, 4—5 evertuntur, quod, quem filium negaturum esse putaverat, is ait. Chremetis consilia irrita redduntur III, 3, quod, quum nuptias Simoni futuras renunciare vellet, cogitur, ut eas addicat. Ita Davus perturbavit omnia:

*) Donati sunt de Tragoedia et Comoedia.

erum fefellit: in nuptias conjecit erilem filium;
fecit hodie, ut fierent, insperante hoc atque invito Pamphilo,
III, 4. Pamphilus, quas nuptias effugere voluerat, eae ne hodie habendae sint, timet III, 5. Desperat Charinus IV, 1 de amore suo. Glycerium IV, 2—3 se desertam censet. Davus, ut tot errores extricet, IV, 5 fraudem fraudi addit. *Epitasis* (ἐπίτασις) est II, 4 — IV, 5 i. e. *incrementum processusque turbarum ac totius, ut ita dixerim, nodus erroris.* *)

In Actus secundi scena quarta Simo, postquam domi suae (I, 2) nuptias apparaverat et primum in foro (I, 5, 19) filium suum uxorem ducere jusserat, domum redit. Davus et Pamphilus ante domum sunt. II, 5 Simo eos convenit, et iterum filium suum uxorem ducere et domum intrare jubet. Pamphilus ait, domum intrat. Byrrhia, Charini servus, qui post Simonem in scenam advenerat, de Pamphili consilio errans, falsum nuncium domino suo allaturus abit. II, 6 Davus cum Simone ante aedes restat; Pamphilum Davus et ipse Simoni affirmat nuptias velle.

Haec inter se dum colloquuntur, Mysis ancilla, quae Lesbiam arcessitum I, 5, 64 a Pamphilo abierat, obstetricem adducit III, 1. Simonis aedes ab aedibus Glycerii (I, 1, 43) non ita procul absunt, indeque fit, ut Simo Mysidis cum Lesbia colloquium exaudiat; incredulus, quod fallaciam strui putat, qua Chremes ab affinitate absterreatur.

Etiam dum Iunonis Lucinae opem Glycerium imploraverat III, 1, 15, nondum crediderat Simo. In Actus III, scena II, obstetrix post rem peractam de domo exit, et, quae post partum curanda sint, de via imperat. Nondum Simo fidem facit. Davus errorem Simonis intelligit, et parum sollicitus, ut falsam opinionem ex animo herili ejiciat, errorem potius in usum suum convertit, ut herum amplius decipiat. Postea discedunt; Davus intra domum, ut nuptias futuras praeparet, Simo Chremetem ante fores advenientem excipit.

Chremes postquam I, 1, 121 matrimonium Pamphili cum filia sua ineundum renunciaverat: hac re perterritus accurrit III, 3, quod Simonem tamen nuptias hodie apparare audierat. Ab initio aliquantum quidem tumultuatur adveniens; sed postquam de Pamphili animo, quantum mutatus sit, magis magisque doctus fuerat, defervescit ejus ira, nec dubie matrimonium socer futurus concedit. III, 4 ipsius Davi testimonium factae in Pamphilo mutationis exposcitur. III, 5 Davi consilia exsecratur Pamphilus, quibus invitus atque insperans in nuptias conjectus fuerit. Charinus Pamphilo IV, 1 perfidiam exprobrat, qua sponsa sua ipsi eripiatur. Mysis ancilla, de domo vicina missa Glycerii,

*) Ejusdem ibidem.

IV, 2 adest, Pamphili fidem implorans, ne Glycerium suam deserat. Pamphilus fidem dat. Davus aliud consilium de nova fraude invenit, quod ut exsequi possit, et Pamphilum et Charinum abire jubet. Etiam Davus aliquantisper a scena abest, Glycerii domum ingressus. IV, 3 Mysis sola secum loquitur de inconstantia amatorum et de miseriis herae suae. Haec dum conqueritur, Davus exit e domo Glycerii, puerum, filium Pamphili, auferens. Eum Davus Mysidem ad januam aedium Simonis apponere jubet IV, 4. Dum haec instituunt, Chremes, qui III, 4, 15 *domum modo iverat, ut apparari diceret*, revertitur, Simoni nunciaturus, facta esse, quae opus fuerint ad nuptias IV, 5. Miratur, quid puer sibi velit ad januam generi futuri appositus, idque dum sciscitatur, Davus de foro se redire simulat, et altercatione cum Myside ad speciem habita efficit, ut socer omnia audiat, quae de partu Glycerii facta erant, et fidem eo majorem auditis habeat, quo magis rixam de parte Mysidis veram fuisse appareat. Iratus Chremes et certus consilii Simo quaerit an intus domi sit? Davus cum Myside in scena remanet, laetus animo, quod instituta fraude id assequutus sit, quod assequendum sibi proposuerit, et nuptiae impediverit quominus hohodie fiant.

Inde IV, 6 — — — *Catastrophe* est i. e. *conversio rerum ad jucundos exitus, patefacta cunctis cognitione gestorum.* *)

Simo anxius animo erat, quod Chremes filiam in matrimonium dare noluit; Chremetis filia a sponso spreta linquebatur; Davus ad tempus quidem heritem filium ab iniquis nuptiis liberaverat, sed egebat consilio ad id, quod postea futurum esset; Pamphilo filius natus erat, eumque, quantumvis licet vellet, agnoscere nequibat, etiam atque etiam verens, ne in alienas nuptias in posterum detruderetur; Charinus tam misere ad Pamphili matrimonium destinatam puellam amabat, ut etiam minimum temporis spatium, quod spei suae adjiceretur, in lucro poneret; Glycerium, quae tantas turbas movebat, post partum aegra domi tenebatur, et quum Pamphilum, frustra exspectatum, non advenire sentiret, incerta, illius de fide desperaret speraretne, dolore cruciabatur (IV, 2, 1 sq.).

Quis animum filiae amatae et dignae, quae amaretur, confirmabit? Quis Pamphilum inviso matrimonio, quod ipse etiam spoponderat, eripiet eumque rectius ducendae restituet? Davus qua fraude facta fraudes suas corriget, et pericula undique sibi imminentia dispellet? Charinus quonam consilio ad expetitum matrimonium perveniet? Chremetem, Simonem quis de irritis factis propositis consolabitur?

*) Donati.

Repente hic nodus tam impeditarum rerum solvitur et ipsius Chremetis filiam Glycerium esse cognoscimus.

Davus cum Mysida dum adhuc ante aedes Simonis colloquitur (IV, 5); Crito ex Andro peregrinus advenit, ut ejus puellae, cujus obitus I, 1, 78 narrabatur, bona occupet, quae hereditatis lege ad eum pervenerant. Ejus domum quum in vico Athenarum investiget IV, 6, qui simul et aedes Simonis et domum Chrysidis, mortuae puellae, habebat, in Mysidem incidit, Glycerii ancillam, quae in Andro insula eum cognoverat, et ab ea agnoscitur. Critonem et Mysidem Davus colloquentes audit eosque domum Glycerii sequitur, intra quam sermones eorum intercipit.

V, 1 Chremetem conspicimus, qui post IV, 5, 50 e scena domum Simonis discesserat, in scenam domum exeuntem et Pamphili nuptias cum filia sua Simoni altero loco recusantem. Ii dum foras adhuc loquuntur, Davus V, 2 vicina domo Glycerii egreditur, de interceptis nunciis triumphans, et Simo miratur, qui fiat, ut hac de domo Davus exeat. Interrogatus Davus ad dominum se excusat, una cum Pamphilo domum illam se intravisse dicens; id quidem mentitus, quod una cum Pamphilo intraverit (cf. IV, 6, 24), tamen Pamphilus post IV, 2, 25 ibi aderat. Pamphilum quum ibi adesse dixerit, inimicitiarum a domino commonefit, quas inter Pamphilum et Glycerium servus esse simulaverat. Ad id quidem Davus parum respondet, sed senem domi Glycerii adesse dicit, qui se scire dicat, Glycerium civem Atticam esse. Post quod Simo ira saevit. Servum vinctum in carcerem deduci jubet ipse domum Glycerii adit et Pamphilum inde evocat.

In scenam evocatus Pamphilus V, 3 primum cum patre altercatur, hospitem adesse dicens, qui civem Atticam Glycerium esse contendat. Postremum vero, Chremetis patrocinio adjutus, id a patre impetrat, ut ad hospitem arcessendum dimittatur.

Crito Andrius V, 4 statim paratus est, testis Pamphilo adesse, et Chremetem Simonemque convenit. Chremes illico Andrium esse Critonem meminit, et veterem amicum salutat. At Simo fervet ira, quod civem Atticam peregrinus Glycerium esse contendat; opera Chremetis sedatior factus rem narrari sinit.

Phaniam Rhamnusium (Rhamnus autem in Attica sita erat), hospes narrat, olim naufragium fecisse et ad Andrum insulam ejectum esse. Ibi eum mortuum esse. Puellam autem post mortem eum reliquisse, quam non suam, sed fratris filiam esse diceret. Eam a Chrysidis, defunctae puellae, patre, qui Critonis frater (IV, 6, 6) fuerat, educatam esse.

Phania Rhamnusius frater fuerat Chremetis. Is bellum fu-

giens ex Attica profugerat, et una secum Pasibulam, fratris filiam asportaverat. In Asiam navigare voluerat, ubi Chremes et ipse tum temporis aderat. Navigans autem naufragium fecerat, et in Andro insula mortuus erat. Id ipsum ex Andrio nunc primum Chremes cognoscit. Glycerium suam esse colligit, sed nomen miratur, quod Glycerium sua Pasibula facta sit. Hic quoque error detegitur, nec quid amplius obstat, quin Chremes suam filiam reperiat, pro Philumena Pamphylus Glycerium ducat, Simo in opulento matrimonio filium collocet, et Davus e carcere liberetur. Nemo non consilium suum assequutus, nemo non gavisus est. Charini quoque res in tranquillo ponitur; Philumena Charino nubit. Crito hereditatem Chrysidis adire potest. Laetantes patres, laetantes filios, laetantes filias, servos extrema fabula conspicimus laetantes.

Tria sunt, quae aestimator Gallicus*) ad fabulam scribendam imprimis pertinere dicat: nodus erroris et periculum Comicum argumenti descriptione quomodo fabulae injiciatur; mores hominum quomodo adumbrentur, ornatusque qui adhibeatur ad inventa spectatoribus commendanda.

Unaquaque parte poëta lectoribus suis satisfacit.

Primum ita instituta est fabula, ut post primam scenam lectores aeque atque Simo, Chremes, Sosia aliquis, quid sibi fabula velit, cognoverimus, nec minus exspectatione erecti ad reliqua, quae instent, animos nostros intendamus: Simo an filium objurgandi occasionem nanciscetur? Pamphilus utram puellam ducet? Chremes filiam suam quo in matrimonio locabit? quibusnam quisque artibus consilia sua assequentur? Post augetur etiam rerum et consiliorum perturbatio. Davus callida heri consilia callidiori consilio assequutus est et irrita reddidit. Quas nuptias filium suum Simo recusaturum esse putaverat, eas filius addicit, itaque, certa omnia quae fuerant, efficit ut incerta sint. Simo non objurgabit filium, quod sibi proposuerat, sed pro simulatis veras nuptias aget; Chremes non retinebit filiam, sed in justo matrimonio cum Pamphilo eam collocabit; Charinus non habebit Philumenam, quum ipse Pamphilus eam, secus atque promiserat, ducat; spreta Glycerium relinquetur, quamvis gravida e Pamphilo facta sit, et spem susceperit, fore, ut, quidquid pepererit, a Pamphilo tollatur; Pamphilus, qui matrimonium cum Philumena ineundum vitare volebat, jam in id ipsum tantum non incidit, et quidem Davi consilio usus, quo simul cum nuptiis altercationem patris ut effugeret, in animo habebat. Da-

*) Diderot de theatro p. 274.

vus et herum et herilem filium fefellit; ut fraudem fraude corrigat, puerum modo a Glycerio partum ante ipsius Simonis aedes apposuit, et Chremetem a nuptiis jamjam futuris deterruit. Simo a nuptiis etiam apparatis impeditur; Chremes pro filia sua neminem generum habet; Davus vinctus in carcerem conjicitur, ut fraudum suarum poenas pendat; Pamphilus ex ipsa domo Glycerii ab irato patre evocatur et ultima timet.

Tantae turbae facillimo negotio et commodissime Critone arcersito sedantur.

Nihil amplius obstat, quin omnibus satisfiat. Chremes recuperat filiam, quam multo ante periisse putaverat, et, quid de fratre factum sit, nunc primum audit; Pamphilus Glycerium suam possidet, non amplius id nolente patre, quum matrimonium nunc cum cive Attica fiat, et avaritiam Simonis dos Chremetis expleat; Charinus Philumenam nanciscitur; Simo nuptias celebrat sibi non amplius invisas et filio suo tantopere expetitas; Davus solvitur; Crito quoque, quod poëta reticuit, jam non *haut auspicato huc se adtulit* (IV, 6, 12); sed postquam Glycerium parentes suos reperit, Chrysidis opes hereditate occupat, quas, ut haberet, advenerat.

Nonne descriptione fabulae Terentius satisfacit? „In I Actus prima scena haec virtus est, ut argumenti narratione actio scenica esse videatur, ut sine fastidio longus sermo sit ac senilis oratio.“ *) In tertia scena Actus primi „argumenti partem Davus narrabat, sed non credebat, futura esse, quae dicebat, ut superesset locus errori;“ quo artificio prudentissime id effectum est, ut animi spectantium magis etiam intenderentur. Postremum Glycerii agnitione fabula facillime ad exitum perducitur.

Tamen a Gallico scriptore artis poëta his verbis vituperatus est: „Quid subtilius esse potest, quam ea ratio, qua in Andria Terentius amores Pamphili et Charini implicuit? Id tamen num sine detrimento fecit? Nonne in alterius Actus initio novam fabulam nobis ordiri videmur? Quintusque Actus num satis graviter concluditur?“

Id judicium non omnino abs re quidem latum esse censemus; caeterum de Charini et Byrrhiae personis argumento additis Donatus poëtam satis excusasse videtur, ita dicens: „Has personas Terentius addidit fabulae, nam non sunt apud Menandrum, ne τραγικώτερον fieret, Philumenam spretam relinquere sine sponso, Pamphilo aliam ducente.“ **)

Inter personas hujus fabulae, quarum mores eximii sunt, Simonem, Davum, Critonem habemus.

*) Donati.

**) Donatus ad Andr. II, 1.

Simo senex est multam gravitatem prae se ferens, lubenti animo beneficia a se in alios collata recenset; gaudet, quum a suis sibi metui videtur. Ei eos sermones et ea consilia Terentius tribuit, quae ab ejusmodi natura exspectari possint. In prima scena primi Actus suam ipse prudentiam laudat, quantas curas de filii salute susceperit, demonstrat; filium quam bene institutum habuerit et quam prudenter opulento ejus matrimonio providerit, significat. Attamen quantus sui ipse laudator sit, senem eum esse avarum cognoscimus et qui saepe a suis fallatur.

Davus heri consilia etiam ante occupat, et, cum herili filio contra patrem clandestina conjuratione conjunctus, omni modo patris voluntatem fraudibus suis impedit. Veterator catus est, qui, quamvis serviat, servili tamen calliditate sua et patri et filio, neutro sciente, aliquando imperat, et dum utriusque consiliis opitulari videtur, suum ipsius tantum commodum respicit, utrumque ad suam voluntatem cogens. Simo imperare videtur, saepe obediens; Davus servire videtur, saepe imperans. quo magis illius stultitiam, hujus vafritiam ridemus.

Crito civis est mediocri morum probitate, qui aequitate et justitia tam diu utitur, quam diu utilitatem ea non oppugnat, Athenas adveniens, ut Chrysidis bona hereditate occuparet, Glycerium tamen ex eorum possessione expellere non vult, primum, quod, lites peregrinum Athenis sequi, parum a se prudenter fieri existimat; secundo, at postremo, loco, quod ipsius Glycerii eum misereat. A Pamphilo V, 4 ad auxilium vocatus statim paratus est, testis adesse; nam

una harum quaevis causa, inquit, *me ut faciam monet,*
Vel tu, vel quod verum est, vel quod ipsi cupio Glycerio;

quartam causam, quae et ipsa fortasse ejus voluntatem aliquantum direxerit, reticuit, quod, si parentes suos Glycerium invenerit, Chrysidis hereditatem ipsi adire licuit.

Reliquorum mores ita notati sunt, ut supra eos a veteribus poëtis Comicis notari diximus.

Inter virtutes Comicas tertius erat ornatus adventicius, a poëta nostro non parce adhibitus. Ornatum adventicium intelligimus, qui praeter artificium descriptionis fabulae illecebris minutioribus et facetiis additis fit. Donatus ad I, 4: *οἰκονομία* est, ut arcessatur obstetrix et conveniatur Pamphilus; facetia scribentis in his verbis est, quod Archylis compotricem potissimum adduci jubet.“ Inter has facetias sive ornatum adventicium habemus quoque II, 4, 3:

Venit meditatus alicunde ex solo loco.

Pauca verba sunt; sed nihil aptius inveniri potuerit ad fastum senis deridendum, qui, ut magnus aliquis suis hominibus esse vi-

deatur, austeram gravitatem prae se fert, et philosophi alicujus speciem simulat, in solitudinem et desertum abiens secumque deliberans. Quo magis doleo, quod hoc lineamentum e Menandro depromtum videatur, quum ille scripserit:

Εὑρετικὸν εἶναί φασι τὴν ἐρημίαν
οἱ τὰς ὀφρῦς αἴροντες.

v. Meineke Menandri et Philemonis Reliquiis p. 20. Eudocia p. 295: *εἰς τὴν ἐρημίαν ἀναχωρεῖν (φασὶν) οἱ φιλοσοφοῦντες, ἧς χωρὶς οὐδὲν σεμνὸν εὑρίσκεται, κατὰ τὸν κωμικόν.*

Huc referimus quoque III, 1—2. Ibi adventus obstetricis, quae in pariendo adsit, partus Glycerii et post partum profectio obstetricis e domo Glycerii narratur. Sed ita de tempore lectores fallimur, ut nemini incredibile videatur, tria illa in hoc momento temporis fieri potuisse. Artificium autem, quo usus Terentius id effecit, in eo cernitur, quod trium illorum vero quidem tempore non servato, servavit tamen veram rationem, qua tria illa tempore inter se referuntur. Verba versus quintidecimi

Iuno Lucina fer opem, serva me, obsecro,

quibus ipsius partus tempus declaratur, a versu nono, ubi adventus obstetricis ad ipsam domum Glycerii indicatur, et a III, 2, 1, ubi obstetrix post partum e domo Glycerii abitura est, ita distant, ut aequabili ratione tempus deminutum sit, quo et adventus et partus et post partum profectio obstetricis narretur; unde fit, ut verum tempus, quo tria illa fieri potuerint, cogitatione nostra obliviscamur.

Omnino in hoc loco, in quo de facetiis hujus fabulae agitur, omnia illa minutiora artificia recenseamus, quibus factum est, ut paucissimis aliquando verbis sententiae et sensus elegantissimi insint, e. c. conclusionem hujus fabulae plenam cavillationis. Pamphilo postquam Glycerium, Charino postquam Philumena certa erat, restabat non injucunda pars eorum, quae post sponsalia fieri solent. Id servus servili scurrilitate cavillatur:

Intus transigetur, si quid est, quod restet. Plaudite;

e quibus verbis non minima vis ridiculi sensum excitandi in illo dubie dicto *si quid est* latet.

Servi arrogantiam, qui sibi magnum aliquod incrementum in rebus domini esse videtur, sollertissime Terentius praeter alia in his verbis V, 2, 1—2 notavit:

Animo nunc jam otioso esse impero — — —
— — — meo praesidio atque hospitis.

Omni sua calliditate abusus, nihil tamen Davus effecerat, nisi quod et hero et herili filio maximas turbas concitaverat, de quibus mox ipsi Davo poena luenda fuerit, nisi Crito advenisset.

Ita Critonis adventu, quem nemo praevidere potuerat, unice servatus, tamen *animum tranquillum* esse jubet, primum *sui ipsius praesidio*, altero loco praesidio hospitis itaque etiam verborum ordine majorem partem suae salutis sibimet ipsi vindicat.

III, 2, 14:

Saltem accurate, ut metui videar certe, si resciverim,

fastus senilis;

V, 3, 32:

Pro peccato magno paulum supplici satis est patri,

imbecillium patrum facilitas ignoscendi filiis ridetur.

V, 2, 16:

Tristis severitas inest in voltu,

Davus prudentissime inter causas refert, cur Critoni hospiti fides habenda sit.

Quae restant et ipsi tirones invenient, et universe quidem de vita et scriptis Terentii supra dicentes attigimus.

Edita est fabula, quod titulus docet, M. Marcello Cn. Sulpicio Coss. Is annus erat U. C. 586 a. Chr. 168. Proximo ab eo anno L. Aemilius Paulus de Perse, rege Macedoniae, devicto triumphaverat, postquam Romani triginta paulo amplius annis et Italiam ab hostili Hannibalis incursione liberaverant, et Hispaniam, Africam, Graeciam, Asiam imperio suo subjecerant. Nam U. C. 551 a. Chr. 203 Cn. Cornelio Lentulo P. Aelio Paeto Coss. pax cum Carthaginiensibus post bellum Punicum secundum his conditionibus composita fuerat, ut *exercitus ex Italia et Gallia* Carthaginienses *deducerent: Hispania abstinerent: insulis omnibus, quae inter Italiam et Africam sunt, decederent* (Liv. XXX, 16). U. C. 556 a. Chr. 198 L. Furio M. Claudio Marcello Coss., pace Philippo data, *omnes Graecorum civitates, quae in Europa quaeque in Asia erant*, nomine quidem „libertatem" nacti erant; re vera in ditionem Romanorum venerant (Liv. XXXIII, 30). U. C. 563 a. Chr. 191 M. Fulvio Nobiliore Cn. Manlio Vulsone Coss. Antiocho quoque, regi Syriae, ex Asia quae cis Taurum montem sita est, decedendum fuerat, ut eam partem vel Romani, vel Eumenes, rex Pergami, eorum socius occuparet (Liv. XXXVII, 55). U. C. 585 a. Chr. 169 Q. Aelio M. Iunio Coss. post Persen ad Pydnam victum vivumque captum, *Macedonas atque Illyrios liberos esse*, sed Romanae gentis obnoxios, placuit (Liv. XLV, 18). Ita res Romana dum opibus et potentia augebatur, et his victoriis vires colligebat ad summum interitum Carthagini parandum, P. Terentii prima fabula spectabatur. Mirum, quod Afro a diis destinatum fuerat, Romanum populum comoediis suis interea oblectare!

Acta est fabula M. Fulvio et M'. Glabrione aedilibus Curulibus. Ii Andriam emerant, et suo sumtu populo ad spectaculum proponendam curaverant; quare operae pretium est, accuratius, si fieri possit, cognoscere, qui fuerint, a quibus poëtae ingenium primum adjutum fuerit.

Homines eos non ignobiles fuisse, ipse titulus, quem prae se ferunt, Aedilium Curulium indicio est. Aediles Curules primum e patriciis juvenibus (Liv. VI, 42. VII, 1), post etiam e plebejis fiebant, *illisque ad honoris amplioris gradum is primus adscensus erat* (Cic. Leg. III, 3). Quare ita pleraque eorum munera comparata erant, ut magni quidem curantibus constarent, sed multum eadem ad populi favorem impetrandum conferrent. Ab aedibus publicis, quas curabant, nomen Aedilium invenerant; sed iidem praeterea Cereri, Libero, Liberae et ludos Romanos Iovi, Iunoni et Minervae (Cic. Verr. II, 5, 14) suo sumtu instituere debebant, quos quo magnificentius ederent, eo magis populo placebant.

Ad ludos scenicos ornandos factum est, ut M. Fulvius et M'. Glabrio Andriam emerint.

Ex his de M. Fulvio, quis fuerit, nihil, quod sciam, constat; M'. Glabrio M'. Acilius Glabrio Balbus fuisse videtur, qui U. C. 571 a. Chr. 181 aedem Pietatis in foro olitorio dedicavit, et statuam auratam, quae, prima omnium in Italia statua aurata erat, patri Glabrioni posuit (Liv. XL, 34). Est autem gens Acilia etiam nummis suo nomine excusis nobilitata (Beger Thesaur. numismatum Brandenburgicus II p. 530), ejusque gentis Manius, non Marcus praenomen esse solebat (Drakenborch ad Liv. XXX, 40 § 9), quare in hoc quoque Andriae titulo M'., non M. meliores editiones habent.

Neque plura nec certiora de caeteris Aedilibus Curulibus, qui, reliquae fabulae populo ad spectandum ut proponerentur, curaverunt, cognovimus, quum Livii opera in cognitione rerum his annis gestarum destituamur, et nominum similitudo facillime in errorem inducere possit. Quare iis recensendis supersedebimus, praeter Q. Fabium Maximum et P. Cornelium Africanum, qui ad ludos funebres L. Aemilii Pauli Adelphos et Hecyram Terentii emerunt, et satis noti sunt. Ii filii erant L. Aemilii Pauli, qui Persen vicerat; sed alter in Fabiam, alter in Corneliam gentem Scipionum adoptati (Plut. vit. Aemil. Pauli c. 5), hic Carthaginem et Numantiam evertit (Plut. Aemil. Paul. c. 22) et P. Scipionis Aemiliani Africani nomine insignis est, ille Q. Fabius Maximus Aemilianus propter patrem Aemilium dictus, U. C. 607 una cum L. Hostilio Mancino consul fuit, et copias contra Viriathum Lusitanum duxit.

Egerunt L. Ambivius Turpio, L. Atilius Praenestinus.

L. Ambivius Turpio, L. Atilius Praenestinus et Minutius Prothimus (Didasc. ad Adelphos) praefecti gregibus histrionum erant, qui Terentii fabulas agebant.

L. Ambivius Turpio saepius quidem a scriptoribus veteribus, e. c. a Cicerone de senect. c. 14, ab auctore dialogi de causis corruptae eloquentiae c. 20 laudatur, sed nihil praeterea de rebus ejus privatis et vita adjicitur. Reliqui ne nominantur quidem. Tamen histriones quanta populi Romani studia etiam ante Terentii aetatem arte sua excitaverint, partim ex prologo Amphitr. Plauti supra (p. 191) laudato, partim ex prologo Poenuli ejusdem poëtae, qui similis fere argumenti est, cognoscimus; post ea studia etiam aucta esse ex Macrobii Saturnal. II c. 7 et 10, item ex Ciceron. Ep. ad Divers. VII, 1 discimus, ubi favore et divitiis Aesopos, Pylades et Hylas a potentibus Romae viris cumulatos esse legimus.

At fabulae non ferme quotidie, quod nunc in nostris urbibus regiis fieri solet, a populo Romano spectabantur, sed per singulos annos semel bisve diebus maxime solemnibus ludi scenici edebantur, quum ne theatra quidem ab initio constituta manerent, sed ad tempus tantum exstruerentur.

Inde factum est, ut tituli quoque Terentianarum fabularum ludorum Megalensium, Romanorum et Funebrium, quibus quaeque actae sint, mentionem injiciant.

Ludi Megalenses in honorem Cybeles, magnae matris deum, quae U. C. 548 Romam advecta fuerat, instituebantur, et proprie scenici erant (v. p. 190). Ii ludi primum pridie Idus Apriles (Liv. XXIX, 14 ibique interpp.), post, quia in eum diem Cerealia incidebant, aliquot diebus rejecti, pridie Nonas ejusdem mensis (Ovid. Fast. IV, 179 sqq.) facti sunt.

A pridie Nonas ad pridie Idus Septembres *Ludi Romani* sive *Magni* fieri solebant. Asconius ad Orat. in Verr. Act. I c. 10: „Romani Ludi sub regibus instituti sunt, magnique appellati, quod magnis impensis dati sunt: tunc enim primum ludis impensa sunt ducenta millia nummûm. Alii ideo Magnos Ludos dictos putant, quod Conso, consiliorum secretorum deo, id est, Neptuno, laticum regi et rerum conditarum, et Diis Magnis, id est, Laribus urbis Romae, dati sunt: quibus ajunt raptas Sabinas esse, ut videatur propter hoc dicere Virgilius (Aen. VIII, 636):

— — *Magnis Circensibus actis.*

Nam et Magni et Circenses iidem sunt.“ Instituti fuerant a L. Tarquinio Prisco U. C. 138 a. Chr. 616 et a Livio saepius commemorantur c. c. I, 35. XXI, 9. XXXII, 27. XXXIII, 25. XXXVIII, 35. XXXIX, 7. Ab initio tantum circenses erant: U. C. 535 a. Chr. 199 Ludi Romani in circo *scenaque* ab Ae-

dilibus Curulibus, P. Cornelio Scipione et Cn. Manlio Vulsone, facti sunt. Dii Magni sive Lares urbis Romae, quorum in honorem hos ludos Asconius editos esse dicit, Iupiter, Iuno, Minerva erant; v. Cicer. Act in Verr. II, 5, 14.

U. C. 592 a. Chr. 162, postquam L. Aemilius Paulus obierat, Ludi funebres ei a Q. et P. Aemilianis edebantur (v. Plut. v. Aem. Pauli in fin. Freinshem. Supplem. Liv. XI, 43), in quibus Adelphi et Hecyra actae sunt. Ludi funebres inter ludos extraordinarios erant, et in funere summorum hominum ab amicis instituebantur, quod a P. Scipione Africano Majore U. C. 546 a. Chr. 208 in honorem P. Cornelii Scipionis, patris, et Cn. Cornelii Sc. Calvi, patrui, Liv. XXVIII, 21; a P. et M. filiis U. C. 552 a. Chr. 202 in honorem M. Valerii Laevini Liv. XXXI, 50; in honorem P. Licinii Liv. XXXIX, 46 factum esse legimus. Ibi munera gladiatoria et ludi scenici ad retinendum populum instituti sunt, dum pompa funeri decreta plene instruebatur. (Donatus).

Fabulae autem, quae in his ludis scenicis edebantur, non dicebantur, nec assa voce recitabantur, sed magnam partem tibiis cantatae sunt. Ars scenica, quum a Graecis ad Romanos homines transiisset, non potuit non Romae quoque multa Graecorum instituta tueri. Graeci vero antiquissimis temporibus integras tragoedias et comoedias suas et cantabant et saltabant *). Quare fuerunt, qui eas nostrarum fabularum, quae canticis constant et magnam partem cantari solent *(Opern)*, cum tragoediis et comoediis Graecorum compararent, nec ita temere omnino judicaverunt; sed id inter utrasque interest (nec parvi quid interesse videtur), quod in nostris canticis res musica imperat, servit rei gestae narratio, quae sonis musicis subjecta est. In fabulis Graecorum id secus erat. Quum musica Graecorum tum temporis quidem syllabatim tantum composita esset, ad unius tibiae sonum pronunciata verba omnino non obscurari poterant. Post etiam hoc imperium artis musicae deminutum est, et Novae Comoediae Graecorum quum audacior spiritus fractus esset: musica quoque et rarius et lenius spirabat. Inde factum est, ut *Diverbiis* et *Canticis* Romanorum Comoediae distinguerentur. *Diverbia* sermones fuerunt, qui inter plures in scena simul inibantur; ii unis histrionibus habendi relicti sunt: *Cantica* soliloquia fuerunt, quae, quoniam dolore commotos animos fere exprimerent, *cantu* pronunciabantur **). Cantica in Terentii fabulis haec inesse feruntur:

*) Genelli, das Theater zu Athen 1818 p. 105 sqq.

**) v. p. 190 et Godofredus Hermannus: De cantico in Romanorum fabulis scenicis dissertatio. Lipsiae MDCCCXI. (Opusc. I p. 290.)

In Andria:
I, 5.
IV, 1, 1—18.

In Eunucho:
II, 2, 1—35.
II, 3, 1—11 (?).
III, 5, 1—8.
IV, 1 (?).
V, 4, 1—18.

In Hecyra:
III, 3, 1 — 48.
V, 3, 18—42.

In Heauton Timorumeno:
I, 3.
III, 6.

In Adelphis:
I, 1, '3 — 52 (?).
II, 1, 42 — 54.
III, 2, 1 — 21.
IV, 4.
V, 2.

In Phormione:
II, 3, 1—16.
IV, 6, 1—11.*)

Cantica certe, nisi plura, etiam in Romanorum comoediis ad tibiae modos agebantur. Quare tibiarum nomen in titulis legimus.

„Tibiae aut Sarranae dicuntur, quae sunt pares et aequales habent cavernas: aut Phrygiae, quae et impares sunt et inaequales habent cavernas. Ergo Phrygia *biforem dat tibia cantum*, dissonum, dissimilemque: non enim sunt pari modulatione compositae: ut enim ait Varro: *Tibia Phrygia dextra unum foramen habet: sinistra duo, quorum unum acutum sonum habet, alterum gravem.*" (Servii ad Aen. IX, 618). Tibiae Sarranae (v. Didascal. in Adelphos) tibiae Tyriae erant, et a Sarra, quae urbs Phoeniciae postea Tyros dicta fuit, nomen invenerant. Tibiae Sarranae pares erant; quare *tibiis paribus dextris et sinistris* in titulo Andriae circumloquutione dictum esse videtur pro *tibiis Sarranis*. Tibiae Phrygiae, quum impares essent, vel majores erant, quas digitis dextrae manus, vel minores, quas digitis sinistrae manus modulabantur. Dextrae tibiae succentivae (*bass*) erant, et virilibus cantibus concinebant; sinistrae incentivae (*discant*) erant muliebribus cantibus concinentes (Varronis de re rust. I, 2, 15). Terentii comoediae quum argumenta sua intra rerum familiarium mediocritatem continerent, simplicissimi concentus aequabilitas iis satisfacere potuit. Quare integrae comoediae vel ad has vel ad illas tibias agebantur, prout vel plura virilis, vel plura muliebris tenoris inerant, quamquam in omnibus et viri et mulieres agendo referebantur.

Sed etiam de his rebus adhuc dubitatio esse possit; nedum de iis, quae Salmasius ad Solini Polyhistora p. 84—87 fuse exposuit.

*) Godofr. Aug. Benedict. Wolff de canticis in Romanorum fabulis scenicis. Halae MDCCCXXIV.

Modos fecit Flaccus Claudi, quem tam parum novimus, ut alii eum Claudii filium, alii Claudii libertum fuisse dixerint.

Est tota Graeca i. e. vel palliata est, Graecorum hominum mores referens, vel tota a Graeco poëta petita, et quum in reliquis titulis poëtae insuper nomen additum sit, Graecus potissimum fabulae auctor eo declaratus esse videtur, ut fabula Romanis ita commendaretur. (cf. p. 194).

ANNOTATA IN ANDRIAM.

Prol. v. 2. Vid. de versib. Terent. p. 221 in fine.

I, 1, 4. *ars.* Simo et Sosia senes sunt, quorum quisque de altero praeclare sibi meruisse videtur, libertus de patrono prudentia sua, patronus de liberto beneficentia sua; attamen patronus de *arte* libertum, libertus de beneficiis (15 — 46) patronum tacere malit.

11. Bentlejus: *et tamen;* sed in dissertatione de Bentleji editione Terentii (v. praefat.) Hermannus cum multis confutat, vel *attamen*, vel *tamen* legendum esse dicens.

13. *hic* in fine versus a Bentlejo additum est, ut legentes scirent, qui transferens fuerit; Hermanno l. l. id additamentum improbante. Nam „recte pronomen (*hic*) omittitur, H. inquit, ubi res ipsa non sinit dubium esse, de quo sermo sit. Quare et hic isto additamento recte carebimus, et in Eunuchi prologo v. 31 ac Phormionis v. 4. Illud vero mireris, cur eam emendationem non fecerit in prologo Heautontimorumeni v. 11, ubi majorem videri potest offensionem habere haec omissio pronominis.“ Ipsi in hac editione additamentum semel tantum Phorm. prol. v. 4 delevimus; quoniam Bentleji recepta auctoritas aut aliquantum reverenda, aut argumentis editis et continuo certamine etiam levioribus in rebus impugnanda erat, quod parum utilitati operis conducere videbatur.

I, 1, 13. Intellectu difficiliorem lectionem praetulimus. *Haut muleto factum* ipse Donatus ad h. l. interpretatus est: *non damno, non reprehendo, non nollem factum.* Sed ea dicendi ratio quum inter rariores esset, inde factum est, ut in ejus locum, non dissimili verborum potestate, *haut muto factum* substitutum fuerit. Rarioris et nobis ignotae verbi *mulcto* potestatis vestigia quoque in Plauti Stich. III, 1, 19 latere videntur. Bentlejus non necessario et vix utiliter verba distinxit: *Sr. haut muto. So. factum gaudeo.*

25. *Liberius* quomodo pronunciandum sit v. de vers. Terent. p. 212; sed etiam sententia, quae verbo inest, Bentl. offenditur, et *libera* legi jubet. Frustra. *Libera* potestate vivendi nemo caret, nisi qui capitis damnatus est; *libere* vivendi potestatem nemo nanciscitur, nisi qui nemini paret; parebat autem adhuc filius patris voluntati: sed *aliquanto* tamen *liberius* vivendi potestatem idem nactus erat, quum ex ephebis excessisset, et in servi paedagogi custodia non amplius teneretur.

27. *prohibebant.* Bentlejus: „Scitum sane magistrum seu paedagogum! qui *prohibebat* patrem noscere filii ingenium.“ *Metus* non patrem, sed filium *prohibere* potuit; et *metus*, *aetas*, *magister* non a patre, sed a contagione vitiorum arcebant, quae periculum erat, ne filius imitaretur. Bentleji correctione:

Dum eum aetas, metus, magister cohibebant

non opus est.

34. *ut ne quid nimis.* Serv. ad Aen. X, 861: „Notant Virgilium Critici, quod homini sacrilego dedit prudentem sententiam: quam rem ratio naturalis excusat: ea enim, quae per naturam movent animos, in quamvis personam cadunt. Illa vero sunt tantum prudentum, quae non nisi ratione et consilio deprehenduntur: unde et Terentius servis dat plerumque sententias prudentissimas quidem, sed quae se per naturam offerunt cunctis, ut Andr. I, 1, 34 *Ne quid nimis.*“ Horum similia idem scripsit ad Eclog. II, 65. Donatus ad h. l. sententiam non incongruam servo esse judicat, quia pervulgata sit.

37 — 38. Verba: *advorsus nemini: Numquam praeponens se illis*, Bentl. delenda esse censet 1) quod neque Eugraphius nec Donatus in commentariis eorum mentionem fecerint; 2) quod iis verbis vix opus sit, quum reliqua verba ipsa sufficiant ad modestum et mitem animum juvenis declarandum, et ne versus quidem iis deletis detrimentum faciant. Sed ex silentio in neutram partem aliquid comprobari potest; quidnam interpretes ad haec illustranda vocabula afferre potuerint? Reliqua verba sufficiebant quidem ad sententiam enucleate proponendam; sed in laudando filio itaque se ipso laudando senilis loquacitas non linguae pepercit, et minus necessaria quoque larga manu addidit. Non magis continuationem verborum haec addita disturbant: *quum nemini advorsus, et, quibus se semel dediderat, iis numquam se praeponens esset.* Quare e sede sua expellere ea noluimus, et fortuitum esse putavimus, quod metrum iis carere possit.

56. *Habet.* Virgilius Aen. XII, 295 sq.:

Desuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur:
Hoc habet: haec melior magnis data victima Divis,

ubi Servius: „*hoc habet* i. e. lethali percussus est vulnere. Apud antiquos enim id erat *hoc habet*, quod nunc *peractum est*; sic

Terentius *certe captus est. hoc habet.*" Donatus ad n. l.: „*captus est* tenetur et irretitur, ex translatione ferarum atque venatus. *habet* proprie de gladiatoribus dicitur." cf. Plauti Mostellaria III, 2, 26. Rudens IV, 4, 99.

58. *habuit;* v. Mureti var. lectt. VI, 7.

72. Bentl.: *Quid verbis opus est? fáma hac inpulsus Chremes*, nam *famam* pondus habere et in arsi esse debere. Quod contra est. Non *fáma* impulsus veniebat Chremes, sed *hác fama* impulsus, quod Simo gnatum haberet tali ingenio praeditum. Quare is ordo verborum libris constat, idemque apud Servium est ad Aen. VII, 268.

92. Bentlejus contra auctoritatem omnium librorum mutavit: *Forma bona. So. fortasse* non insana quidem sententia, sed nimis arguta.

99. Antiquam lectionem retinuimus. Bentlejus: *Haec illae lacrumae;* nec dubium est, quin *haec* pro *hae* Terentio dicere licuerit, et *hoc illud, haec illae, haec illa* continuata verba gravius dicta sint, sed gravitate oratori, quam poëtae, nedum Comico, aptiore.

112. Serv. ad Aen. IV, 335: „*Quid commerui, aut peccavi, pater?* i. e. quid male egi?"

116. *fácias*, brevi prima syllaba, hic producitur, quia in ictu est; v. p. 220. *Dederit*, acuta ultima, propter interrogationem; v. p. 223.

134. *manibus pedibusque.* Ad celeritatem facinoris exprimendam melior fit oratio deleto *que* (manibus pedibus); ad copiam virium obnitentis exprimendam melior fit dilatata oratio addito *que*. Non de celeritate, sed de vehementia obnitentis hic agitur; quare *que* servavimus, invito quidem Bentlejo, sed libris assentientibus.

137. *quem quidem ego si sensero;* deest „moliri aliquid, poenas dabit." Ruhnk. Aposiopesis sive reticentia est. Aquilae Romani de figuris sententiarum et eloquutionis p. 147 ed. Ruhnken: „Aposiopesis, reticentia, quum intra nos supprimimus ea, quae dicturi videmur, quod aut turpia aut invidiosa, aut alioqui nobis gravia dicturis sunt, ut est Demosthenicum illud prooemium: *Non pari ego et adversarius periculo ad judicium venimus: sed mihi quidem. — Nolo quidquam initio dicendi ominosius proloqui.* Interdum etiam utimur hac figura, quasi ad alia properemus. Tale est Virgilianum (Aen. I, 135) illud:

Quos ego. Sed motos praestat componere fluctus."

ubi Servius: „Deficit hoc loco sermo, et congrue, quasi irati, et turbatae mentis. Subauditur *quos ego ulciscar:* ergo ἀποσιώπησις est; hoc est, ut ad alium sensum transeat, ideo abruptum et pendentem reliquit, ut alibi IX, 427 *Me, me, adsum*

— — —. Et necessario post tale schema *Sed* conjunctionem sequi, ut V, 195 *Quamquam o! sed.* Terent. Andr. I, 1, 137. His enim affectibus tantum sermonis defectio congruit."

142. *observare* est callide advertere Terent. And. I, 1, 142. Servii ad Georg. IV, 212.

I, 2, 12. „*Astus*, malitia: nam proprie astutos malitiosos vocamus: unde in Terentio And. I, 2, 12 postquam de domino dixit servus *astute*: ille iratus ait: *carnufex, quae loquitur?* Cic. Act. I in Verr. 11: *Ita fit, ut tua ista ratio existimetur astuta, meum hoc consilium necessarium.*" Servii ad Aen. XI, 704. „Hoc et gestu et vultu servili et cum agitatione capitis dixit." Don. ad h. l.

14—15. Davus, ab hero aversus, *Rumores serere*, ait, *id populo curae est;* post quod Simo, servum sua verba parum attendentem sentiens, *Hocine agis, an non?* iratus inquit, i. e. *ad id, quod hic dicens ago, num mentem tuam dirigere vis, necne? Equidem ad verba tua mentem meam dirigo*, Davus respondet.

33. *Bona verba quaeso* i. e. loquere meliora: noli putare te a me deludi posse. Loquutio sumta est a sacris, in quibus *bona verba dicere* est verbis, quae malum omen habeant, abstinere. Ruhnken in dictatis ad h. l.

I, 3, 8—9. Si herus senserit, me veram aliquam fallaciam in nuptiis struere, de me actum est; imo hoc ipsum etiamsi non senserit, sed si libido eum ceperit, aut causam aliquam vel veram vel falsam herus invenerit, quam praetendere possit: *aliquo jure, aliquave injuria* usus *praecipitem me in pistrinum dabit*, i. e. speciem aliquam juris vel nactus vel non nactus raptim me in pistrinum dabit. Bentlejus:

Si sénserit, perii, aút, quam lubitum fúerit, causam céperit,
Quo júre, qua me injúria praecípitem in pistrinúm dabit;

sed eam emendationem nulli libri confirmant, et ea ne opus quidem est. *Quo jure, quave injuria* dictum est pro *aliquo jure, aliquave injuria*, quemadmodum a pronomine *aliquis* priores syllabae saepius abjiciuntur, ut spatio verbi deminuto gravitas quoque verbi imminuatur. Majus aliquid audetur in numero versus noni constituendo: *cĭpĭtĕm m' ĭn pistrī;* id si cui displiceat, *me* ejiciat, quod a pluribus libris abest (cf. Miscellaneae observationes in auctores veteres et recentiores ab eruditis Britannis 1731 edi coeptae Vol. IV. T. I. p. 113 sqq.). Accuratior autem verborum structura, quam Bentl. habet, si quem delectet: is prave sentiat de eo, quod ad voluntatem dicentis declarandam aptum sit; quae voluntas, magis magisque periculum dicendo augens, quod immineat, interruptam potius, quam continuatam, orationem requirit.

21. *me ad forum;* deest *proripiam.*

I, 4. Bentlej. v. 1 p. *audio* p. audivi; *adduci?* p. adducam

v. 4, sed causis tam parum idoneis correxit, ut id non esse judicium existimem, quo poëta sibi restitui, sed quo imperiose in alium transformari possit.

I, 5. Canticum; v. Argumenti narrat. in fine.

1—2. Scaliger poëtices VII p. 861: „In scena quoque primi Actus quinta, quum Pamphili orationi intervenisset Mysis, atque suis uterque seorsum affectibus uteretur, versus interseruit diversos quoque poëta (v. p. 226 de vers. Terent.). Sic igitur sunt legendi:

Pa. Hocne ést humanum fáctum, aut incoeptum? Hóccine officiúm patris?

My. Quid illud est?

Pa. Proh deum átque hominum fidém! quid est si nón haec contumélia est?

sic enim etiam alio genere Mysis utitur iterum:

Miserám me! quod verbum aúdio?

cui respondet illud Pamphili:

Quod si fit, pereo fúnditus.“

7. Bentlej. *is mutavit, quia* — — „vide, quam venuste oppositio fiat. *Is* mutat, quia *ego* non muto.“ Minime. Non mutantes, sed mutata inter se h. l. opponuntur. *Suum consilium mutavit, quia me meumque morem immutatum videt.*

8. cf. de verss. Terent. p. 223.

10. Modi finiti (indicativus, conjunctivus) quatuor indicant, praeter *actionem* et *tempus actionis*, *agentem* plerumque persona, et, *qua quis rerum continuatione egerit*, modo suo. Infinitivus duo tantum indicat, *actionem* et *tempus actionis*. Quare Romani dupliciter eo praeter nostrae linguae consuetudinem usi sunt: primum ad summam festinationem, qua aliqua res agatur, tamquam aliqua imagine exprimendam; secundo loco ad summam perturbationem, qua animus alicujus commoveatur, declarandam. Inde et infinitivus, qualem hic habemus, et infinitivi historici, quos vix pejus, quam *coepi* intelligentes, interpretari possimus, fluxerunt, et hac potestate sua infinitivus inter modos accusativi inter casus haud dissimilis est, quo casu Latini similiter usi sunt, ubi in exclamationibus nil praeter sensum suum, spreta continuatione rerum, declarare volebant. Phorm. II, 2, 22: *hujus patrem vidisse me.* cf. ad Hecyr. III, 1, 33 annotata.

39. *eductum* pro educatum; ut V, 4, 8. Heaut. I, 3, 14. Varro apud Nonium ed. Gothofredi p. 736 s. v. *educit et educat* fragmentor. p. 319: *educit obstetrix, educat nutrix, instituit paedagogus, docet magister.* Tamen „*educere* saepius pro *educare* Livius et alii optimi scriptores usi sunt, quod passim librarii indocti mutarunt.“ Drakenborch ad Livii XXI, 43, 15. Taciti Annalium I, 4. 41. VI, 15.

52. *utiles;* prius legebatur *inutiles.* Sed quum ipse Donatus testis sit, etiam sua aetate fuisse, qui *utiles* legerent: Bentlejus merito hanc lectionem revocasse videtur. *Quam utiles* i. e. quantum utiles, urbane dictum est pro *quam parum utiles.*

II, 1, 9. Aeschyli Prom. v. 263:

ἐλαφρὸν, ὅστις πημάτων ἔξω πόδα
ἔχει, παραινεῖν νουθετεῖν τε τοὺς κακῶς
πράσσοντας, id est:

Haud difficile est, pars nulla quem attingit mali,
Monere eos ac corripere, qui miseriis
Urgentur. Mureti var. lectt. I, 9.

24. *ne* id est *nae*, ut Eun. II, 2, 54. Heaut. I, 3, 5. 10. IV, 4, 21. Adelph. IV, 2, 1. And. V, 4, 36.

II, 2, 20. Donatus ad h. l: „*Nusquam.* Deest *vidi.*" Reticentia (Aposiopesis) est a servo loquente vultu et habitu corporis expleta.

30. *opinor, narras?* i. e. opinor, dicis? Davus pro comperto habet, non apparari nuptias. Pamphilus: „non, *opinor*" dicebat, at *opinari* saepe falsum est. Quare Davus: *opinor, dicis?* II, 6, 3: *Quid Davus narrat?* i. e. dicit. IV, 4, 13: *Nescio, quid narres.* V, 6, 6: *narras probe.* Horatii Satyr. II, 7, 4 sq.:

Age; libertate Decembri,
Quando ita majores voluerunt, utere: narra,

ubi *narrare* pro *dicere,* sed significatione quadam insuper addita, quam interpretari nescio.

33. *ac nullus quidem;* deest: *liberatus es?* i. e. mea quidem opera *minime* (Priscian. I p. 626) liberatus es; ill coque rationem reddit, quamobrem non liberatus sit, nam inde, quod Pamphilus Chremetis filiam in matrimonium non ducat, non sequi, ut Charinus statim eam uxorem habeat.

II, 3, 22. *inveniet;* intellige: *aliquis,* qui uxorem non dabit. *nemo* i. e. *non aliquis* dimidiata sua potestate distinguendum indeque *aliquis* ad *inveniet* eliciendum est; ita ut haec sententia sit: Tibi ita morato non aliquis filiam suam in matrimonium dabit; inveniet aliquis inopem sibi potius generum, quam ut a te filiam suam corrumpi patiatur.

te corrumpi i. e. *per te, a te;* sed neutra dicendi ratio ad subtilem irrisionem declarandam suffecerit, quae in ablativo instrumenti, qui hoc quidem loco de homine dicitur, inest. Sextus enim casus, ubi per se ponitur, non hominem, *per quem* sive *a quo aliquid fiat,* sed instrumentum indicare solet, quo alius quis armatus aliquid faciat. Davus igitur quum *te corrumpi* dixerit, herilem filium humana dignitate quasi exuit, tamquam si virus sit, quo adhibito nemo pater filiam suam necaturus sit.

23. *si accipiet* i. e. si pater accipiet. Donatus scripsit: „*In-*

veniet (22). Sunt qui κατ' ἀνθυποφοράν dici putant: *inveniet inopem*" i. e. per subjectionem sive eam dicendi formam, qua orator sententiam adversarii praeoccupat (Ernesti Lexicon technologiae Graecorum rhetoricae); ita ut haec sententia sit: Quod autem ad id attinet, quod mihi objicere possis, Pamphile, patrem tuum inopem potius filiam ad matrimonium tuum inventurum esse, quam ut te (quarto casu) corrumpi sinat meretricem amantem — utut sit, *si te* — —. Ruhnkenius tamen ita hunc locum interpretatus est: Spem, qua tu niteris (neminem tibi his moribus praedito sive meretriciis amoribus irretito uxorem daturum esse) *facile propulsabo* i. e. refellam. Chremes enim etiamsi suam filiam non dederit; tamen pater tuus inopem potius tibi uxorem inveniet, quam ut te meretricio amore corrumpi sinat. Igitur unum contra hanc rem remedium relinquitur, ut patrem negligentem facias.

24. Bentl., non libris, sed sagacitate sua confisus scripsit *aliam* i. e. uxorem *otiosus quaeret*. *Alia* vero quum ad plura, quae *otiosus* quaesiturus sit, pertineat, quam *aliam*, et dicentis consilii intersit, ut quam plurima, quae pater, semel otiosus factus, prius quam filio uxorem quaerat, agat, declarentur, ad Pamphili animum securitate augendum; *alia* restituimus. Tamen Erasmus quoque *aliam* habet.

II, 4, 5. *Qui differat te* i. e. turbet et transversum agat. *differre* i. e. in varias partes ferre et ita perturbare, ut, quid agas, nescias. Plauti Pseudolus I, 3, 125: *jam ego te differam dictis meis, impudice.* cf. Aulularia III, 2, 32.

II, 6, 10. *Nosti.* Bentlejus interrogationis signum recte addidit. At illud quanto efficacius est, si illud verbum non Davo, sed Simoni tribuimus! Simo quum nuncium exoptatissimum e Davo audiat, post biduum vel triduum Pamphilum meretricis vix recordaturum esse, admirationis et laetitiae plenus narrantem interrumpit interrogans: *Nosti?* Post Davus narrare pergit. Ita igitur verba distinguenda sint:

DA. Nihil hercle: aut, si adeo, bidui est aus tridui
Haec sollicitudo. S. nosti? D. deinde desinet.

17. Accentus a *set* in *ést* transferatur.

27. Ita hic versus apud Priscian. XII, 5 p. 554 scriptus est. *illic* i. e. in Davo. Serv. ad Aen. XI, 361: „*Caput.* Principium: et est antiquum: quia quivis auctor et princeps rei gestae *caput* a veteribus dicebatur. Terentius Andr. II, 6, 27: *Nam si hic mali est quicquam, illic huic rei est caput.* Plautus in Asinaria II, 1, 4: *Ego caput huic fui argento inveniendo.*"

III, 2, 1 — 4. Bacchiaci tetrametri acatalecti.

10. *facto opus esset* i. e. faciendum esset; v. not. ad Hecyr. III, 1, 47.

47. Donatus: „*Quid alias* pro cur alias, alio tempore.“ Bentl. legit: *Quando alias.*

III, 3, 4. Priscianus XVIII, 20 p. 177. Bentlejus tamen: *Ausculta: paucis et quid te ego velim et quod tu quaeris scies.*

7. Serv. ad Aen. XI, 537:

Quae coepta a parvulis cum aetate adcrevit simul.

29. *conjugio devinctum* ut Virgil. Aen. VIII, 394: *aeterno devinctus amore;* sed etiam in h. l. Virgilii perperam alii *devictus* scripsere; v. a Burmanno ad illum locum annotata.

41. *in me claudier* i. e. per me impediri, pervetusta positione p. *claudi.* Bentl. invenit: *commodum intercludier.*

III, 4, 2. Iambicus tetrameter hypermeter; v. de vss. Ter. p. 225.

III, 5, 4. *pretium* i. e. poenam, Serv. ad Aen. IX, 232.

8. Godofr. Hermannus de Bentleji editione Terentii: „Illud vero perperam, quod — — suo judicio Bentl. dedit: *nec quid me nunc faciám, scio. D. nec quid me, atque id ago sédulo.* Vulgo in Davi verbis: *nec quidem me.* Eleganter codex Lipsiensis: *nec quid nunc me faciam, scio. D. nec me quidem atque id ago sedulo.*“

18. *praecavere mihi me, haut te ulcisci sinit.* Hanc compositionem verborum Bentl. ferre nequibat. Nam quem umquam dixisse praecavere mihi me *sinit* p. *praecavere mihi me monet. Monet* igitur p. *sinit* substituit. Sed *sinit* ad *ulcisci* verbum proxime praecedens imprimis pertinet, eique uni accommodatum est, quamquam sententia sua etiam ad *praecavere* referatur, per ζεῦγμα, in qua figura unum ad verbum plures sententiae referuntur, quarum unaquaeque desideraret illud, si sola poneretur (Ern. lex. techn. G. rhet.). Hoc hodie satis notum est.

IV, 1, 1 — 18. Canticum est; v. Argumenti Narrat. in fine. Versus sunt primum Cretici tetrametri; v. p. 224; 11 — 12 trochaici monometri; 13 trochaicus dimeter catalecticus; 14 — 15 Bacchiaci tetrametri acatalecti. Ita Hermannus elem. d. m. p. 209 hos versus constituit. 16 — 17 trochaici tetrametri catalectici. 18 iambicus tetrameter, sed qui numerum non mutat; v. p. 225 sub finem.

16. *cum eo* quomodo pronunciandum sit, v. p. 219.

40. *interturbat* i. e. Davus in media re turbas ciet. Bentlejus id immerito delevit. Haec singulatim elata verba utilissima sunt ad summum aestum significandum, quo animus loquentium ferveat.

41. v. not. ad Phorm. IV, 3, 31.

45. Bentl. *quidni hoc consilium* i. e. *cur non hoc consilium*, lente dictum. Gravius dicitur: *quod, ni hoc, consilium* i. e. si omnes inimici invitum Pamphilum in nuptias conjectum vellent,

consilium ad voluntatem suam explendam utilius, quam hoc, quod tu, Dave, dedisti, invenire potuerint?

53. *manibus, pedibus.* nihilo minus I, 1, 134 *manibus pedibusque legendum erat;* vide, inter utrumque locum quid intersit.

59. Muretus in editione sua Terentii hunc versum ita constituerat: *D. Faciam. P. at jam hoc opus est. D. hem st' mane: crepuit a Glycerio ostium.* st' nota silentii. Erasmus: *D. Faciam. P. at jam hoc opus est. D. hem, sed mane; concrepuit a Glycerio ostium.* Bentlejus: *D. Faciam. P. at jam hoc opus est. D. set concrepuit hinc a Glycerio ostium.* Ipsi in veterrima librorum lectione constitimus, et saepe interruptam continuationem sermonis in animis ira et libidine ferventibus tam parum miramur, ut haec ipsa causa fuerit, cur hanc lectionem caeteris praeferendam putaverimus. *cerio ostium* legendum tamquam si scriptum fuerit *cerjostium*, ut *rjos* pro una syllaba sit.

IV, 2, 3. *mihi* una syllaba eaque longa pronunciandum, sed elisione neglecta. Bentlejus ut magis versus niteat corrigendo effecit: *P. Mysis. M. quis est? chem Pamphile, opportune te mihi offers.*

13. Serv. ad Aen. XI, 97 et III, 493.

25 — 26. *verum vis dicam? D. immo etiam narrationis incipit mi initium.* Haec verba aliquanto obscurius dicta sunt, sed omnis obscuritas dispelletur, quum formulae *verum vis dicam?* potestatem recte intellexerimus. *Verum vis dicam?* interrogatio narrationi prolixiori futurae praefabatur (v. Donat. ad h. l.). Davus, qui simul cum Pamphilo et ipsum Charinum discedere jusserat, Charinum, ad narrationem habendam ita praefatum, eludit, verbis quidem se cupidissimum audiendi fingens, re autem et gestu declarans, se potius abiturum esse, itaque significans, eam *narrationem*, quam ipse quidem imprimis institutam esse cupiat, abitionem esse. Igitur hic quoque locus inter eos habendus est, qui a gestu, a Terentio non adscripto, lucem suam petant.

IV, 3 — 4. Bentlejus cum aliis pluribus unam scenam, quartam, facit. Ipsi Schmiederi, Wolfii, exemplum sequuti scenas divisimus, quoniam hi versus a Myside, a discessu ad adventum Davi sola in scena remanente, dicti sunt.

5. Auctor de Tragoedia et Comoedia: „In scena duae arae poni solebant, dextra Liberi, sinistra ejus dei, cui ludi fiebant, unde Terentius in Andria: *Ex ara hac sume verbenas.*“ Donatus ad h. l.: „*Ex ara* sc. Apollinis, quem *Δήλιον* Menander vocat, aut quod Apollini Comoedia dicata est: in cujus honorem aram constituebant, comoediam celebrantes. Apollini ergo Comoedia, Libero patri Tragoedia.“

verbenae; v. Serv. ad Aen. XII, 120.

9. *Nova nunc religio in te istaec incessit.* Bentlejus: „Turpe mendum in omnibus libris inolevit: *In te incessit*, quasi praeteritum esset ab *Incedo*. At praesens tempus est ab *incesso*. Lege: *Nova nunc religio te istaec incessit cedo? Incessit* te *metus*, timor, *religio* etc. non *in te*." *Incessere saxis, telis, convicio aliquem* i. e. *lacessere* recte dicitur; *religio incessit*, id esset *lacessit aliquem*, vix dicere liceat. *Incessere* verbum frequentativum a primitivo *incedere* est, et petulantiae notionem frequentativa sua potestate primitivo adjicit. Igitur *incessit* ab *incedere*. Quem admodum in domum aliquam incedere dicimur, ita h. l. religio in Davum, tamquam in novam aliquam suam domum, incessisse dicitur. Et quamquam Livius XXV, 1 *tanta religio civitatem incessit* recte dixerit; in nostro tamen loco ne *in* quidem deleverim. Verba enim cum praepositionibus composita, quoties praepositionem suam iterant, primam et propriam suam potestatem retinent, neque se transferendo dicta esse indicant. *Religio in te incessit* i. e. religio in te, tamquam in novum suum domicilium, invecta est, salsius et majore vi comica dicitur, quam *religio te incessit* i. e. animum tuum occupavit. Quare cum caeteris libris in hoc quoque libro „turpe mendum" retinuimus, et mendi nos ne pudet quidem.

IV, 5, 6. *quid hominum litigant*, verbo pluralis numeri dicere licere, Nicolaus Heinsius ad Aen. X, 238 pluribus demonstravit. Hodie haec res satis nota est, ut vix demonstratione egeat.

15. *Male dicis* i. e. injuriosus es, verbis quidem (*dicis*) inquit, sed in ipsum ejus corpus injurias quoque illatas fuisse *au* v. 12 exclamans indicaverat.

50. Scaliger Poëtices VII p. 856: *Novi rem omnem. sed est Simo intus? est*, versu iambico trimetro brachycatalecto legit.

IV, 6, 10. Menander in Andria p. 22 ed. Meineke: *Ζῶμεν γὰρ οὐχ' ὡς-θέλομεν, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα.*

22. *antiquum obtines.* Hecyr. V, 4, 20: *morem antiquum atque ingenium obtines.*

V, 1, 11. Tria loca in antiquis libris sunt, in quibus eadem, quae hic, verbi *seditionis* potestas est: 1) Plaut. Amphitr. I, 2, 16:

Nam Amphitruo actutum uxóri turbas cónciet,
Atque insimulabit eám probri. tum méus pater
Eám seditionem in tranquillum cónferet.

2) Ciceron. ep. ad Att. II, 1 p. 126 ed. Bip.: *Ea* (soror) *est enim seditiosa: ea cum viro bellum gerit.* 3) Terent. Andr. V, 1, 11, quem ipsum locum ad interpretandum propositum habemus. Ipse Cicero *seditiosam* mulierem interpretatus est: *cum viro bel-*

lum gerentem; omnino ea dissensio, qua seorsum eunt vel cives vel conjuges alii ad alios, *se-d-itio* dicitur Serv. ad Aen. I, 149.

21. Donatus: „*nescio quid;* deest: *propter. Ac volui. ac* pro *contra quam.*“

V, 2, 16. Versus iambicus medius inter versus trochaicos. Herm. elem. d. m. p. 166: „Singulare est, quod saepe, ubi vel enumeratio aliqua multarum rerum, vel alia descriptio ponitur, mutari numerus solet.“ cf. de verss. Terentianis p. 226.

V, 3, 5. *confidentiam* veteres pro impudenti audacia dicebant ut Terentius And. V, 3, 5. Philargyrius ad Virgil. Georg. IV, 445.

11. *Sensti;* v. p. 212.

V, 3 — 4. Diderot de Theatro (Opp. T. III p. 343 sqq.): „Gestum dixi ad fabulam agendam pertinere; auctorem sedulo ei operam dare debere; qui si parum ei vel tritus, nec semper ante oculos positus sit: ne scenam quidem, quemadmodum id veritas postulet, neque inchoare, nec continuare, nec finire scire. Gestum dixi saepe pro oratione adscribendum esse.“

„Addo, quod integrae scenae sunt, in quibus multo sit verisimilius, agitari homines, quam loqui; idque argumentis probabo.“

„Humani nihil est, quin recte id in spectaculo collocetur. Atqui par hominum esse fingamus, qui parum certi, num alter sibi probandus, an improbandus sit, tertium aliquem exspectant, qui eos doceat. Isti, donec tertius ille adveniat, quid sibi dicent? Nihil. Ibunt, redibunt, impatientis sui animi speciem prae se ferentes, ne verbum quidem dicentes. Diligenter sibi cavebunt, ne quid dicant, cujus mox eos poeniteat. Haec res causam scenae praeberet, in qua praeter gestum vel nihil vel pauca essent, pluresque ejusmodi causae sunt.“

„Pamphilus una cum Chremete et Simone in scena est. Simo quaecumque filius dicit, mendacia esse putat levis adolescentuli, qui, si fieri possit, stulte facta excusare velit. Filius ab eo precatur, ut sibi testem dare liceat. Tandem ab hoc et a Chremete Simo permovetur, ut testem audire velit. Pamphilus it, ut testem quaerat; Chremes et Simo remanent. Hic quaero, quid se facient interea, dum Pamphilus apud Glycerium est, cum Critone colloquitur, rem ei exponit, dicit, quid ab eo exspectet, eique persuadet, ut secum eat, ut coram cum patre Simone colloquatur? Aut immotos eos et mutos opinari debemus, aut suspicari, Chremetem cum Simone colloqui pergere; Simonem vultu demisso, mento manu sublevato, modo sedato, modo irato animo eum audire, remque inter eos agi, quae omnis gestu transigatur.“

„Verum hoc hujus rei non unicum exemplum est, quod ab

hoc poëta praebetur. Quod genus: quid alter senum in scena agit, dum alter filio dicit, patrem omnia scire, patrem eum exheredaturum omniaque sua filiae daturum esse?" (Heautont. V, 2).

„Terentio si placuisset, gestum notare, omnis e nobis dubitatio expulsa esset. Verum quid refert, num eum notaverit, necne; hic quidem liquet."

V, 4, 30. Serv. ad Aen. II, 303. „Translatio ab animalibus, quae ad omnem sonum erigunt aures."

36. v. not. ad II, 1, 24.

V, 5. Ita Hermannus ex auctoritate codicis Lipsiensis hos versus constituit in Elem. d. metr. p. 176. Bentlejus eos praeter primum trochaicos septenarios fecerat.

EUNUCHUS.

M. VALERIO C. FANNIO COSS.

ACTA AB U. C. DLXXXXI. A. CHR. 163.

De artificio fabulae v. p. 195. sq.

De descriptione actuum Diderot de Theatro p. 303 sq. „Postulamus, ut actus aequales fere longitudine sint. Prudentius postularemus, ut pro ratione transigendae in actu rei actus continuetur.“

„Aequo longior erit, quicumque actus, a rebus gestis levis, sermonibus onustus est; brevis erit, cuicumque neque sermones, nec res deerunt, quae spectatorem detineant, ut non de tempore cogitet. Nonne diceremur ad clepsydram spectare? Haec in sensibus res agitur, ne tu loca et versus numeres.“

„Primus actus Eunuchi non amplius quam duas scenas habet, et parvum soliloquium; extremus actus decem continet [in editione Daceriae]. Verum uterque aeque brevis est, quod neque in hoc, nec in illo spectator otio languet.“

Donatus in Argumento Adelphorum Terentii: „In dividendis actibus fabulae identidem meminerimus, primo paginarum dinumerationem neque Graecos, neque Latinos servasse: quum ejus distributio hujusmodi rationem habeat, ut, ubi attentior spectator esse potuerit, longior actus sit: ubi fastidiosior, brevior atque contractior.“ Eadem Donatus repetiit in Argumento Hecyrae in fine.

ANNOTATA IN EUNUCHUM.

Prol. 1. *Si — est, qui studeat,* non *studeant*, legendum; criticas rationes, cur contra Bentleji auctoritatem ita legendum sit, Hermannus attulit in dissertatione de Richardo Bentlejo ejusque editione Terentii; sed etiam ipsius linguae natura facilius fert:

„Si quisquam est, qui *studeat*, in his" quam illud alterum. Tamen cum Bentlejo Ruhnkenius consentit in dictatis.

5. Hermannus l. l. *existimabit* legendum esse censet.

7. Bentlejus:

Qui béne vertendo, et eásdem scribendó male, ex
Graecis bonis Latínas fecit nón bonas.

Hermannus l. l. *ex* corripit, et abjecta litera *c* ita legi jubet, ut in hac editione scriptum est.

Qui bene vertendo et easdem scribendo male,
'X Graecis bonis Latinas fecit non bonas,

Lucius Lanuvinus est; qui quum putaret, „contaminari non decere fabulas" (And. prol. 16), credibile est, putida quidem et *obscura* (And. prol. 21) diligentia eum Graece scripta in Latinum sermonem convertisse: sed quum non ut poëta, sed ut interpres converteret, *male* Latina scripsisse, itaque *ex Graecis bonis Latinas fabulas fecisse non bonas.*

9. Hermannus l. l. praecipit, et recte quidem praecepisse videtur, pro Bentlejano *item ut*, uno vocabulo legendum esse *idem;* ut nulla comparatio cum prius dictis a Terentio habita sit, sed simpliciter poëta auditores suos de illo Phasmate moneat, et in hac ipsa simplicitate monendi argumentum insit acerbae vituperationis Phasmatis, quippe cujus perversitas per se ipsam spectatoribus aeque ac poëtae nota fuerit, ut de Lucii Lanuvini Phasmate monuisse sit de Lucii Lanuvini stultitia monere. Bothe ita tamen hunc versum constituit:

Item ut Menandri Phasma nuper perdidit.

Donatus ad h. l.: „Phasma nomen est fabulae Menandri: in qua noverca superducta adolescenti, virginem, quam ex vicino quodam conceperat, furtim eductam, quum haberet in latebris apud vicinum proximum, hoc modo secum habebat assidue nullo conscio. Parietem, qui medius inter domum mariti ac vicini fuerat, ita perfodit, ut in ipso transitu sacrum locum esse simularet; cumque transitum intenderet sertis ac fronde felici, rem divinam saepe faciens evocabat ad se virginem. Quod quum animadvertisset adolescens, primum adspectu pulchrae virginis, velut numinis visu, perculsus, exhorruit: unde *Phasma* [Spectrum] est nomen fabulae."

10. Donatus: „Arguit Terentius, quod Lucius contra consuetudinem litigantium, defensionem ante accusationem induxerit. Hujusmodi enim est Lucii argumentum: Adolescens, qui rem familiarem ad nequitiam prodegerat, servum mittit ad patris monumentum, quod senex sibi vivus magnis opibus apparaverat, ut id aperiret, illaturus epulas, quas pater post annum decimum caverat sibi inferri. Sed eum agrum, in quo monu-

mentum erat, senex quidam avarus ab adolescente emerat. Servus, ad aperiendum monumentum auxilio usus senis, thesaurum cum epistola ibidem reperit. Senex thesaurum tamquám a se per tumultum hostilem illic defossum retinet, et sibi vindicat. Adolescens judicem capit, apud quem prior senex, qui aurum retinet, causam suam sic agit:

Athénienses, béllum cum Rhodiénsibus
Quod fúerit, quid ego hic praédicem?

et caetera, quae contra naturam jurisque consuetudinem posita argumenta Terentius notat: quod ille ordo potior erat, ut adolescens prior proponeret causam, qui petitor inducitur.“

17. Hermannus hoc ordine legi jubet:

Habeo ália multa, quaé nunc condonábitur;

nam tantum abesse, ut in hac diligentia factae contentionis utriusque vocabuli *nunc* et *post*, quod sequitur, venustatis aliqua significatio insit, quum utrumque rhythmi ictu acuatur, ut Grammatici alicujus sedulitas inde perluceat; et recte Hermannus judicasse videtur, cujus judicium editionum Italarum exemplo confirmatur; tamen cum Bentlejo editio anni MCCCCLXXVIIII et Bothii editio consentit. Quare Bentlejana lectio h. l. servata est. — — Alii legebant: *quae condonabuntur;* ipseque Iul. Caes. Scaliger Poëtices VII p. 864 ita putat legendum esse; nam alterum Latine non dici posse. Hodie *quae condonabitur* satis notum est ad imitationem Graecae linguae dictum esse, et *quae* accusativum esse objecti remotioris.

25. *Colacem esse nempe, Plauti veterem fabulam*

Bentlejus correxit, qua correctione Hermannus l. l. censet nihil excogitari potuisse infelicius. Colacem Naevii poëtae fuisse, H. docet Nonium sequutus, qui titulus quum recte se habeat, friget *nempe*, quod Bentlejus correxit. Itaque cum libris scriptis et editionibus legendum:

Colacem esse Naevi et Plauti veterem fabulam.

Cf. quoque Osanni Analecta Critica p. 157.

31. v. not. ad Andr. prol. v. 13.

32. Servius ad Aen. V, 122: „*Centauro magna.* Foeminini est generis si de navi dicas, ut Terentius: *in Eunuchum suam*, quum Comoediam diceret.“

35 — 36. Bentlejus auctoritate aliquorum librorum usus ita hos versus constituit:

Quodsi personis isdem uti aliis non licet:
Qui magis licet currentis servos scribere?

Hermannus meliores libros sequens suspicatur legendum esse:

Quodsi personis isdem huic uti non licet,
Qui magis licet currentem servom scribere?

itaque legendum est. Nam tantum abest, ut in illa concinni-

tate pluralis numeri Bentlejanae lectionis poëtica aliqua laus cernatur, ut haec ipsa inaequalitas Herm. lectionis inaequalitate sua apud poëtam Comicum delectet.

41. Hermannus Bentlejum corrigit, ita legendum esse censens:

Nullum ést jam dictum, quód non sit dictúm prius.

Nam altero loco participium cum eadem sententiae gravitate, qua priore loco, iterari, et vocabula eadem sententiae gravitate iterata necesse esse eodem pronunciationis pondere edicantur; quod ut fieri possit cum quinque codicibus et codice Lipsiensi verba transponenda esse. — Ex nostro quidem judicio, quod tacito sensu concepimus,

quód non dictum sít prius

rectius legatur, ipsaque aequabilitas ponderis, quam et ipsi hoc in loco in pronunciandis vocabulis desideramus, nobis quidem hac collocatione vocabulorum melius effici posse videtur. Sed docti videant.

44. *Date operam et cum silentio animum attendite*

Bentlejus; deleta copula *et*, quemadmodum libri scripti habent, Herm. legi jubet. Solemni more id dictum esse pro eo, quod dicendum erat: *date operam, ut attendatis animum*, itaque a Terentio dici solitum collatis exemplis Phorm. prol. v. 30, Eun. II, 2, 50; ibid. II, 3, 71 comprobat.

I, 1, 1. *Quid igitur faciam?* est dictum post cogitationem. *Igitur* particula est, per quam intelligimus Phaedriam multa cogitasse, et sic prorupisse: *Quid igitur faciam?* Servii ad Aen. IV, 534. IX, 781. cf. p. 196.

9. „*ilicet* confestim, mox; sed apud veteres significabat, actum est. Olim enim judex, si dare finem agendis rebus voluisset, per praeconem dicebat *illicet;* hoc est ire licet: id est, acta et finita res est. Terent. Eunuch. I, 1, 9." Servii ad Aen. II, 424.

20. Aposiopesis; v. ad Andr. I, 1, 137. cf. Eun. III, 2, 26.

23. Bentlejus imperiose: „Lege *misera*, non *misere*. Qui hoc non probet, parum in Terentio profecit." At omnes fere libri habent *misere;* Servius quoque ad Aen. II, 196. et Charisius p. 184. *Misere terere* est ita terere, ut miserationem nostram commoveas; igitur ingentem in modum terere, quod ad verba proxime sequentia *vix vi expresserit* aptissime dicitur.

I, 2, 24. Bentlejus invenit:

Sin falsum audierim ac fictum, continuo palam 'st,

depravans ita, non emendans loci sententiam. Nam quamquam et ipsi minime servum discrimina verborum *falsum, vanum, fictum* acute observasse putamus: servus tamen tria verba ejusdem fere potestatis in unum locum conjecisse, et *aut — aut* additis sermonem suum dilatasse videtur, ad comminationes suas in Thai-

dem numero et specie augendas; eoque servile ingenium verissime exprimi censemus.

28. *tum ibi, m* non eliso; v. p. 220.

50. v. not. ad Phorm. III, 2, 3.

83. *nuncubi* pro *num alicubi* etiam in Varronis de re rustica est III, 2, 4. Aliquot libri *num ubi;* Bentlejus invenit *num tibi.*

84. *in te claudier* liber Bembinus; Bentlejus auctoritate aliquorum librorum *intercludier.* cf. not. ad And. III, 3, 41.

122. *quicquid hujus feci;* deest *rei.* cf. V, 5, 10. V, 8, 40.

124. *adeo* Servius explicat *multum, valde* ad Georg. I, 287. Aen. IV, 96. VII, 427.

II, 1, 6. Iambicus tetrameter acatalectus est extremo pede dactylo, quoniam cum versu septimo, quae clausula est (v. p. 226), continuo dipodiarum numero cohaeret; v. Herm. elem. d. m. p. 175. 183. 172. de verss. Ter. p. 228. Bentlejus cum trochaicum tetrametrum catalecticum fecerat hoc modo corrigens:

Ne ístuc tam iniquo pátiare animo. PA. mínime: quin factúm dabo.

9. *quod poteris.* Olim hic legebatur *quoad*, quod verbum per Synaeresin pronunciandum esse apud Horatium Satyr. II, 3; apud Statium Theb. I, 216; apud Lucretium l. V, et *donec* potestate sua declarare Heinsius docet ad Virg. Aen. XII, 147.

11. *Censeo*, plenius: *recte dicis*, *censeo*, ut Heaut. III, 3, 27; hoc quidem loco ironice dicitur. cf. de hac potestate verbi imprimis Plauti Rud. IV, 8.

II, 2, 1—35. Canticum; v. argum. in Andr. sub finem.

Diderot (v. p. 196) hanc scenam vituperat, quod parum sit verisimile, Gnathonem in media sua via, dum Pamphilam ad Thaidem deducit, constitisse, et laudem artis suae praedicasse. Lessingius autem non dissimilem Plauti scenam eo excusat, quod ita ignaviam servorum Romanorum poëtas irrisisse censet, qui servi, ad speciem et verbis suis maxime seduli, re ipsa tamen admodum lenti fuerint.

5. *obsitus aevo* Virgilius quoque Aen. VIII, 307.

13. *At* objicientis alterius est, quocum Gnatho colloquutus fuerat.

25. *cuppediarii* a Bentlejo introductum; prius legebatur *cuppedinarii.*

36. Iambicus tetrameter catalecticus est, quarto pede pyrrhichio *(tium)*, neglecta elisione propter caesuram. *Hic* ab Hermanno elem. d. m. p. 151 additur, deest in libris; quare Bentlejus, ut versum expleret, deleto *Thaidis* ita legebat:

Set Pármenonem ante óstium opperiri tristem vídeo.

43. *falsus animi* per Graecismum p. *falsus animo.* Ita *dubius animi, aeger animi, praestans animi, egregius animi* Lati-

ne dicebatur. v. Interpp. ad Liv. VI, 11, 3. Oudendorp. ad Hirtii de bello Alexand. c. 56. Ruhnken. ad Vellej. I, 9.

57. Parmeno primo ad Gnathonem conversus: *facete dictum*, εἰρωνεικῶς, quia inficete; deinde reliqua *set video* etc. cum semet ipso colloquitur.

59. *custos publ.* „adversus praedonum incursus illic excubabat juventus Attica.“ Don.

II, 3, 1 — 11. v. Argum. in Andr. s. fin. de Cant.

13. *quid tu es tristis? quidve es alacris?* Donatus: „Proverbiale est, in hominem perturbatum et incerti vultus.“ Servius ad IX, 231: „*alacres* i. e. concitati.“

16. Bentlejus ad h. l.:

Nunc, Parmenó, te óstendés, qui vir sies.

„Geminum hic vitium est: et quod *te* non elidatur, et quod *óstendés* duplicem ictum sustineat, media longa: quod vel aure judice, est absonum. Lege:

Nunc, Parmeno, te osténderis, qui vir sies.

Poteris etiam, *ostende sis;* sed illud melius, *ostenderis*, modo potentiali, hoc est, possis ostendere.“

Plura vitiose dicta sunt, sed haec ipsa vitia in hoc quidem loco Terentio in laude ponimus. Apparet ex verbis, *qui vir sies* (I, 1, 21. 2, 74), ad servum dictis, haec verba tanta gravitate non serio, sed tecta servi irrisione ab herili filio ad Parmenonem dici, et haec irrisio augetur ipsis accentibus vitiose additis. *Ostendés* verissime duplici accentu eoque ipso vitiose posito acuitur, ut verbum duplicem inde gravitatem eamque ipsam ridiculam nanciscatur; et ob eamdem causam ne *te* quidem plane elidi poterat, sed hiatu suo, qui numero invito statutus est, insigniendum erat, ut illud *se ostendere* eo magis arguueretur. Ipsum homoeoptoton, quod est in *ostendés* et *siés* nonnihil nobis efficere videtur, et ejusmodi homoeoptota saepius in Terentio sunt, e. c. Eun. Prol. 45 *quid — velit.* Contra Bentlejanum illud *ostenderis* i. e. credibile est, fore, ut te ostendas, et propter suam potestatem, et propter quotidianum accentum suum, lente dicitur, et reliquum quoque loci spiritum languore suo necat. Quare a libro Bembino, Basilicano et aliis prudenter fit, ut *nunc Parmeno, te ostendes* scriptum habeant, et viri metrici etiam ex hoc loco discere possunt, unam scientiam metricam parum sufficere ad statuendum de Terentio.

21. *sive adeo* i. e. atque adeo, se ipsum corrigentis est pro *imo, vel potius.*

26. *nova*, quasi antea numquam. Serv. ad Aen. IV, 10.

28. *Flos ipse* metri causa Bentl. ejiciendum esse censebat. Herm. elem. d. m. p. 183 ea verba revocavit, et *nunc* addito versum ita constituit, ut in h. libro scriptus est.

57. *alias res agis.* „aut: non attendis ad id quod dico, significat; aut: nugatorias res agis, h. e. jocaris; quasi dicat: vanas res agis.“ Don.

66. *inhonestus* i. e. foedus, deformis. Don. ad h. l. et Serv. ad Aen. VI, 497.

90. *in me cudetur faba.* Donat.: „id est, in me hoc malum recidet; ut laborat solum, in quo caditur, id est batuitur faba.“

93. *habent despicatam.* Bentl. invenerat *habent despicatu;* nec dubium est, quin *despicatu* dici possit pro *despicatui;* v. Priscian. VII, 18 § 88. *habere despicatui* est quoque in Plauti Menaechmor. IV, 3, 19. Nihilo minus tamen non opus est, ut corrigatur; et *despicatam habere* recte dicitur pro *contemtam habere.* v. Lexica et Ruhnken. ad h. l. Scaliger quoque, sed tantum de metro loci, in Poëtices VII p. 853 dixit.

95—96. Bentlejus, ut supra scriptum est, legi jussit. Libri habent:

An pótius haec patri aéquum est fieri, ut á me ludatúr dolis,
Quod qui rescierint culpent, illud merito factum omnes putent;

vel:

An pótius haec pati? aéquum est fieri, ut á me ludatúr dolis,
Quod qui rescierint culpent, illud merito factum omnes putent.

Maxime concinna sine dubio Bentlejus scripsit, sed summa concinnitas non summa veritas ubique apud poëtas Comicos est; et e reliquis quoque lectionibus neutra sua sententia caret. *An potius haec patri* etc. ei lectioni haec sententia inest: Utrum aequius est, meretricem a me falli? an aequius est, *haec*, i. e. ut fallatur, patri a me fieri; ipse Terentius amplius explicuit, quid illud *haec* sibi velit, addito, *ut a me ludatur dolis.* Patrem a me falli si quis rescierit, is culpet id: *illud*, i. e. meretricem a me falli, si quis rescierit, is merito id a me factum putet. Ita Faërnus quoque hunc locum constituit et interpretatus est. Alteri lectioni *an potius haec pati?* haec sententia inest: *Mene haec pati*, ut nos semper cruciemur, ut ab illis fallamur? aequius est, ut ipsa meretrix a me dolis ludatur. *Quod* cogitatione referatur ad *an potius haec pati*, quamquam spatio ab eo disjunctum est; *illud* ad *eas si fallam.* Quare etiam in hoc loco constituendo haud scio an Bentleji auctoritati plus quam debebat, tributum sit.

III, 1, 1. Bothe ad h. l.: „Exemplum iambici senarii venustissimi et vere Terentiani: nam vides, et verba graviora, *magnas, gratias, Thais,* in arsi collocata esse omnia, et eorum duo praecipua, *magnas* et *Thais*, pedum primum et quintum, ubi amantur spondei, quodque totos explere, salvis accentibus; quod in elegantiis metricis numeratur.“

10. „Perpaucis aures poëticae datae sunt“ Scaliger dicit in

epinomide sua; attamen meae aures nisi plane occalluerunt, Bentlejus suavitati hujus versus parum consuluit, quum pro:

Verbis saepe in se transmovet, qui habét salem,

legebat:

V. s. i. s. transmovét, qui sál habet;

in quo postrema verbi *transmovet* syllaba, sub minore ictu posita, et postrema verbi *habet* syllaba, in extremo versu collocata, similitudine sua majore taedio audientes afficit, quam *quabet* pro *qui habet* legendum. Praeterea Servius (ad Aen. I, 35) et Priscianus V, 2 (T. I p. 172 ed. Krehl) hujus versus testimonio usi sunt, quum virilem sexum verbi *sal* probare vellent; ipsa verbi *salem* in finem dilatio epigrammatici aliquid leporis habet, ita ut contra Bentleji auctoritatem *habet salem* scripserim, et ut incommodum Bentlejo *quabet* pro *qui habet* evitarem, *transfert*, lectionem codicis Ienensis et Veneti, susceperim, quam Perlet ad h. l. protulit; qua lectione suscepta, hiatum, qui est in *qui habet* ea defendent, quae p. 218 sqq. dicta sunt.

19. *paucorum hominum esse* est: fastidiosum esse in iis hominibus deligendis, quibus familiariter utaris, idque in laude ponitur. Maecenas quoque ab Horatio Sermonum I, 9, 44 *paucorum hominum et mentis bene sanae* fuisse praedicatur. Id ipse miles jam auxerat dicendo: *perpaucorum hominum*. Gnatho (qui, *si negat quis, negat; si ait quis, ait*) e disciplinae suae ratione id ipsum et ipse augere debuit, et ad insaniae modum dictum militis exaggeravit. Rex enim, si *nullorum* hominum erat, quum cum Thrasone versaretur: Thraso ne homo quidem erat. Ex proposito Terentius hujus sermonis hunc exitum finxit, ut simul risum commoveret et de Thrasonis stultitia et de Gnathonis arte.

23. *magister elephantorum*. Liv. XXXVII, 41.

35. Pro *irridere*, cujus lectionis praeter codices, qui consentiunt, Priscianum T. II p. 216. 247. 252. certum testem habemus, Bentlejus invenit *irritare;* acute quidem, sed inventum tamen.

36. *Lepus tute es, et pulmentum quaeris?* Donatus: „quod in te habes, hoc quaeris in altero.“ Id miles *Rhodio adulescentulo*, qui Lycidas aliquis „quo calet juventus nunc omnis et mox virgines tepebunt“ fuisse videtur, exprobrare voluit, eum minorem esse aetate, quam ut de Venere cogitare debeat, et aptiorem esse, muliebria ut ipse patiatur, quam ut faciat. Hanc sententiam ineptus homo inficetā leporis et, quae pars leporis est, pulpamenti similitudine declarat; quod pulpamentum cibus est, e pulpa concisa factus; *pulpa* vero caro musculosa in animali sine osse et pinguedine, quae manducatur (Forcellini Lexic.). Ita

et verbis satisfactum esse videtur, et personae militis, quum agrestium hominum esse soleat, ut vel vitiorum suorum excusationem ab aetate petant. Ruhnkenius: „quum ipse cinaedus sis, scortum quaeris.“ Bentlejus metri causa pro *pulpamentum* contracte scripsit *pulmentum*.

40. Bentlejus ad h. l.: „*Imprudens* hic in laude ponitur, ut And. V, 4, 8: *Adulescentulos imperitos rerum, eductos libere*. Gnathonis verba sunt ex intimo adulatoriae artis penu petita. Egregie Donatus: „Addidit parasitus, quo gravius sit Thrasonis dictum, commiserationem ejus, in quem dictum est; scit enim homines stultos malos videri velle.“

58. Servius quoque ad Aen. IV, 1 cum lectione codd. consentit.

III, 2, 7. *Abdomini* Bentleji est; prior lectio: *ex homine hunc natum dicas*. Tamen ne haec quidem lectio tam contemnenda est, quam multis videtur. Uterque, et Thraso et Gnatho, in primo colloquio cum Thaide animi sui nequitiam produnt, Thraso statim de donis, Gnatho de cibo dicens. Id irridens Parmeno, *quam venuste!* inquit, *quod dedit principium adveniens* Thraso! post, quum Gnatho *eamus ad coenam, quid stas?* dixerit: *hem alterum*, inquit, *ex homine* i. e. Thrasone *hunc natum dicas;* i. e. et herus et parasitus aeque inepti sunt, ut parasitus alter ego heri esse videatur.

8. *exeam* sc. e domo Phaedriae. Nam domus Thaidis et Phaedriae vicinae erant; v. II, 3, 68.

15. *aut nostris* Bentlejo auctore, olim *haut nostris similia*. *Aut* meliores libri Prisciani, qui hunc locum T. I, 592 et T. II, 11 laudat, habent; cf. Krehl ad utrq. l. Codd. tamen *haut nostris s.* Bentl. *aut* praetulit, ut ironia augeretur; at ironia parum aucta est. Mente quidem mirum quantum de pulchritudine donorum suorum Thraso judicat; sed sermone aliam speciem prae se fert, multo ea minora simulans, quam quibuscum Parmenonis perpulchra dona comparentur, sive, quod idem est, quae cum Parmenonis donis comparentur.

35. *qui pararet* i. e. *quo* vel *unde* emeret.

43. pro *similis* Bentl. acute invenit *simia*, ingeniosius dictum, sed Bentleji ingenio accommodatius quam Thrasonis; nam ipsum insulsum, quod inest in *domini similis es*, ita nobis ex ore militis legendum commendabit. Schmiederus et Perlet cum nostra lectione consentiunt. Priscianus quoque T. II p. 117 et p. 228 *similis* habet.

III, 3, 21. Priscianus I p. 122: *Th. q. e. s. m.* i. e. parvo major, quam ego.

III, 4, 1. Varronis fragm. p. 191.

10. Prisc. I, 413.

III, 5, 1—8. Canticum; v. Andr. Arg.

2. cf. Ruhnken. et Perlet. Ruhnkenius: „*Erumpere gaudium* i. e. gaudium, quod quis diu continuit, cum impetu efferre, effundere. Erumpere saepe active dicitur.“ Bentl. correxerat:

Iamne rumpere hoc mihi licet? pro supreme Iuppiter!

12. Antiquissima lectio est:

Quid táces. C. o festús dies hominis! amice, sálve!

Bentlejus correxit:

Quid dices? C. o festús dies! o méus amicus! sálve:

nam alteram lectionem parum cum metro convenire; ex fine constare tetrametrum esse catalecticum, sed initio claudicare illud *taces*. Nobis quoque iambicus tetrameter catalecticus esse videtur, et prior syllaba verbi *taces* propter ictus gravitatem, quo acuitur, produci (v. p. 220 sq.). *O festus dies hominis* vix nobis titulus esse videtur in alloquentem Antiphonem dictus, sed laetantis exclamatio: *o festus dies hominis* i. e. quam laeti dies homini alicui contingere possunt! Recte Forcellini Lex.: „*festus dies* est aliquando blanda amantis compellatio. Plauti Cas. I, 49: *mi animule, mea vita, meus festus dies;* et laetantis Terent. Eun. III, 5, 12.“ Tamen ut etiam cautioribus a nobis satisfieret, tutius existimavimus cum Bothio legere: *Taces quid?* Bothius ad h. l.: „*Taces quid? σιγᾷς τί?* nam sic Graeci saepius postponunt *τίς, τί;* quod non animadvertentes librarii, exarando *quid taces* versum perdidere.“

40—41. Utilissimus hic locus est ad Bentleji sive levitatem sive temeritatem, certe audaciam in Terentio corrigendo arguendam. Exhibuimus supra eam lectionem, cujus omnes codices diserti testes sunt. Bentlejus correxit:

Deum sése in pretium cónvertisse, et pér alienas tégulas
Venísse clanculúm: per pluviam fúcum factum múlieri,

veritatem quidem fabulae, sed poëtae propositum parum in eo assequutus. Narrationi fabulae Terentius jam v. 37 satisfecerat; v. 40 et 41 non amplius narrat, quid pictum fuerit, sed juvenis quid in pictura contemplanda senserit; neque is quidquam aliud inde petebat, nisi suae et divinae levitatis aliquam similitudinem. Multo igitur se rectius habent, quae in Terentio antiqua fide legimus, quam quae Bentlejus nuper invenit. Ipsum deum, juvenis cogitat, majestatem suam deposuisse, ut Veneris humanae dulcedinem gustaret, planeque oblitum, se deum esse, *qui templa caeli summa sonitu concutiat;* humano corpore indutum, omnem etiam levitatem humanam induisse, et delicatuli juvenis instar *per alienas tegulas clanculum per impluvium venisse*, a quo gynaecea et nocturna cubicula circumdata esse solebant. Schneider ad Vitruv. VI, 3, 6. cf. Quintil. inst. orat.

XI, 2 p. 287 ed. Bip. *Primum sensum vel locum vestibulo quasi assignant, secundum atrio, tum impluvia circumeunt, nec cubiculis modo aut exedris, sed stratis etiam similibusque per ordinem committunt.* — Deum sese in hominem convertisse i. e. *in hominis audaciam atque flagitia*, quemadmodum Donatus interpretatur. *Clanculum*, quod Erasmus *clam* posito, quoniam „nisi legas *clam* metrum non constet" mutare voluit, sedulo electum esse videtur, ad libidinosam timiditatem alienas mulieres sectantium diminutivo vocabulo, sed vim primitivi intendente, pingendam. Denique *impluvium*, quod Bentlejus et propter rem et propter verbum damnat, cum hac re indicanda optime convenit. De impluviis in simili cogitationum serie etiam apud Plautum sermo est, ubi et de tegulis et de iisdem fere rebus, de quibus hic, legimus. Plauti Milit. II, 2, 3. II, 3, 1. 13. 16. 69. II, 4, 24. Amphitr. V, 1, 56, ut non satis Bentlejum mirari possim, qui, horum locorum in annotatione memor, tamen de similitudine aliqua rerum ne cogitaverit quidem, vel quod magis credam, sciens eam dissimulaverit, ita ut contra opinionem, impluviorum aliquem locum in rebus Venereis fuisse, Gellii X, 15 laudaverit, qui locus nihil nos docet. Prudenter igitur Ruhnkenius (in dictatis), Schmiederus, Perlet novatam Bentleji lectionem rejecerunt, ipsique hoc loco tamquam exemplo uti voluimus, quo doceremur, quam caute Bentleji auctoritatem sequi debeamus.

IV, 1 inter ea Cantica Bened. Wolff habet, de quibus, an Cantica sint, dubitatio esse possit.

Bothe in editione sua Terentii ita hanc scenam constituit (cf. de vers. Ter. p. 226):

I'ta me di ament, quántum ego illum vídi, nonnil tímeo misera,
Néquam ille hodie insánus turbam fáciat aut vim Thaídi.
Nam póstquam iste advenit Chremes, rogát militem, illum admítti
Ut júbeat; is contínuo irasci, néque negare audére;
Haec pórro instare; invítat tristis; mánsit; sermonem óccipit;
Milés vero, adductúm sibi putáns ante oculos aémulum,
Huic cóntra voluit aégre facere: Heus, inquit, puere, Pámphilam
Arcésse, ut hic deléctet nos! Haec clámat: Minume géntium!
I'n convívium illam? Miles téndere inde in júrgium;
I'nterea aurum clám sibi mulier démit, dat mi ut aúferam;
Hóc est signi: ubi primum poterit, se illinc subducét, scio.

3. Bentlejus ne versus mutentur:

Nam postquam iste advénerat aduléscens, frater vírginis;

sed versu mutato non illico numerus mutatur, qui etiam altera

lectione sibi constat et trochaicus est: *Thaidi. Nam póstquam* — — cf. Hermanni elem. d. m. de continuatione numeri.

9 — 11. ex recensione Hermanni in elem. d. m. p. 170.

12. v. Mureti var. lectt. VII, 2.

IV, 2, 3 — 4.

et ea omnia in
Pejorem partem

veterum codicum et editionum est. Bentlejus: „magis ex consuetudine Terentii est, si refingis:

et ea omnia
Pejorem in partem."

Haec quidem editio cum Schmiederi et Perleti editionibus veterem lectionem praetulit et quidem, ut nobis videtur, ipso numero suadente. Etiam in hoc loco, quod ad Eun. III, 1, 10 notavimus, Bentlejus leporem, qui est in vetere compositione verborum, parum assequutus esse videtur. De industria Terentius praepositionem in alterum versum; *pejorem*, quod a praepositione regitur, in alterum disjunxit: ut brevi mora, quae inter pronunciationem duorum versuum intercedit, dilatus et ad exspectationem commotus auditor, cum majore risu illud *pejorem* accipiat, quod commotam exspectationem ita lusit.

7. al. *diverticulum*. Drakenborch ad Liv. XLIV, 43, 2: „*devertit*, qui de via deflectens hospitium subit; unde *deversorium* et *deverticulum* pro hospitio ponuntur. At *divertit*, qui a via regia discedens semitam inde in diversa tendentem incedit: et hinc diverticulum est locus, ubi duae viae a se invicem recedunt."

IV, 3, 7. Ruhnkenius: „*Absente nobis* pro: absente me. Sic veteres aliquando loquebantur ad sensum magis, quam ad verba attendentes. Catull. CVIII, 5: *insperante nobis*. Tibull. III, 6, 55: *Perfida, nec merito nobis inimica merenti*, ubi vid. Broukhusius."

9 — 13. Hermannus conjiciens ita scribendum esse censet:

Py. chem, Phaédria, ego quem quaéram? in' hinc quo dignus's cum donis tuis
tam lépidis. Ph. quid istuc rei ést? Py. rogas?
eunúchum, quem dedísti nobis, quás turbas dedit? vírginem
vitiávit. Ph. quid ais? Py. périi. Ph. temulénta es. Py. utinam sic siem.

11. Bentlejus:

eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit?

cunuchum simul et attractione et exclamatione dictum est. Attractione pro *eunuchus, quem dedisti* etc., cujus dicendi generis, a Graecis derivati, Wolf ad orationem Leptineam p. 462 ex Cic. Epp. IV, 5 hoc exemplum affert: *Genus hoc consolationis miserum est, quia, per quos ea confieri debet, propinquos ac fami-*

liares, ipsi pari molestia afficiuntur. cf. Heindorf ad Plat. Phaedon. § 30; exclamatione i. e. hac potestate: proh eunuchum! etc. cf. Heaut. IV, 2, 2 *eunuchum quem dedisti nobis?* i. e. qualem eunuchum nobis dedisti? *quas turbas dedit!* per se liquet, et disturbato dicendi genere majorem animi commotionem declarat.

IV, 4, 16. *varia veste.* „Eunuchi veste utebantur versicolore, ut multis coloribus texta fulgerent.“ Eugraphius.

22. Suidas s. v. *ἀσκαλαβώτης*: „*Μένανδρος. οὗτοσὶ δὲ γαλεώτης γέρων.*“ Hunc locum Menandri quum Donatus putaret Terentium hoc loco imitatum esse, Donatus ad h. l. annotavit, poëtam vel imprudentem et similitudine aliqua verbi *γαλῆς*, mustelae, et verbi *γαλεώτου*, stellionis, in errorem inductum exemplar suum reliquisse, vel prudentem et suum judicium sequentem, ut saepe, de industria mutavisse partem sententiae et *mustellinum* colorem pro *stellionino* scripsisse. Bentlejus, qui negat, colorem mustellinum magis dici posse, quam colorem equinum, caninum, quippe quae animalia diversissimi inter se coloris sint, negat Terentium umquam mustellinum colorem dixisse, omnes libros mendi coarguens sane veteris. At equi et candidi et nigri, canes et candidi et nigri sunt, mustelae non item, et nisi ipsa experientia colorem mustelarum nos docuisset, Ovidius Metam. IX, 321 nos doceret de anili et livido colore mustelarum. Quare recte novissimi interpretes Ruhnkenius, Schmiederus, Bothius, Perletus Bentleji commentum spreverunt, *mustellino*, non *stelljonino* colore legentes.

53. „Omnis hujus versus difficultas est in verbo *praedicem*. Nam si id deducimus a *praedico*, *praedicas* versus non stat, qui trochaicus est, iambum non admittens: si a *praedico*, *praedicis*, ut sit *praedicem* pro *praedicam* (antiqui enim *dicem* efferebant in futuro pro eo, quod nos *dicam*) stat quidem versus, sed verbum praedicere videndum est, ut sensui congruat.“ Haec et plura Faërnus ad h. l. At discrimina, quale est, quod nunc statuitur inter *praedīco* et *praedĭco*, facta magis, quam nata, artis potius, quam naturae sunt, et tum fere in linguas inferri solent, quum a viris doctis scriptis potius: quam a populo vivo sermone linguae excoluntur. Terentius, qui prius vivebat, quam hoc in lingua Latina factum erat, quique sermonem suum e luce vitae, vix ex umbra scholae petebat, *praedicendi* et *praedicandi* potestatem et numerum promiscuum habuisse videtur, indeque factum est, quod nunc Latine doctorum admirationem movit, ut *praedicem* praedicandi verbi positione et potestate, sed mensura *praedicendi* verbi scripserit. Id ita fuisse *maledicus* et similia indicio esse possunt. Praeterea *di* syllaba sub ictu est, eoque facilius produci potest. Bentlejus tamen correxit:

utrum praédicemne an táceam?

IV, 6, 31. *Attolle pallium.* Donatus: „Vel quia simplex est, vel quia ebrius, pallium trahit Chremes.“ Ruhnkenius. „Sic enim expeditius currere poterat.“ At quae antecedunt et quae subsequuntur, hoc Thaidem a Chremete, ut speciem certe ad pugnam se accingentis induat, petere, eoque *attolle pallium* simul pertinere docent. Apte. *Attollere pallium* idem valet, quod *colligere pallium* Plauti Captiv. IV, 2, 9, „quod ejus est, qui pugnam molitur“ (Fabri thes. erud. schol. s. v. pallium). Chremetem Thais jubet Ergasilum aliquem assimulare,

E'minor intérminorque, ne quís mi obstiterit óbviam,
Nísi qui sat diú vixisse sése homo arbitrábitur

praedicantem.

IV, 7, 6. *manipulus furum.* Donatus: „merito centurionem videns manipulum desideravit: hoc est, coquum videns, convivas desiderat.“ Ruhnken: „*Fures* sunt servi, quorum furacitas saepe notatur. Virg. Ecl. III, 16 et ibi Servius.“

19. *quam armis;* deest *experiri.* Bentlejus contra Nonii et Donati auctoritatem correxit:

Omnia prius experiri, quam arma, sapientem decet.

Quodsi oratorem aliquem ita correxisset, aequabilitati dicendi recte eo consuluisse videri posset; in hoc poëta et in persona Thrasonis id secus est. *Experiri legibus, jure* dicitur suam causam agere legum, juris auxilio, indeque *armis experiri* hoc loco fluxit, quod similitudine sua cum modo propositis dictionibus ridiculi sensum in legentis animo movet, qui sensus ipsa inaequalitate dictionum, quae est in *omnia experiri* et *armis experiri*, et tacito experiendi vocabulo acuitur.

23. Bentlejus scripserat:

Dixtin', hosce mihi dies soli dáre te? T. quid tum póstea;

in lectione libri Bembini, Donati, aliorum ipsi acquievimus. Nam *mihi*, ultima acuta, excusationem habet ab interrogatione, et in duos pedes divisum *mi | hi* praegrave pondus nanciscitur, quod ad arrogantiam dicentis significandam utile est.

25. *Quid cum illoc agas?* Muretus, Bentlejus, Ruhnkenius Thrasonis esse dicunt, „quid cum illo agas, nisi, quod meretricis est, Venerem cum eo exerceas?“ Sed eadem verba omnes codices et edd. veteres Thaidi tribuunt, nimirum ut haec insit sententia: quid tibi cum illo Chremete negotii est, sive, quidnam te res Chremetis tangunt? Id quidem ex Donati annotatione elici posse videtur.

30. *Scin'* emendetur *Scin'.*

45. *domi focique* lepida immutatione solemnis formulae *domi forisque* ab esuriente parasito ad Sangam dicitur. Perleti interpretatio de aris et focis insulsa est.

V, 2, 62. v. de verss. Ter. p. 215.

V, 4, 4. Ita Bentlejus conjiciens correxit pro eo, quod prio-res edd. cum Donato legunt:

Nam ut míttam, quod ei amórem difficillimum et
Carissimum ab meretríce avara: vírginem,
Quam amábat, eam conféci sine moléstia;

ubi Ruhnkenius: „*amorem* i. e. rem, quam amabat; *eam* abundat; *confeci* h. e. effeci, ut ea potiretur; sed locus si ita scriptus fuerit, certe Ruhnkenius interpretando melius interpretis, quam scribendo Terentius poëtae officio satisfecit.

14. Versus ita scripti quum nec sententiae nec numero quidquam insit, quod nos offendat: audacter eum retinuimus, Grammaticis id relinquentes, ut inventa sua ex poëta emendent, quum nobis parum placeat, ut ex eorum inventis poëtam corrigamus.

21. Servius ad Aen. II, 502:

Pro deum atque hominum fidem, facinus foedum, o infelicem
adulescentem!

Quare Bentlejus ad legendum proposuit: *Pro deum atque hominum*, deleto *fidem*; ad quod Burmannus ad l. l. Servii: „exemplis probari debebat, vel *pro* cum genitivo construi, vel per ellipsim posse *fidem* subaudiri: nam et Heaut. I, 1, 9 legitur *pro deum atque hominum fidem* et ita saepe.“

35. Aristophanis Nubes 1077:

τί δ', ἢν ῥαφανιδωθῇ πιθόμενός σοι, τέφρα δὲ τιλθῇ;

ubi Scholiastes: οὕτω τοὺς ἀλόντας μοιχοὺς ἠκίζοντο· ῥαφανίδας λαμβάνοντες καθίεσαν εἰς τοὺς πρωκτοὺς τούτων, καὶ παρατίλλοντες αὐτοὺς, τέφραν θερμὴν ἐπέπασσον. F. A. Wolf:

„*Wie aber, wenn er den Rettig kriegt, und Haare lässt,*
der Zögling?

Zwei berüchtigte Züchtigungen der Ehebrecher, schon aus lateinischen Dichtern und deren Auslegern bekannt, beide zwar meistens unblutig, doch die eine von nicht schnell vorübergehendem Eindruck.“

48. i. e. omnem ordinem, quo res facta sit.

V, 4—5. adhiberi possit ad comprobandum id, quod p. 198 de contentionibus dictum est, quae inter voluntatem hominum et fortunam fiunt, in quam homines incidunt.

V, 5, 3. *satias.* v. Liv. XXX, 3 ibique interpp.

V, 6, 9. Bentlejus, ut *ludós* vitaret, permutato loco *praébueris lúdos* scripsit. Pristinam lectionem aure suadente in hunc librum revocavimus, quum tantum absit, ut B. correctione versui medeamur, ut similitudine *lúdos íntus* in vicinia positorum taedium legentis augeatur. Contra si *ludós praebúeris íntus* legimus, pro spondeo iambum habemus in septimo pede, *ludós* quum ictum in posteriore syllaba habeat, quantum ponderis ac-

centu suo, in posteriore syllaba posito, posteriori syllabae addidit, tantumdem priori syllabae de gravitate sua detraxit, ut verbum iambi similius fiat; praetereaque reliqui pedes, qui in *ludos praebueris intus* insunt, suaviore temperatione miscentur.

23. Don. „proverbium in eos, qui ipsi se produnt; quia sorex non facile caperetur, nisi emitteret vocem noctu.“

V, 7, 6. *Etiam* pro *adhuc*. Serv. ad Aen. XI, 352.

V, 8, 34. De elegante usu particulae *quod* v. Ruhnken. et Bentl. ad h. l.

36. *vostrum tam superbum* i. e. vostram rem tam superbam, i. e. vos tam superbos.

44. *Ut libenter* pro *Et libenter* ex conjectura Bentleji; *ut* potestate *prout*. — *Libenter vivere* pro laute, hilariter vivere. Caton. de re rust. 156, 1: *Si voles in convivio multum bibere coenareque libenter.*

49. *Bardus* p. *tardus* ex conjectura Bentleji.

57. Nonius: „*Propinare* a Graeco tractum est προπίνειν, post potum tradere. Terent. Eun. *hunc vobis comedendum et bibendum et deridendum propino.*“ Hinc Bentl. legendum elicuit: *Hunc comedendum et ebibendum — —*. Nos *deridendum* praetulimus ob majorem et varietatem et perspicuitatem sententiae, quae inde fit.

HEAUTON TIMORUMENOS.

TI. SEMPRONIO GRACCHO II M. IUVENTIO THALNA COSS.

ACTA AB U. C. DLXXXIX. A. CHR. 165.

Vituperaverat Diderot (T. IV p. 217) personam Menedemi, ipsius se punientis, quod ejus natura talis a poëta ficta sit, quales in veritate rerum vix singulis saeculis singuli homines reperiantur. Poëtae causam contra aestimatorem Lessingius (de Theatro Hamburgico II p. 276 sqq.) egit; primum, si peccatum fuerit, non a Terentio, sed a Menandro, qui hujus personae inventor fuerit, peccatum esse dicens; Menandrum autem animos hominum accuratius cognovisse, quam ut parum de iis verisimilia invenire potuerit; Ciceronem denique, quid luctus possit, rectius perspexisse, eumque, ut ita se, quemadmodum Menedemus se cruciaverit, aliquis cruciet, non praeter hominum naturam fieri existimasse (Tusc. Quaest. III, 27). Quare Menedemi personam recte se habere.

De continuatione temporis hujus fabulae v. ad III, 1.

ANNOTATA IN HEAUTON TIMORUMENON.

Prologus. Duo consilia ut assequatur huic prologo proposita sunt. Primum, ut senex Ambivius apud spectatores se excuset, cur ipse prologum dicendum susceperit, qui alias a minoribus natu gregis sui histrionibus dici solitus sit; deinde, ut in hoc prologo eam causam agat, ad quam agendam prodierat. Itaque in has partes prologus descriptus est:

a) v. 1 — 3. brevis praefatio est, in qua de duplici consilio spectatores monentur. Ne quis forte miretur, quid sit, quod se-

nex Ambivius ipse prologi partes susceperit, quae alias ab alio aliquo gregis sui histrione agi solitae sint; primum se rei novatae rationem redditurum; deinde ipsam causam, ad quam agendam prodierit, acturum esse.

b) v. 4 — 15. Cur ipse Ambivius hodie prologi partes susceperit, haec ratio affertur: „Heauton Timorumenon hodie actum iri, quae comoedia ex Graeca Latina facta sit; ad quod consilium excusandum prologum ex prologo causae actorem factum esse; qui, ad spectatores orator missus, his judicibus comoediae causam si obtinere possit, experiatur.“

c) v. 16 — 52 causam Ambivius perorat, ad quam perorandam prodierat. 16 — 21. „Malevolos rumores poëtam diffamasse, quod ex Graecis suas Latinas comoedias faciat. Excusatur poëta (20 — 21) priorum poëtarum exemplo, qui idem sibi licere putaverint. 22 — 34. Quod Lucius Lanuvinus, qui Comicum nostrum allatrare solebat, dixerit: „amicorum magis, quam suo ingenio fretum, poëtam poëticis studiis operam suam dicasse;“ de eo spectatoribus liberum se arbitrium relinquere: sed (26 — 34) eo magis hoc a spectatoribus se precari, ut non inique judicent, et bonae causae ut faveant, ne iste sibi faveri existimet, qui in artis leges tam graviter peccet, de cujus peccatis plura se dicturum esse, si a maledicendo ipse non desistat. 35 — 47. *Statariam*, ut in qua merus sermo sit (46), non motoriam, in qua omnia turbulenta *clamore summo*, *labore maxumo* (40) fiant, comoediam hodie se acturum esse. Ita etiamsi parte aliqua labor sibi minutus sit, sibi tamen aequum videri, spectatores, etiam in sedata agendi ratione quid valeat, hodie cognoscere. 48 — 52. Peroratio est, in qua summum suae orationis propositum iterans concludit: „Quodsi vestro magis commodo, quam meo ipsius semper servii: aequitatis vestrae hodie in me documentum edite, ut etiam caeteri histriones mei inde alliciantur, ut, quemadmodum ego feci, ita et ipsi faciant, et vestrum judicium magis, quam sui commodi rationes sequantur.“

In summa igitur vicissim modo poëtae, modo actoris res in prologo aguntur.

---

2. *adulescentium.* Ruhnkenius ad v. 51 *adulescentuli* sc. histriones, actores. Neque id non verisimile est, quum simile verbum *puer* simili potestate dicatur; aliam tamen auctoritatem, praeter hanc similitudinem, qua haec verbi potestas nitatur, nullam reperi. *Senex* igitur, qui adolescentibus opponitur, ipse Ambivius Turpio sit, qui toti gregi praeerat; et ex hoc et similibus locis interpretes colligunt, prologos ab adolescentibus

dici solitos esse, statim e scena discedentibus; non, quod hic fiebat, a sene actore, qui prologo peracto de scena non discedebat, statim Chremetis partes acturus. v. Bentl. ad h. l.

6. alii legunt e. c. Daceria: *Duplex quae ex argumento facta est simplici.* Lessingius de Theatro Hamb. II p. 276 sqq. *Simplex quae ex argumento facta est simplici.* Ipsi in auctoritate Bentleji ita legentis acquievimus:

Simplex quae ex argumento facta est duplici;

quibus verbis haec sententia insit: In hac fabula non idem, quod in Andria, fecimus, ut ex duabus Menandri fabulis, Andria et Perinthia, conjunctis, unam nostram componeremus (Andr. prol. 9 sqq.); sed ex *integra Graeca integram* nostram fabulam instituimus, quae *simplex* origine (quippe ex una Menandri fabula petita) *duplex* est *argumento*, quippe in qua par patrum, par adolescentum, par servorum animis et oculis legentium et spectantium subjiciatur.

7. *nova* i. e. quae nondum Latina facta fuerat; v. Eunuch. prol. 33 — 34.

11. v. not. ad Andr. prol. 13.

13 — 15. „*Orationem hanc* pessime vulgo accipiunt; illam scilicet *orationem*, quae in prologo reliqua est. Itane tandem? Ut tam putide Ambivius se laudaverit? Siquidem totum hunc prologum non a poëta emendicasse videri vult, sed de suo protulisse. Tu sic interpretare: Si modo (pro *sed* v. 13. B. correxerat *si*) ego tam bene agere potero, quam poëta cogitare potuit, qui hanc scripsit orationem, quam mox primo actu in Chremetis persona dicturus sum.“ Bentleji sunt ita ad h. l. disserentis. At enim, quae I, 1 legimus vel sermo, vel narratio potius, quam oratio appellanda erant, neque ad Bentleji partem v. 46 *in hac est pura oratio* vocanda sunt, quae dissimili orationis potestate dicta sunt, quod intelligentium sensui judicandum relinquimus. *Hanc* et tempus praesens actionis inchoandae *dicturus sum* potestate sua magis ad proxime sequentia, quam ad remotiora prospicit, praesertim hoc loco, in quo particula *nam* indicio est, poëtam argumentando subjicere aliquid, quod breviter ante praenunciaverit, et *quod rumores* et quae sequuntur, eam ipsam *orationem* esse, de qua modo dixerat. Quamquam igitur Bentlejo dissentiente *Nam quod* et quae sequuntur v. 16 *orationem hanc* v. 15 ordiri putamus, et actorem et scriptorem prologi distingui. Neque id, quod alius orationem dicere, alius commentatus esse fingitur, in veritate causarum antiquitatis judicio repugnasse, Lysiae exemplum docet, quem aliis scripsisse, non ipsum dixisse orationes suas Quintilianus inst. or. IX, 4 p. 179 ed. Bip. narrat; nedum in fabulis, in quibus etiam Graeco more histriones aliquando personas, quas agebant, neglexisse, et

pro veritate rei, inprimis in parabasi, prologi Romani haud dissimili, loquutos esse, Genellius refert de Theatro Atheniensi p. 250. Haec igitur horum versuum voluntas erit: „Poëta, pro histrione proloquente, causidicum, fabulae causam coram vobis judicibus defendentem, me esse voluit (11 — 12). *Sed* (pro Bentlejano *si* v. 13 retinendum) hic causidicus eloquentia sua nihil praeterea valebit, quam quod poëta, hunc prologum scribens, inveniendo valebat (13 — 15).

19. *autumat* i. e. dicit, non: opinatur. v. Ruhnk. ad Vellej. I, 6. cf. Quintil. VIII, 3 p. 76 ed. Bip.

28 — 32.

date crescendi copiam,
Novarum qui spectandi faciunt copiam
Sine vitiis: ne ille pro se dictum existumet,
Qui nuper fecit servo currenti in via
Dixisse in populum: cur insano serviat?

Bentleji sunt, *dixisse* v. 32 pro *decesse* corrigentis, extorta potius, quam elicita verisimili aliqua sententia. Ipsi *decesse* retinuimus, ut in eo Lucius Lanuvinus peccasse arguatur, quod a populo decedente de via cum honorem servo alicui habitum esse fecerit, qui summis tantum magistratibus haberi solebat. Post *ne ille pro se dictum existumet* maximam interpunctionis notam posuimus, et pro *cur insano serviat? cur in sanos saeviat?* refingentes, ita interpretandum esse putavimus: *Ille* v. 30 ad Lucium Lanuvinum referendum esse, et ita per se solum positum tantum abesse, ut mutilatum sit, ut non minimum ei pondus accessisse videatur ad invidiae gravitatem augendam, qua *ille* hoc loco, et qua *iste* saepius dicitur. 31 — 32. „Qui nuper ipse in artis leges ita peccavit, ut imitandam vitae verisimilitudinem negligeret: ei cur liceat *in sanos* i. e. in eos, qui rationem artis sequuntur, saevire?“ Ductus literarum ita facillime mutari potuerant, ipsique sententiae v. 31 — 32 oratoriae aliquid gravitatis inest.

I, 1, 5. Bentlejus correxit:

Quod ego ésse in aliqua párte amicitiaé puto;

sed corrigendo depravavit magis, quam emendavit poëtam: „Quid sodes est *pars propinqua amicitiae?*“ *pars* i. e. locus, ratio, amicitiae affinis, haud dissimilis amicitiae; et *pars propinqua* ad *vicinitatem* similitudine quadam cogitationis aptissime et maxime concinne refertur, quum in dilatata Bentleji emendatione praeter tritam dicendi rationem nihil virtutis insit, quae eam commendet. Nostrum, quod dedimus, praeter codd. Servius quoque tuetur ad Ecl. III, 53.

4 — 6. *virtus tua me — — — facit, ut te audacter moneam et familiariter* pro *virtus tua facit, ut ego te audacter moneam,*

consuetudine dicendi inter Graecos et Romanos usitatissima. Veteres enim, ut et orationem *aptius* vincirent, et membra orationis *pondere aequabiliore* describerent, praesertim si eo amplius aliquid lectoribus intelligendum praeberent, a nostra aliquando membrorum orationis dispertiendorum ratione recedebant. Ita Terentio h. l. *virtus tua me facit, ut te moneam* magis scribere visum est, quam altera dicendi ratio, quam proposuimus. Nam eo *aptius* poëta orationem vinxit, quod *me*, unde in proxime subsequenti inciso *ego* mente repetendum est, ad prius incisum transscriptum tradidit. *Pondere aequabiliore* incisa descripsit, quod *mei* cogitationem ex posteriore inciso in prius et brevius incisum transtulit, et eo amplius aliquid lectoribus intelligendum praebuit, quoniam *me facit, ut te moneam, efficit me talem* est, *qui te moneat*, quum alterum simpliciter sit, *efficit, ut te moneam*. Tantum veteres etiam in minutissimis rebus cultissimis nostris linguis prudentia et arte antecedunt! Videre licet de hac dicendi ratione Ruhnkenium ad Eun. I, 2, 80. Schneiderum in ind. scriptor. rei rust. s. v. *facio*, Ramshornii Grammat. § 206, A, 5. — Interpp. ad Gregor. Corinth. de dialect. p. 127 sq. ed. Schaef. — cf. de vita Ter. p. 207. — Sed causam, cur veteres a nostris dissenserint, aperiendam reliquerant.

20. Prius legebatur:

At enim dices, quantum hic operis fiat, poenitet;

nostrum est ex Bentleji verissima emendatione. *Dices* glossema est, quo sine ullo sententiarum detrimento caremus. Horatius Tursellinus de particulis c. 35: „*At enim* in anteoccupationibus frequens est: Cic. II Philipp. 2: *At enim te in disciplinam meam tradideras. Nae tu, si id fecisses, melius famae tuae consuluisses;* i. e. At dices, te in disciplinam meam tradidisse;“ quod ipse Cicero explicuit, parenthesi adjiciens: *nam ita dixisti. Operis* Bentl. tamquam *per operas;* ipse ab *opus* derivare, et *illi* v. 22 ad *servos* v. 13 pertinere malim. Ernesti Clav. Cic. s. v. *poenitet:* „*poenitere nos* ejus rei dicimus eleganter, quae parva est, quacum contenti non sumus, quae nobis non placet, cui parum tribuimus.“ Servius quoque ad Virg Ecl. II, 33. ad Aen. I, 548 sine *dices* v. 20 scriptum habet.

25. Augustini ep. 52 (al. 51?) opera Iohannis de Amerbach 1593: „Hinc et ille Comicus (sicut luculentis ingeniis non defit resplendentia veritatis), quum ab uno sene alteri seni dictum componeret: *Tantumne ab re tua est otii tibi, aliena ut cures, ea, quae nihil ad te attinet?* responsum ab altero reddidit: *Homo sum: humani nihil a me alienum puto.* Cui sententiae ferunt etiam theatra tota, plena stultis indoctisque, applausisse.“

28. v. ad Hec. III, 1, 47.

40. *hui, tam gravis hoc quaeso* Chremes rastros elevans et Menedemo eos auferens dicit.

49. v. p. 214. d. v. T.

63. v. p. 218 sq.

73. alii ex Bentleji invento:

Inde alii festinari etc.;

elegantius quidem ob v. 76: nos verius: *Video alios* etc. idque ipsum narrantis consilium magis assequens. Menedemus, quum maximam sedulitatem suorum, qui ei serviunt, significare velit, rectius dicit: *video alios*, omnia opera in eodem tempore collocans, quam tempora distinguens: *inde alii*.

87. alii *quaerens*, *parcens*; continuatione sententiarum, quae sine dubio praeferenda est, nam prius *quaerenda* nobis sunt, quam *parcere* possimus quaesitis. Ipsi tamen pejorem sententiarum ordinem de industria h. l. praetulimus, quum perturbatus ordo sententiarum perturbatum poenitentia senis animum significare nobis videretur; neque id nobis displicet, quod sub majore accentu *quaerens* positum est: satis fiebat filii commodo, si senex quaesitis parceret, sed insuper etiam majus officium senex addere vult, ut nova labore suo acquirat.

91. „*Exsercire* sive *exsarcire sumptum suum* est tantum lucri domino referre, quantum ille sumptus in eis alendis impendit; opere suo impensas domini pensare et resarcire.“ Bentl. ad h. l.

92. „*inscripsi aedes* i. e. aedes meas locavi.“ Eugraphius.

110. Ruhnkenii opusc. I p. 230 (130 fals.) disputat de festis Dionysiorum: „Tenendum igitur, quod jure sequuti sunt Hemsterhusius noster ad Lucian. *Timon.* p 167. Corsin. *Fast. Att.* T. II p. 328 et Taylor. ad Aeschin. *adv. Ctesiph. init.* *Διονύσια*, simpliciter vel per eminentiam dicta, esse *urbana* et *majora*. Sed forte quis dubitationem moveat ex Terentio *Heaut.* I, 1, 110. IV, 2, 11. *Dionysia* simpliciter dicente, ubi omnia in agris aguntur. Daceria et Aeg. Menagius in docto libello de hac Terentii fabula Gallice scripto p. 139, Sam. Petitum l. c. (ad legg. Att. p. 114) sequuti, intelligunt *Dionysia Ruralia*; quod officere videtur modo disputatis. Sed mihi vix dubium est, quin Terentius, pro *τοῖς κατ' ἀγρονς Διονυσίοις* apud Menandrum, simpliciter posuerit *Dionysia*, ut Romanorum Bacchanalibus responderent. Satis constat, eum aliis quoque locis, neglecto Atticorum more, sermonem suum Romanae consuetudini accommodasse.“

113. pro impellerim Erasmi editio habet *impulerim*, quod propter trochaeum in versu trimetro ferri non potest. Bentlejus correxit: *hinc pépulerim*, nulla codicum auctoritate, et consuetudini trimetrorum, qua *in quinta sede tribachus et dactylus*, *si*

qua fieri possit, *vitatur* (Herm. ad Plauti Trinummum p. XVI) parum conveniens. Bothe: *impellerem*; sed tempus praeteritum actionis infectae ad *nunc* versus subsequentis parum aptum est, quod vel *impellam* vel *impulerim* efflagitat. Quare cum Faërno, vestigia codd. sequente, *impellerim* i. e. *impulerim* legimus, nova quidem verbi positione, sed ea aliis verborum formis non plane dissimili, et cujus rarior usus in culpa sit, quod a librariis mutata fuerit.

117. *Tempus'st monere* ex Bentleji verissima conjectura, pro mero interpretum invento *oportet*. *Tempus'st* propter vicinum *ut diei tempus est* ex sede sua expulsum fuerat.

I, 2, 13. Trochaicus tetrameter catalecticus inter continuos iambicos, animum post laetitiam certum consilii declarans. v. p. 227.

15. v. not. ad I, 1, 4 — 6.

31. *paulo qui est homo tolerabilis*. „In libro Bembino haec interpretatio adscripta est: *Aut ei subauditur*, *aut eum*: *si ei*, *sic intelligimus*, *unius modi sunt ei*, *qui est homo tolerabilis*. *aut cum scortari crebro nolunt*, *ut sit*, *filium*, *qui sit tolerabilis*. *aut singularem numerum pro plurali posuit*, *id est*, *qui sunt tolerabiles*." Faernus. Bentlejus addit: „Postrema ex his interpretationibus vera est." Bentlejum sequuti sunt: Daceria, quae ita interpretatur: *je parle des pères*, *qui sont un peu raisonnables*, Ruhnkenius, alii. Sed *parentum*, *qui est homo paulo tolerabilis* pro *parentum*, *qui sunt homines paulo tolerabiles* vereor, ut sine summa vi linguae naturae illata dici potuerit. Quare unice ita interpretandum esse existimo: *crebro scortari nolunt eum*, *qui homo est paulo tolerabilis*. *Homo paulo tolerabilis*, *facile omnes perferens ac patiens*, *iis se dedens*, *eorum studiis obsequens* (And. I, 1, 35) est *homo paulo facilior*, *et facilitas morum*, dum senex se accommodat ad juvenum sentiendi rationem, urbana juvenum irrisione, posita est pro *levitate morum*, ut haec sententia insit: Haben sie zum Sohne einen Herrn ein wenig nach der Welt etc.

I, 3. Actus I scena III aliis est Actus II scena I; v. Muretus ad h. l. et Benedictus Wolff, de actibus et scenis apud Plautum et Terentium dissertatio secunda. Gubenae 1814. — Canticum est. v. spr.

6. *Dabitur ei locus peccati cognoscendi*, i. e. patiar, eum noscere peccatum, ut, quum cognorit, postea oderit. *Schmiederi.*

16. tum, *quod dem ei*, i. e. quantum ad id attinet, quod sibi dari jubet, dico: *recte est (sehr wohl)*, qua formula responsum ex rei veritate: *nihil est* declino et vito. *Schmiederi.*

II, 1, 11. libri scripti *conantur*, neque id ineptum; praetulimus *comuntur* Servio ad Aen. IV, 133 fide habita. Verissime

Perlet ad h. l.: „Omnino autem est *comere* mulierum, *conari* magis virorum.“

II, 2, 1. Priscianus XVIII, 25 p. 217 ed. Krehl: „κόπτειν τὰ ῥήματα pro *disserere*. Terent. in Heaut.: *verum interea dum sermones caedimus*.

15. Bentlejus ad similitudinem aliorum locorum inverso ordine legit: *set eccos video*. Nostrum libri habent, idque majorem commotionem animi exprimit.

48. Bentlejus:

Nullá mala re intérpolatam múliebri;

nos codd. vestigia prementes ita scripsimus, uti supra legitur. Accusativus c. infinitivo est a superiori *offendimus* i. e. reperimus; *eam reperimus nullo artificio muliebri malas fucatam*.

49. *Capillus sparsus, prolixus*. Bentlejus: „Illud *prolixus* non placet; repone *promissus*.“ Verum est, *promissum* perperam saepe *prolixo* mutatum esse, quod Heinsius docuit ad Virgilii Ecl. VIII, 34. et interpretes docuerunt ad Livii II, 23. V, 41; sed id hoc quoque loco factum esse, quod Bentlejus et post eum Ruhnkenius et Bothius censuerunt, praesertim sine ullo codicum indicio, id parum verisimile est. *Promissum* est, quod in *longitudinem, prolixum (pro — laxam)*, quod in *latitudinem* non minus, quam in *longitudinem* porrigitur. *Promissa barba* est, quam in longitudinem aluimus; *promissus capillus* item esset, quem in longitudinem aluimus, idque in femina praesertim decori esset; sed ipsum contrarium Syrus indicare vult, capillum non modo non diligenter habitum, sed neglectum fuisse. Igitur *capillus prolixus*, qui *sparsus, circum caput neclegenter rejectus erat;* non *promissus* legendum est. Columella VII, 3, 7 ed. Schneideri: *oves — cervice prolixi villi, nec asperi*. Varro I, 9, 5: *arbores prolixae* sunt, non *celsae* tantum, sed simul *fruticosae*. Col. I, 9, 3: *Prolixior arator* est non tantum *procerior*, sed idem *amplior, vastior* corpore, qui majore suo pondere in arando stivam premat. Col. III, 15, 1: Largiora intervalla inter vites intermittenda sunt, *per quae frequentes prolixaeque materiae diffundantur*. Varro I, 6, 4: „Quaedam in montanis *prolixiora* nascuntur ac firmiora“ i. e. fruticosiora. Varronis II, 2, 3 unus locus est, qui hanc explicationem infirmare videtur: „oves — oportet — caudis observare ut sint in Italia *prolixis*, in Syria *brevibus*,“ quoniam *breves* ibi *prolixis* opponuntur, sed rei ratio docet, hoc quoque loco non minus de in *latitudinem*, quam in *longitudinem* porrectis dici.

59. Bentlejus interpretes nescio quos de *iisdem* dubitare dicit; sed recte id hic locum habet. *Idem* dicitur, ubi *eidem* homini *duae* res tribuuntur, quae hoc loco sunt, *munerari ancillas* et *viam adfectare ad dominas*. Corrigere h. l. ne licet quidem.

81. v. p. 206.
90. *alid.* v. p. 213.
94. *ad tuam matrem deducetur.* cf. III, 5.
99. *huic* i. e. Bacchidi.
102. *quod boni.* continuatur oratio v. 104 *di dant — nam nescias — ejus sit potestas* 106.
111. Pro *judex* Bentlejus: „*Tu es inlex:* tu me in hoc periculum illicis; cave, ne accusandus sis, neve quid praeter exspectatum eveniat.“ Ita vero verissima animorum notatione fraudaremur. Imbecilliorum animorum est, ut, quod ipsi fieri cupiant, nec tamen facere audeant, alios audere jubeant: quam inconstantiam animorum Schillerus in Mariae Stuart IV, 11 egregie expressit. Simili artificio Terentius h. l. usus est. Consilii inops inter metum et cupiditatem Clitipho trepidat, nimis cupiens, quam ut Syrum mittere velit, nimis metuens, quam ut eum retinere audeat. Ex hac difficultate ut se expediat, omne discrimen rei et inde culpam futuram in Syrum conjicit, eum *judicem*, quid audendum, quid fugiendum sit, fieri jubens, ei *amorem et famam permittens.* Quare *judex*, quod omnes Codd. habent; non *inlex* legendum est.
131 — 132. qui versus, quum tamquam imagine nobis proponant, amantes quomodo coram agere soleant, ab arte amandi potius, quam ab arte Grammatica lucem suam petunt.
II, 3, 22. Bentlejus:
Immo, út patrem tuum vídi, partes díu etiam durás dabit;
interpretans ita magis poëtam, quam sibi eum restituens. Equidem quantum linguam Latinam novi, *ut patrem tuum vidi esse habitum est ut patrem tuum se habere vidi*, nihil amplius; *duras dabit* nihil est praeter *duras partes dabit:* ut, quod legendum recepimus, hoc sit: *quem ego novi patris tui animum, ille multa tibi etiam in posterum negotia facesset.*
III, 1. Quod inter II, 3 et III, 1 integra nox intercedit, id Iulio Caesari Scaligero tam incommodum visum est, ut serio putaverit: *Dimidium fabulae actum vesperi: noctem transactam esse ludis: alterum dimidium reliquum sub lucem* (Poëtices VI p. 709). Nimirum hoc illud sit, quod A. G. Schlegel de arte theatrali II p. 105 censuit: Poëta si quis non tantum spectatorum animis tribuat, ut eos suspicetur, etiam longioris temporis praeterlapsi, si quando spectaculum interrumpatur, opinionem concipere posse, quam quod tibiarum moduli emensi sint, prudentius agere, si spectatores suos invitare malit, ut ad secundum Actum crastino die redire velint, quo iis res verisimiliores videantur. Paulisper et ipsi Romanos miratos esse putamus, quum tota nocte repente se promotos esse sentirent; mox nova rerum agitatione abreptos de hac re ne cogitasse quidem. Ante etiam spe-

ctatae fabulae de continuatione temporis Graecos Romanosque non Gallice obstinatis animis curare docuerant.

1. *Luciscit hoc.* Muretus comment. in Catull. ad C. Licinium Calvum T. II opp. p. 740: „Nonnumquam etiam dicebant, *lucet hoc*, aut *luciscit hoc*, quum videlicet coelum, aut inane illud spatium intelligerent. Plautus Amphitruone:

Eamus, Amphitruo, luciscit hoc jam.

Idem Curculione:

Quid tu, Venerin' pervigilare te vovisti, Phaedrome?
Nam hoc quidem edepol haut multo post luce lucebit.

Idem Milite:

Vigila, expergiscere, inquam; lucet hoc, inquam.

Terentius Heauton Tim.:

Lusciscit hoc jam. cesso pultare ostium
Vicini? etc. Hunc autem locum ita interpungendum esse, primus me, ante hoc biennium, admonuit vir omni elegantis doctrinae genere politissimus, Adrianus Turnebus, regius Lutetiae Graecarum literarum professor."

11. Codd. habent vel *ingenio egregio ad miseriam natus sum;* vel *ingenio egregie ad miserias natus sum: egregie* quidem praetuli, quoniam *ego egregie natus sum ingenio ad miseriam* gravius quid dicit, quam *ego ingenio egregio ad miseriam natus sum.*

35. *commetare* probabili Bentleji conjectura i. e. *commeare.* Faërnus: *commeare,* hunc versum constare dicens, contractis in unam duabus mediis syllabis verbi *commeare;* ultima vero per synaloephen non elisa.

63. *ibi esse* i. e. in eo esse, *id agere.* cf. V, 2, 30. V, 5, 19.

75—76. Bentl. tamquam spurios expulit, nemine tamen recentiorum interpretum eum imitante.

89—91. Bentlejus post v. 102 in fine scenae collocat; nulla quidem librorum auctoritate, sed argumentis ita speciosis, ut praeter Daceriam nemo interpretum, quod sciam, iis restiterit. Ita Bentlejus ad v. 102 (99) disserit: „Nota illud *operam ut tibi darem;* ergo Menedemus adhuc in scena restitit. Cur autem restitit, qui (ut ante nos ordo inveteraverat) *domum hinc concedere* jussus erat; priusquam Chremes ad Simum et Critonem abierat? Hoc primum. Deinde illud vide; quomodo sibi constet Chremes, qui primo jubet Menedemum *domum concedere:* deinde, sui oblitus, manere eum et exspectare jubet dum redeat ipse: id enim sibi vult: *continuo hic adero. ita quaeso.* Porro et aliud vide: *A me,* inquit Chremes, *nescio quis exit:* is erat Syrus, qui tum forem aperiebat. Cur ergo mutus in scena stat Syrus toto illo tempore, quo Chremes abiens rediensque aberat? Denique, quum Chremes hic dicat: *operam ut tibi darem,* cur

Menedemus statim abit, injussus a Chremete, a se nihil causae dicens? "Ipse quidem, quamvis librorum certis indiciis caruissem, tamen, si ullum vestigium commutationis inter versus factae deprehendere potuissem, libenter Bentleji auctoritatem sequutus essem. Iam vero, quum vix credibile sit, continuationem versuum in omnibus libris ita permutatam esse, nec ullum, ne minimum quidem, signum mansisse: hanc primam causam habui, cur a Bentleji auctoritate recesserim. Praeterea haec insuper Bentleji opinio incommoda habet: v. 96 Chremes a Menedemo discedit, solus Menedemus in scena relinquitur, et post soliloquium Menedemi v. 96 — 101 Chremes, qui ad vicinos abierat, illico adest. Hoc tempus, inter discessionem et reditum Chremetis interjectum, et nulla alia redilatatum, etiam pro scenico artificio brevius, quam par est, esse videtur. Tum v. 90, sed qui Bentlejo auctore v. 101 factus est, Chremes Menedemum quidem domum incedere jubet, ne Syrus, eos inter se consentire sentiat, ipse tamen foris ad domum Menedemi (v. 1) restat; quod minus prudenter fit, quam si, ex altera versuum collocatione, uterque, ad vicinos alter, alter domum discedit. Ex hac i. e. ex antiqua versuum continuatione de serie rerum ita cogitandum sit: Studebo, ut tuae voluntati, Menedeme, satisfaciam; imprimis Syrus in partem vocandus erit. Sed nescio quis domo mea exeat; abeamus, tu domum, ipse ad Simum et Critonem, vicinos nostros. 88 — 95 discedunt. Menedemus domum suam intrans versus dicit 96 — 101. Interea Syrus ulterius in scenam prodit, spectatores gestibus, quibus sensus suos declarat, detinens. — Una difficultas restat eo, quod v. 102 Chremes Menedemum *(tibi)* alloquitur; sed non foris moratum credibile est. Chremes potius, qui in partem ei oppositam, qua Syrus advenit, discesserat, ex eadem redit, et in aversa a Syro aedium parte haec intro in aedes Menedemi dicit, scenam intrans.

III, 2, 10. *Aquilae senectus.* Aquilas non bibere Aristoteles dicit (Historia Animal. VIII, 3 et 18). Sed „in senectute, ajebant, aquilam, quod ei rostri superior pars vetustate et incremento curvata foramen includat [cf. Plin. H. N. X, 4 ed Hand.] ad cadavera accedere et sic sanguinem in potum sumere, et quodammodo bibendo vivere." Eugraphii ad h. l. De origine proverbii dubitatio esse possit, de sententia non potest, quum eam rerum continuatio satis aperiat.

20. *Syre, tibi timui male* servus a domino aversus et secum colloquens dicit, veritus primum, ne ipse sit ille *homo pistrino dignus.*

30. *jocon' an serio* etc. a domino aversus servus ad spectatores dicit; eodem modo 38 *non est mentiri meum*, hoc quidem eo majorem risum spectatoribus movens, quod, in quem herum

fallaciam suam instruebat, ei ipse aperte confitebatur, herum fallere se probe scire, et ad spectatores, et consiliorum et colloquii conscios, conversus post adjiciens: *videtis*, *me minime mentiri solere.*

III, 3, 13 — 14. v. Herm. elem. d. m. p. 173.

22. an ne prope illos quidem esse licet? Clitipho dicit, se excusans, quod manum modo in sinum meretricis inseruerit. Licet quidem tibi prope esse, Chremes respondet, sed multum interest, quonam modo tu prope sis, et prope eos te geras.

28—29. Bentlejus aliquot verbis vel mutatis vel transpositis iambicos effecerat: verum quum in libro Bembino hac ratione legantur, et ad iram animi exprimendam trochaici aptiores sint, non dubitavi, quin ipse Terentius trochaico numero, cui clausula adjecta est, Clitiphonem debacchantem fecerit.

III, 4. apud alios est III, 3, 30 — 52.

15—16. Perlet:

Sy. Cliniam orat, sibi ut id nunc det, illam illi tamen
Post daturam. mille nummum poscit. Ch. et poscit quidem;

nostra lectio a Bentlejo inventa est.

III, 5, 15. Ita hic versus scriptus legitur in ipsa editione impressa Venetiis per Nicol. Girardengum a. MCCCCLXXVIIII, comprobante postea Mureto. Bentl. dederat:

Sústulisti. Sy. sic est factum: mínor ergo crus damno aúctus est;

sed Eugraphius, qui ad fidem huic lectioni faciendam testis adhibetur, aliud quid dicit, quam quod dixisse a Bentlejo dicitur.

32. i. e. quum tuus animus, quippe natu gravioris, ad veniam sit proclivior; pro *quando* plerique *quanto;* sed emendátio ita sua sponte se offert, ut ipse eam invenerim nesciens, Erasmum jam eodem modo (si verum est, quod Schmiederus monet, nam in ea quidem editione Erasmi, quam habeo, Basileae 1532 id secus est) emendasse. Bentl., quae ejus est audacia, correxerat:

Quánto tu me es ánnis gravior, tánto es ignoscéntior.

Caeterum, si quem offendat: *animus*, *natu gravior*, is legat: *natu graviore*, ut sententia sit: quum tuus animus graviore aetate ignoscentior factus sit; quemadmodum Livius III, 71: *Scaptius magno natu.* Nepos in Datam. c. 7; ubi *natu* plane eodem modo adhibitum est, quo *aetate* adhiberi solet. Quodsi Livio Augusteo tempore ita dicere licebat, quanto magis Terentio in origine literarum Latinarum.

III, 6. Canticum.

IV, 2, 2. *Decem minas* Graeca attractione dictum p. *decem minae.* Fr. A. Wolf ad Demosth. orat. adv. Leptinem p. 462: „Quae hic occurrit syntaxis, οὐδὲ οὗς οὗτος ἔγραψε, τοὺς ἀφ'

Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος, familiaris est Graecis, neque eam Latini refugiunt. Sulpic. ad Cic. Epp. IV, 5., ubi *propinquos ac familiares* p. *propinqui.*" cf. annot. ad Eunuch. IV, 3, 11.

15. Herm. elem. d. m. p. 157.

20. *Etiamne.* Forcell. Lex. s. v. *etiam. Etiam* p. *adhuc.* Varr. L. L. V, 7: „Fano consumebatur omne, quod profanum erat, ut *etiam* fit" i. e. ut adhuc fit. Andr. I, 1, 89. III, 2, 23. Hec. V, 1, 19. Cic. Tusc. I, 6.

IV, 3, 33. Pro *in perpetuum*, quod libri habent, Bentl. invenit: *serio*; hoc enim, non illud sententiarum continuationem requirere; sed ipse Bentl. vereor ne, si alius quis ita corrigere voluisset, praecipue eum derisisset. *In perpetuum* enim, sive, quod alii libri habent, *perpetuo* hoc declarat, Syrum Chremetem non rogare, ut *in perpetuum* itaque *verum* matrimonium filiam suam Cliniae det, sed in matrimonium ad temporis momentum tantum duraturum i. e. in *fictum* matrimonium. *Serio* igitur, quod Bentl. invenit, in ipsa sententia reconditum adest, ne adscripto quidem vocabulo.

IV, 4, 14. Bentlejus:

Quid igitur tibi vis dicam? adisti mihi manum,

quod Plautina loquutione esset *me decepisti.* Sed vereor, ut id alicui credibile sit, quod ex *adisti mihi manum*, *abiisti* factum sit; mihi quidem Bentl. id non persuasit. Quodsi correctio necessaria esset, Bothe emendavit:

— — — *abegisti! mihi?* sed vix opus est, ut corrigamus. Syrus irato Clitiphoni objecerat, parum abfuisse, quin Clitiphonis protervitate perditus sit. Clitipho id tibi inquit pro merito tuo evenisset. Quid? pro merito meo? Syrus occurrit, novum beneficium, quod in Clitiphonem collaturus erat, commemorans. Clitipho contra pro irato suo animo Syri merita dicendo elevat: Quidnam est, quod de me meruerís, quod tanti sit? *abiisti* et amicam meam adduxisti, sed nihil profeci tua viatoris opera, quum amicam meam ne attingere quidem liceat. Syrus, omissa altercatione, neque se iratum esse dicit, et novam fraudem suam narrare incipit. Aptissime igitur *abiisti*, quo artificiosam Syri fraudem, qua Bacchidem arcessierat, quotidiano et facillimo itineri aequiparabat. Bentleji lectio id praeterea incommodi habet, quod dactylus est in quinta sede trimetri. cf. not. ad I, 1, 113.

IV, 5, 8. *pro alimentis;* aliqui libri *pro hortamentis;* quod verbum quamquam in idoneo significatu plane ignotum est, quippe quod semel praeterea Plaut. Capt. III, 4, 82 pro *ornamenta* aliorum librorum in codd. legatur, suspicor tamen in eo aliquid veri latere, etsi id inde eruere nequiverim.

10. pro *adposcent* Bentl. correxit *adposcet* Antiquam lectionem cum Schmiedero retinuimus, qui videatur.

IV, 6, 10. Versus, qui est post decimum:

Erravi. sic res acta est, quanta spe decidi!

(cf. Erasmi editionem) ex auctoritate libri Bembini, quam etiam Faërnus, Bentlejus, alii sequuti sunt, in hac editione omissus est.

V, 1, 4. *Quae sunt dicta.* Bentl. ex codd. duobus *dictae* correxit, ut cum rebus conveniat; sed longe plures libri quum *dicta* habeant, non dubitavi hoc illi praeferre, propterea, quod *dictae* Grammaticorum magis sedulitatem, quam poëtarum audaciam redolet.

10. *per tempus* i. e. opportuno tempore, quod Bentlej. omisso *Chreme (ehem, per tempus, Menedeme)* ex auctoritate aliquorum librorum indidit, in interrogatione vix idoneam sententiam praebet.

26. Bentl.: „veterrimus noster *subolat*; alter *subolet*; caeteri omnes *subolcat*.“

31. v. ad Andr. II, 3, 7.

V, 2. v. not. ad Andr. V, 3 — 4.

25. v. p. 226.

45. Bentlejus correxerat:

Tam difficillumé patris pacem in léges conficiét suas;

sed si cui trochaicus displicet, medius inter iambicos, is cum Bothio legat.

Tam pátris pacem facillume conficiet in legés suas.

Sententia quidem nulla immutatione eget. Est enim similis illius sententiae, quam in Andria legimus V, 3, 32:

Pro peccato magno paulum supplici satis est patri.

Filius, quemadmodum ad minimam spem redactus erit, ita facillime patrem ad suas pacis conditiones adiget; sive, quanto magis filius ab omni se spe derelictum ostendet, tanto facilius se cum patre in concordiam rediget. — Syro contra, felix infelix sit filius, nihil gratiae habebitur.

V, 3, 8. Bentlejus: Scias an nescias perinde est. Ad integrum redit eadem oratio, sive scire te hoc dicam sive nescire. Una eademque oratio est in re tua: *Scire et Nescire.*“

V, 5, 6. versus dispares, sed numero continuato.

Dissimilitudo descriptionis Scenarum et Actuum, quae est inter Bentleji et hanc editionem.

II, 1 Bentleji	I, 3 hujus editionis.
II, 2 —	II, 1 — —
II, 3 —	II, 2 — —
II, 4 —	II, 3 — —
III, 3, 30 — 52	III, 4 — —
IV, 1 —	III, 5 — —

IV, 2	Bentleji		III, 6	hujus	editionis.
IV, 3	—		IV, 1	—	—
IV, 4	—		IV, 2	—	—
IV, 5	—		IV, 3	—	—
IV, 6	—		IV, 4	—	—
IV, 7	—		IV, 5	—	—
IV, 8	—		IV, 6	—	—

ADELPHI.

L. ANICIO GALLO M. CORNELIO CETHEGO COSS.

ACTA AB U. C. DLXXXXII. A. CHR. 162.

Hanc fabulam e recentioribus in *schola maritorum (Ecole des maris)* is poëta imitatus est, quem nomine Menandri Gallici Ruhnkenius dignum esse putavit *(Molière)*. Consilium scribendae fabulae a Terentio Francogallus mutuatus est; sunt etiam aliqui loci, qui ad verbum de Latino exemplari expressi esse videntur (Mol. A. I sc. 4, 5—6. Ter. IV, 7, 43—44. Mol. A. I sc. 2 Ter. I, 2, 29 *); reliqua novus poëta ita mutavit, quemadmodum pro dissimili aetatis et hominum judicio mutanda erant. Pro senibus patribus senes tutores, pro filiis filiae ibi sunt. Persona Syri vel plane e fabula dimissa vel in Ergasti persona tenuissimis tantum nec cum Terentio comparandis lineamentis adumbrata est; quare Gallica fabula prae Latina insigni commendatione caret. Syri nequam facta apud Gallicum poëtam ab ipsa filia, quae in tutela est, nequiter fiunt, fraude artificiosiore quidem, sed multo minus verisimili. Et prologo, qui est I, 1, et epilogo, qui est V, 2 sqq., Gallica fabula privata est, itaque causas nescimus, cur Micio mitis, cur Demea severus sit. Gallica fabula in Scena consistit, quae primae Scenae Actus V Terentii par est, et quantum ad Demeam attinet, exitu paene tragico est: Latina fabula post V, 7 et senum animos cum filiis, et filiorum animos cum senibus reconciliavit. Ridiculi vel aequam partem, vel majorem etiam, quum tutores iidem amatores puellarum, quae in tutela sunt, esse fingantur, Gallica fabula suppeditet: Latina fabula generosiores sensus excitat, et rectius inchoatur, et aptius concluditur. „Servatur, Donatus dicit (Argumento in Adelphos), per totam fabulam mitis Micio, saevus Demea, leno avarus, callidus Syrus, timidus Ctesipho,

*) *Qui font, que les enfans comptent les jours des pères.*

liberalis Aeschinus, pavidae mulieres, gravis Hegio.“ Quare nec Diderot (de Theatro p. 296), nec Voltarius, neque editores poëtae Gallici audiendi sunt, qui suum poëtam veteri poëtae anteponunt, et merito etiam Lessingius (de re theatrali Hamburg. II p. 142 sqq.) eos aliqua ex parte refutavit.

ANNOTATA IN ADELPHOS.

Prol. 6. Neque de Diphili Synapothnescusi, neque de Conmorientibus Plauti quidquam notum est praeter unum versum, qui inter Plauti Fragmenta legitur. Diphilus a Vellejo Paterculo I, 16 Menandro et Philemoni aequalis aetate fuisse dicitur.

10. cf. II, 1 sqq.

23. *hi partim aperient.* Burmannus ad Virgil. Aen. V, 864 n. 8: „Terent. prol. Adelph. 23: *hi partem aperient si in agendo partem ostendent*, ubi Bentlejus contra omnes codd. *partim* restituit; sed si jam hoc recipiendum, non semper pro adverbio, sed et in accusativo casu capiendum; nam *partim* ita veteres usos docebunt notae Gronovii et Drakenb. ad Liv. XXIII, 11 [§. 11] et XXVI, 46 [§ 8]. vid. et Gronov. III Observ. 2 de usu hujus vocis *partim*.“

I, 1, 1. *Storax.* Diderot de Theatro Opp. III p. 346: „Plauti, Aristophanis et Terentii quot loci sunt, in quibus callidissimi interpretes eo ipso haesitaverunt, quod artificium scenicum poëtae non indicare placuit. Terentius Adelphos hoc modo orditur: *Storax. Ergo proxima nocte Aeschinus domum non rediit.* Hoc quid sibi vult? Micio num cum Storace colloquitur? Minime. Nemo Storax in scena est in hoc momento temporis. In omni fabula nemo talis reperitur. Igitur quid sibi vult? Hoc: Storax e servis Aeschini est; Micio eum appellat; ad quod quum Storax non respondeat, Aeschinum domum non redisse Micio inde colligit. Unum vocabulum, quo gestus declararetur, hunc locum explicuisset.“ Donatus ad h. l. similiter: „Storacem vocavit, non Aeschinum: quo tacente puerum i. e. Aeschinum absentem credit, quia servuli adolescentibus praestolantur. — Sed quia fieri poterat, ut domino absente adesset Storax, commodissime adjecit: *Neque servolorum quisquam, qui advorsum ierant.*“

3 — 52. Bened. Wolff inter ea Cantica habet, de quibus, an Cantica sint, dubitatio esse possit; summa esse potest. Soliloquium quidem est, quod a Micione in his versibus institui-

tur, et soliloquia Cantica esse solebant; sed tam sedato animo tam lente cogitata Micio pronunciat, ut parum credibile sit, cantando eum poëtam haec sensa pronunciantem fecisse.

3. Servius ad Aen. III, 430 habet: *Si abis* [sic] *uspiam, aut ubi si cesses.*

18—19. Menander (p. 5):

Ὦ μακάριόν με γυναῖκα οὐ λαμβάνω.

25. *contra, me. Contra* non praepositio, sed adverbium est, *vicissim*, quare incisi signo *contra* et *me* Faërnus disjunxit, ut per se utrumque seorsum efferretur. Plaut. Amph. II, 2, 23: *Quae me amat, quam contra amo.* Cic. II. Philipp. 15: *Sed et ego, quid ille, et contra ille, quid ego sentirem, videbat.* Ter. Eun. II, 3, 64: *si scias, quod donum dono huic contra comparet.* Serv. ad Aen. X, 567: *contra* non *adversus*, sed *similiter, a pari*, ut Terent. in Adelph. in capite comoediae I, 1, 25.

31. Menandri Fragm. p. 6:

— — — οὐ λυποῦντα δεῖ
παιδάριον ὀρθοῦν, ἀλλὰ καὶ πείθοντά τι. —
νὶῷ προθύμως τάξιούμενον ποιῶν
κηδεμόν' ἀληθῶς, οὐκ ἔφεδρον ἕξεις βίου.

I, 2, 2. *rogas me, ubi nobis Aeschinus siet?* i. e. in eo loco, in quo nunc Aeschinus est, etiam tu me rogas? sive, quum in hoc loco sc. levitatis Aeschinus demersus sit, etiam tu me rogas? Conjunctivus, qui ab interrogatione indirecta pendet, est: *quid sim; siet* conjunctivo dictum est, quoniam *ubi — siet* incisum factum aliquod non tamquam factum, sed tamquam cogitatum igiturque addita aliqua commoti animi significatione effert: *rogas me, qui cogitas* sive *quum cogites* i. e. scias, in quo loco etc.

73. *nisi* i. e. quamquam, sed. Plauti Menaechm. prol. 59: *ei liberorum, nisi divitiae, nihil erat* i. e. liberorum nihil habebat, sed divitias; ibi vide Gronovium; interpp. ad Catonis de re rust. LXXVII et Forcellini Lex. s. v. *nisi.*

II, 1. v. Prol. 10.

2—3. *consiste; quid respectas?* Aeschinus ad virginem conversus dicit, quam modo lenoni eripuerat.

7. *fide optuma.* Haec verba minus mihi ad eam *fidem* pertinere videntur, qua leno uteretur in rebus venereis juvenibus comparandis, quam ad eam *fidem*, qua uteretur ad injurias sibi illatas ulciscendas. Adjecisse haec verba leno videtur ad metum de minis suis augendum.

9. *hujus non faciam* digitum ostendens dicit i. e. *ne minimi quidem faciam.*

11—12. ex Hermanni praecepto elem. d. m. p. 174. Bentlejus scripserat:

— — *jusjurandum dabitur, te esse indignum injuria hac;* — —

19. *o facinus miserandum!* Sannio clamat, quum Parmenonis colaphos in ore suo sentiret.

28. *opperiere* ab *operire.*

40. *liberali illam adsero causa manu* i. e. vindico eam in libertatem. Donatus: „Ordo est: *Ego liberali causa manu adsero.* Sunt juris verba. — — causa ipsa *liberalis* dicitur, quae actionem in se continet libertatis.“

42—54. v. de Canticis in arg. in And.

II, 2, 15. *quasi usquam tibi sint viginti minae, dum huic obsequare.* Donatus: „Sensus: quasi numero in aliquo ducas, et in aliqua aestimatione constituas, et non, si velis, penitus contemnas viginti minas, dummodo huic obsequaris.“

18. *ubi illinc* etc. i. e. tamen non prius, spero, *hoc ages,* ut debitas tibi viginti minas exigas, quam ex Cypro redux factus eris.

II, 4, 3. *tristitiem* pro *tristitiam* e libro Bembino.

6. *adsentandi;* deest *causa.* Don. v. Drakenborch ad Liv. XXXI, 12, 4. *quo habeam* libri Bembini est et versus ita requirit, ut legamus. Graeca attractione dictum est pro: *eo, quod.* Alii scriptum habent: *quod.*

14. *ne tam quidem* etc. i. e. cavebo mihi, ne tantum properem in Cyprum, imo manebo otiosus hic.

23. *hilare hunc sumamus diem* Bentlejus bene dedit pro eo, quod prius legebatur, *hilarem hunc sumamus diem.*

III, 1, 8. *e re natae* i. e. ad utilitatem Pamphilae. Ita Bentlejus dicit omnes suos codices scriptum habuisse. Aliam lectionem Donatus praebet: *Et re nata* sive *e re nata. E re nata,* quae *nascitur* i. e. sua sponte fit, per oppositionem earum rerum dictum sit, quae per homines et de proposito fiunt. *E re nata* i. e. pro ea specie, quam nunc semel res nostrae, velimus nolimus, induerunt. Donatus: „*e re nata.* Sic proprie dicimus de iis, quae contra voluntatem nostram acciderunt, ut nunc vitium virginis.“ Quare nec testis, nec, quam testatur, res contemnenda sit.

De amore Pamphilae v. I, 2, 70.

III, 2, 1—21. Canticum.

3. *eraequae* emendetur *eraeque.*

8. *quem neque* etc. anacoluthon quodammodo est, et ad sensum quidem *illum* abundat, minime vero ad gravitatem dicendi, quae mirum quantum pondere augetur, postquam novum impetum addito *illum* oratio cepit.

19. *cerebro dispergat viam.* pro eo, quod saepius dicitur: *cerebrum dispergat via.* Sed de industria mutatum est. *Spar-*

gimus humi folia, quum aliqua folia per humum spargimus; *spargimus humum foliis*, quum sparsis foliis humum quasi contegimus. *Dispergimus cerebrum via*, quum aliquid cerebri per viam spargimus; *dispergimus cerebro viam*, quum denso cerebro, quod spargimus, viam quasi contegimus. Ad gravius minandum mutatum est, et ad gravitatem minarum augendam tempus quoque praesens pertinet pro imperfecto positum; quod pro re cogitata rem factam dicendo substituit.

30. *ipsius* emendetur *ipsus*.

III, 3, 11. *enarramus* contractum p. *enarravimus*.

21. *ne dicam dolo*, ne dolose dicam i. e. ne mentiar.

34. psaltriae quales fuerint v. intpp. ad Liv. XXXIX, 6, 8.

43. *coeperet* pro *coeperit* in aliquibus libris Terentii et Prisciani, qui hunc locum XVIII, 25 § 252 laudat, scriptum, in aliis libris propter insolentiam formae, ut videtur, in *coeperit* et *coeperat* transformatum est.

47. *abigam hunc* i. e. Demeam *rus*, depressa voce Syrus et a Demea aversus ad spectatores dicit. „Ut pecudem dixit *abigam*: non ut hominem *mittam*.“ Don. Intus domi erat Ctesipho cum psaltria se oblectans; v. II, 4, 20.

61. Bentleji libri omnes et priores editiones:

Inspicere, tamquam in speculum, vitas omnium;

omisso *in*, sed Bentlejus, Ruhnkenius et novissimi interpretes ita legi vetant. Contra Burmannus ad Petron. c. 84 p. 414 et nuper Schaeferus in ind. ad Greg. Corinthium s. v. *Praepositiones* (p. 1056) lectionem defendere voluerunt; Schaeferus quidem ob similitudinem aliquam cum Graeca dicendi ratione. Graecos enim post ὡς, ὥσπερ praepositiones aliquando iterare neglexisse, ita, ut pro ἐλπίδες, ὡς ἐν λιμένι ἐν τῷ λογισμῷ ὁρμοῦσαι dicerent: ἐν λιμένι τῷ λογισμῷ, praepositione ἐν non iterata (Schaef. ad Greg. Cor. p. 135 et p. 394 ad Dionys. Halic. de comp. verb. p. 327 sqq.). Praeterea Latine verba cum praepositione composita ubi proprie usurpantur, praepositionem suam iterare solent; quare: *inspicere in speculum*; ubi impropric usurpantur, praepositionem non iterant, quare *inspicere vitas*, ut sit: *jubeo filium inspicere vitas hominum*, *tamquam inspicientem in speculum*, in qua dictione inaequalitatis aliquid populari dicendi generi tribuendum foret. Ita etiam causa detecta sit, quamobrem v. 74 *inspicere in patinas*, non *patinas* oppositum fuerit. Igitur haec lectio non adeo contemnenda esse videtur. Ipsa novitas lectionis causae fuisse videtur, cur alii legerent: *tamquam in speculo vitas hominum*.

75. *facto usus sit*. v. annot. ad Hec. III, 1, 47.

III, 4, 12. v. de v. T. p. 220.

24. v. p. 206.

41. v. Andr. III, 1, 15.
58. *tum* emendetur *tam*.
62. *indicente* i. e. non dicente.
IV, 1, 7—8. Herm. elem. d. m. p. 182.

12. *in mentem est* Bentlejus ex auctoritate Bembini codicis restituit; alii libri trita dicendi ratione *in mente est* habent. Sed ipse A. Gellius in noctibus Atticis I, 7 narrat, non solum Plautum [Amphitr. I, 1, 25] dixisse *mihi in mentem fuit*, sed etiam Ciceronem *in potestatem esse;* ex quo consensu cum A. Gellio, quanta sit Bembini codicis praestantia, existimari potest. Cato quoque de R. R. 52, 1 et 156, 5 etiam Caesar de bello civ. I, 25 *in* ad verbum quietis cum accusativo conjunctum habent. Quare jam pridem Gerardus Ioannes Vossius in libro de constructione sive artis Grammaticae libro VII c. 65 Catoni, Plauto et Terentio hanc conjunctionem verbi vindicavit, et Taubmannus ad Plauti locum laudatum, interpretes ad Iulium Caes., novissimi Grammatici ejus vestigiis insiterunt: doctissime Forcellinus in lexico s. v. *in* de hac re dixit. Ipsi vero, ut hanc dicendi rationem animadvertere velint, lectores hortamur, quo facilius veritatem ejus rei sibi persuadeant, quam in annotatis ad Terentium saepius attigimus, Terentii aetate linguam Romanam nondum tam imperiosis, quibus post, artis legibus adstrictam fuisse.

21. *Lupus in fabula.* Serv. ad Virg. Ecl. IX, 54 (ed. Burm.): „Hoc etiam Physici confirmant, quod voce deseratur is, quem prior viderit lupus. Unde etiam proverbium hoc natum est: *lupus* [*est*] *in fabula*, quoties supervenit ille, de quo loquimur, et nobis sui praesentia amputat facultatem loquendi.“

IV, 2, 11. *etiam taces?* reprehendentis est, ut Heaut. II, 1, 6 *etiam caves?* pro eo, quod alias dicitur: *quin taces? non taces?* v. Schmied. ad h. l.

46. *Lectulos in sole.* Bentlejus hortatur, ut junctim accipiamus; lectorum aliquam speciem tum notam et sic appellatam fuisse dicens. Melius Ruhnkenius et recentiores interpretes: *lectos in sole* lectos convivales esse, qui in apricis locis ponebantur ad *insolanda* convivarum corpora, *quoniam insolationem* sive aprication em veteres in deliciis habebant. Inde igitur Demeae quoque interrogatio quaerentis orta est: *quibus utemini vos ad potandum?* Ut ipsum vultum, quo servus haec interrogatus responderit, mente nobis fingere possimus, conferent, quae Donatus ad h. l. annotavit: „Repente [Syrus] interrogatus, quod minime opinabatur quaesiturum senem [filius *quid ibi faciat*], arripuit statim *lectulos;* et, quia potuit senex dicere: *mentiris:* nam habet lectulos, addidit ex tempore: *in sole.* Et ne eos quoque habere diceret, addidit: *ilignis pedibus faciundos.* Sed

hoc gestu actoris adjutum est: quasi eodem tempore servus et quaerat, quid dicat, et respondeat."

47. *ubi potetis vos.* Ad haec verba etiam Donatus addidit: „Incerta persona est: nam Syro vel Demeae hoc dictum jungi potest." Tamen Bembinus et Victorianus liber Demeae ea verba tribuit, quorum librorum auctoritatem una cum Bentlejo sequuti sumus.

IV, 3, 16. *ludier* probabili Bentleji emendatione; veteres libri *neclegi*, ad quod Donatus: legitur et *claudere* et *claudicare*. Ex *claudier* Bentlejus elicuit *ludier*, quod propter ductus literarum verisimile et sententia sua prioribus aptum est. Micioni autem Lampriae apud Menandrum nomen fuisse ex hoc Menandri fragmento in Menandr. et Phil. Rel. ed. Meineke p. 7, quod nostri loci simillimum est, colligitur:

Πρὸς ἅπαντα δειλόν ἐστιν ὁ πένης πράγματα,
καὶ πάντας αὐτοῦ καταφρονεῖν ὑπολαμβάνει·
ὁ γὰρ μετρίως πράττων περισκελέστερον
ἅπαντα τ' ἀνιαρὰ, Λαμπρία, φέρει.

IV, 4. Canticum. v. spr.

1—10. ex Hermanni praecepto elem. d. m. p. 93 et 432. v. d. vss. Ter. p. 224.

1. *discrucior animi.* Ruhnkenius: „supple dolore." At enim haec nobis eadem dicendi ratio esse videtur, quae est in *pendere animi* Cic. Leg. I, 3, et *angere animi* Plaut. Epid. III, 1, 6, ubi *animi* pro *animo*. Simillima alia sunt dicendi genera e. c. *dubius animi*, de quo v. Ruhnkenium ad Vellej. I, 9. Oudendorp ad Hirtii bell. Alex. 56. *dubius sententiae, mentis, consilii*, de quo v. Drakenborch ad Liv. XXXIII, 25, 5, in quibus *animi* etc. pro *animo* etc.

IV, 5, 53. *mágnum*, *mágnum* emendetur: *magnum*, *mágnum*, accentu deleto in *magnum* prius posito. *Magnum* primus Muretus, post eum Faërnus, Bentlejus et optimi quique interpretes geminaverunt.

IV, 7, 9. *non malim quidem;* deest: *insanire, quam sana mente esse;* i. e. certe parum mihi gratum sit, si, quod tu ex me quaeris, sit, ut insaniam. Quare post *non* punctum, quod ex Bentlejana in hanc editionem fluxit, auferendum est. Ipse Donatus tamen auctor est, etiam sua aetate fuisse, qui *malim quidem* Demeae tribuerent. Sed ne longus sim: *non malim quidem* Micioni tribuere, et ita id interpretari, quemadmodum modo fecimus, tantum placet, ut alias interpretationes hujus loci commemorare nolimus; praesertim, quod in hac interpretatione hoc argumentum veritatis insit, quod, olim jam a Schmiedero inventam, ipsi denuo invenerimus.

34. *restim* i. e. funem *ductans saltabis;* saltationis genus,

ut videtur, puerile, et gravitate senis nequaquam dignum. Vel plura vel certiora de eo non comperimus; ipse Donatus dubitat, quale fuerit. Putat tamen, „manu consertos choros puellorum puellarumque cantantes, restim ducere existimari: et id maxime convenire ad exagitandam importunitatem senis, veluti pueros imitantis.“ Ruhnkenius in dictatis nostrum locum cum Horatii Epist. I, 10, 48 et cum Livii XXVII, 37, 14 comparat, ubi haec leguntur: *in foro pompa constitit; et, per manus reste data, virgines sonum vocis pulsu pedum modulantes incesserunt.* Schirach in Clavi Poëtarum Classicorum s. v. *Restis* hoc saltationis genus, de quo dicitur, Cordacis Graecorum non dissimile fuisse censet; quoniam pro κορδακίζειν Aristophanes in Nubibus dixerit: κόρδακα ἑλκύειν. v. Casaubonum ad Theoprasti Characteres VI, 1. Sed audacius, quam verius, haec inter se comparata sint, et ad Terentium intelligendum vix plura hujus generis investigare attinet.

IV, 8, 1. Ipse sibi blandiens Syrus diminutivo vocabulo Syriscum se appellat.

5. „Defenditur (hiatus in semiseptenaria Caesura [hephthemimeris] in diversis personis), quod inter audiendi et respondendi vices moram intercedere justam oportet; nec alibi, quod memini, apud Terentium occurrit, quum Plautus oscitantius versus edere non refugiat. Adeo est ille compositionis numerorum prae hoc artifex.“ (Wasii sunt in Senarii c. 4 p. 40.) v. d. vss. Ter. p. 219.

8. *dis* i. e. dives.

V, 1, 17 — 18. Suidas II p. 385, quod Meineke dicit (locum vero in editione Suidae ab Aemilio Porto curata reperire non potui): κοινὰ τὰ τῶν φίλων — κέχρηται τῇ παροιμίᾳ Μένανδρος Ἀδελφοῖς. Quare Iacobsius hunc versum Menandri fuisse conjicit:

Αἶνος παλαιός ἐστι· κοινὰ τὰ τῶν φίλων.

v. Meineke in Menandri Rel. p. 8 et Bentleji Emendationes in Menandrum p. 2—3.

29. Post *evenere* major interpunctionis nota deleatur et minor ponatur. *Uti* cum accusativo conjunctum est, quocum Catonis et Terentii aetate conjungi solebat. v. Schneid. in ind. ad Scriptores rei rusticae s. v. *utor*.

36. *quibus ex* pro e *quibus*.

41. *scire est liberum ingenium atque animum* i. e. inde cognoscere licet, et mente et pectore eos ingenuos esse. *Est* p. licet Graecam originem redolere videtur; Graece enim dici poterat ἔστι p. ἔξεστι i. e. *est* p. *licet*.

55. „*Cum primo luci*. *Luci* adverbialiter ponitur more antiquo, ut *mani* pro *mane*. Plaut. Cistell. II, 1, 49 *cum primo*

luci cras. Vid. Perizon. ad Sanct. Min. I, 9 p. 64 et Bentl. ad h. l. His autem temporum nominibus saepe additur praepositio *cum*. Hirt. B. Afr. c. 62 *cum primo mane.*" Ruhnk. ad h. l.

57. *pugnaveris* i. e. magnam rem feceris, ut bene explicat Donatus. Eun. V, 2, 60: *dabit pugnam aliquam.*

60. *illi* antique pro illic, nempe ruri.

V, 2. v. p. 242.

5. *quám* emendetur *quam.*

20. v. p. 207.

V, 5, 17. „*Babylo.* Disceptant interpretes *Babylo* sit dativus a *Babylus*, an *Babylo* vocetur primo casu. Posterior sententia verissima est. Nam fratrem vocat *Babylonem* pro prodigo, quod Medi et Persae tum omnium ditissimi et luxuriosissimi erant." Ruhnk. ad h. l.

vinginti emendetur *viginti.*

19. *tu illas abi et traduce* pro abi et traduce illas.

21. *Factum velle.* Ruhnkenius in Praefatione ad Schelleri Lex. (Opusc. II p. 727): „*Facio.* Hic frustra quaesivi formulam Comicis usitatam *factum alicui velle* pro bene velle, favere. — — — Vim formulae explanarunt Casaub. ad Apulej. Apolog. p. 166 (168), Salmasius ad Tertullian. Pall. p. 120; imprimis Gronov. ad Gell. VII, 3."

V, 6, 10. *et te operam* etc. ad Aeschinum conversus dicit.

11. *situ sis homo*, ad eumdem Aeschinum conversus.

14. *aufer* sc. te i. e. abi.

26. *quod locitas foras* i. e. quod peregrinis locas colendum. Ruhnk.

28. *pro patre huic est?* emendetur: *pro patre huic est;*

33. *nunc tu mihi.* haec verba deleantur.

32 — V, 7, 1. Hermanni sunt, qui, auctoritatem codicis Lipsiensis sequutus, p. 165 sq. doctr. m. ita corrigit. Bentlejus legebat:

Effúgere: dictum est vére, et re ipsa fiere oportet, Micio.
M. Quíd istic? dabitur quídem, quando hic volt. Ae. mi pater. D. nunc tú mihi,
Micio, es germánus pariter ánimo ac corpore. M. gaúdeo.
D. Suó sibi gladio hunc júgulo.

Sc. VII.

Sy. — — — Factum est, quód jussisti, Démea. — —
Suo sibi gladio hunc jugulo, quae a Bentlejo Demeae, non incommoda sententia, tribuuntur, eadem tamen Syro quoque tribui possunt. Syrus enim, qui Demeam ex priore ejus avaritia aestimat, dubitare non potest, quin Demeae, de maceria diruta V, 5, 10 nuncium afferens, magnam tristitiam allaturus sit, ita-

que *suo sibi gladio hunc jugulo* prius secum ipse loquitur, quam *factum est*, *quod jussisti*, *Demea* Demeam alloquitur.

13. *liber esto.* Festus p. 313 ed. Gothofredi: „*manumitti* servus dicebatur, quum dominus ejus, aut caput ejusdem servi aut aliud membrum tenens, dicebat: *Hunc hominem liberum esse volo*; et emittebat eum e manu."

23. *prae manu esse* nummi *praesentes* dicuntur.

24. *unde utatur* i. e. quo vivat.

28. Hoc versu Muretus Terentium putat Caecilium poëtam imitatum esse, qui in Hypobolimaeo scripserit:

— — *mea rastraria,*

Quod prolubium, quae voluptas, quae te lactat largitas?

(*Rastraria* mulier ruri agens et agrum colens. Forc.) Mureti V. Lectt. IV, 13.

Dissimilitudo descriptionis Scenarum et Actuum, quae est inter Bentleji et hanc editionem.

V, 1	Bentleji	IV, 8	hujus editionis.
V, 2	—	IV, 9	— —
V, 3	—	V, 1	— —
V, 4	—	V, 2	— —
V, 5	—	V, 3	— —
V, 6	—	V, 4	— —
V, 7	—	V, 5	— —
V, 8	—	V, 6	— —
V, 9	—	V, 7	— —

HECYRA.

T. MANLIO TORQUATO CN. OCTAVIO COSS.

EDITA AB U. C. DLXXXVII. A. CHR. 167

SECUNDO LOCO POST ANDRIAM.

Iul. Caes. Scaliger Poëtices VII p. 852: „Hecyra laxior fabula ac pedestrior est. Itaque omnium Terentianarum ad quotidianum sermonem quam proxime accedit.“ cf. de vita Ter. p. 197.

ANNOTATA IN HECYRAM.

Prol. I, 1. Bentlejus, ut hiatum effugeret, scripserat: *Hecyra est huic nomen fabulae: haec cum data est,* ita augens malum, cui mederi voluerat. Grammaticorum opiniones aliquamdiu obliviscere et aures consule: hae te docebunt, correctoris hoc loco arte adhibita depravatum, non emendatum esse poëtae verius judicium; tam vaste sonant, quae Bentlejus huc introduxit.

2. *vitium et calamitas.* Donatus ad h. l.: „translatio est ab augurio. *vitium* est, si tonet tantum; *vitium et calamitas* si tonet et grandinet simul et etiam fulminet.“

4. *stupidus* pro stupens. Don.

6. „Maluit (histrio) avarum poëtam populo inducere, quam suo operi diffidentem.“ Don.

Prol. II, 6. *Caecili.* „Quod rudi Terentio contigit, accidisse memoratur veteri Caecilio: quod huic semel, illi saepe: quod huic in aliis numquam, hoc illi fere in omnibus, quod huic

praeter Hecyram et actae et probatae sunt caeterae; illi partim exactae, partim vix probatae.“ Don.

13. *placitae sunt.* Serv. ad Aen. X, 106: „Et *licuit* dicimus, et *licitum* est, sicut et *placuit* et *placitum est.* Terent. Hec. prol. II, 12: *ubi sunt cognitae, placitae sunt.*

26. pro *accessit* Bentlejus corrigit *accedens;* illud *accessit* orationis seriem interrumpere et conturbare. Ea interpungendi ratione, quam cum Schmiedero ipsi adhibuimus, ne tironibus quidem hunc locum dubitationem injicere posse confidimus.

41. *pretium* h. l. de mercede ab editoribus ludorum vel de publico histrionibus dari solita. *Lucar* id dicebatur. v. Lips. ad Tac. Ann. I, 77.

49. *pretio emptas meo.* Plerumque Aedilcs a poëtis fabulas emerunt, aliquando tamen actores quoque fabulas suo pretio emerunt, ut Paris histrio ap. Iuvenal. Sat. VII, 87 a Statio emit Agaven. v. Ruhnk. ad h. l.

I, 1, 9. *eximius* h. l. proprie i. q. *exemtus.* Ita *eximia* animalia dicebantur, quae, ad sacrum usum destinata, e grege *eximebantur;* v. Macrob. Saturn. III, 5 p. 15. Donat. ad nostrum locum et Drakenborch ad Liv. VII, 37, 1.

16. *via* quomodo pronunciandum sit v. p. 214.

I, 2, 88. *Ad exemplum ambarum mores earum existumans* i. e. ambas mente sibi fingens itaque mores earum aestimans. *Exemplum* h. l. similiter dictum esse videtur, atque est, quum dicimus *exemplum literarum, epistolae* pro formula, *ἀντιγράφῳ* epistolae; ut sit *utriusque formulam vel ἀντίγραφον aliquod menti suae proponens itaque mores earum aestimans,* inestque in hac similitudine id risum commoventis, quod duos homines tamquam duobus *ἀντιγράφοις,* singulos sui ipsius, mente sibi Pamphilus proposuisse dicitur. Ruhnkenius tamen ad h. l.: „Negat Bentlejus, se intelligere, quid significet *ad exemplum,* corrigitque *ad amussim* i. e. accurate. *Amussis* est regula fabrorum, qua opus examinant, an rectum sit. Corruptum locum esse liquet: Bentleji conjectura an vera sit, dubitamus.“ Ne corrigere quidem opus est. — De numero versus v. p. 217.

97. Mur. v. lectt. XVII, 14 p. 431: „*Remigrare* (aliquando) nihil aliud est, quam *migrare* et *transire.* Sic *reddere* interdum idem est, quod *dare.* Celsus ICt. verbum *reddendi,* inquit, quamquam significatum habet *retrodandi:* recipit tamen et per se *dandi* significationem. Plautus Pseudolo:

Hercle haut te sinam emoriri, nisi mi argentum redditur.

Sic *redire* dicitur haereditas, quae tum primum defertur etc.“

114. Macrobius de diff. Graeci Latinique verbi ed. Bip. II p. 329: „Ponuntur (infinitivi) et pro gerundi modo. Cic. p. Quint.: *consilium cepisse hominis fortunas funditus evertere* p.

evertendi. Virgilius: *Sed si tantus amor, casus cognoscere nostros* p. cognoscendi. Et aliter Terentius in Hecyra: *It ad eam visere* p. visitatum; et *cantare pares et respondere parati* p. ad respondendum.

II, 1, 1. Bentlejus iambicum octonarium fecerat, ita scribens: *Pro deum atque hominum fidem* etc., ad quae Hermannus elem. d. m. p. 168: „(Bentlejus) in simili causa peccavit II, 1, 1 pessimum ab initio iambicum octonarium exhibens. — *Fidem* librarii addiderant, quod nomen in hac formula etiam alibi reticetur, ut in Phorm. III, 2, 4."

11. *accusatum* emendetur *accusatam*.

20. *illi* i. e. illic.

II, 2, 4. post *sit* nota maxima interpungatur.

10. Ante Bentlejum legebatur:

Haut ita decet, si perpetuam vis esse adfinitatem hanc.

hanc post *perpetuam* Bentlejus auctoritate codicum posuit, et *perpetuam* in *perpetem* mutavit, ut ne Anapaestus in quarto pede iambici tetrametri catalectici ante caesuram esset; v. p. 227 s. fin. Libri autem quum omnes *perpetuam* scriptum habeant: inde adducor, ut existimem, *perpetuam* retinendum fuisse, et *petuam* sive *petuanc* ab antiqua pronunciatione excusationem petiisse, et Iambi, quam Anapaesti, similius sonuisse. cf. p. 213 sq.

20. *eo domum studeo hanc* pro *studeo haec* Bentlejus dedit auctoritate editionum veterum, *redire, revocare* aut simile quid, ut passim, subaudiendum esse dicens.

II, 3, 1. *aequae* emendetur *aeque*.

III, 1, 1. v. p. 212.

6 — 7. *nam nos omnes — — lucro est ἀνακόλουθον* pro *nam omnibus nobis*, quemadmodum Bentlejus, unius vel alterius codicis vestigiis insistens, legit. Verum ejusmodi *ἀνακόλουθα* apud utriusque linguae scriptores tam multa sunt, ut id, quod h. l. habemus, vix admirationem nostram movere possit, et, quum Donati testimonio praeterea id confirmetur, Ruhnkenius et praestantissimi quique interpretes id retinent. v. Mureti Epist. I, 33.

33. *concivisse ere* pro *conciverit* Bentlejus ex conjectura quidem, sed Donati indicium sequutus, dedit. Simul Donatus docet, veteres infinitivo modo adjunxisse *fortasse*, quod genus Plauti est Poen. V, 2, 44; qui infinitivus verius tamen ex mera infinitivorum natura (qua res festinanter magis significantur, accurate declarantur; v. ad Andr. I, 5, 10), quam ex particula *fortasse* fluxisse videtur.

47. *facto est usus* aut *opus* i. e. faciendum est. v. Andr. III, 2, 10. IV, 2, 32. Phorm. IV, 6, 35. Heaut. I, 1, 28.

54. Hermannus Elem. d. metr. p. 141: „Denique in ultimo

pede (iambici trimetri acatalecti) haud facile reperias talem Iambum, qui extrita litera *s* finali nascatur, nisi in talibus formulis *sanun' es* — ⏑ — —. Hinc apud Terentium Hec. III, 1, 54 libri *siet*: quo minus dubium est, versum non fuisse *auctus sit* terminatum, ut Faërno Bentlejoque placebat. Scribe, omisso *morbus*, quod interpretis est:

Capiti átque aetati illórum, qui jam auctús siet,

in quo morbus e v. 50 mente repetendus erit." Bentlejus legerat:

— — — *morbus qui auctus sit.*

III, 3, 1 — 48. Canticum. v. p. 242.

8. *id quod* i. e. propterea quod.

35. *quod te scire, ipsa indicat res* i. e. indignatio, qua modo foras te proripuisti, indicat, te probe scire, fieri non potuisse, ut ex te gravida sit.

III, 4, 16 sqq. v. p. 206.

24. *illi* i. e. illic.

27. Pro *cadaverosa* Bentlejus invenerat *lentiginosa*; acute quidem, sed inventum tamen. *Cadaverosa facies*, sublivida ac personata rubore et livore. Don.

III, 5, 10. v. p 205.

19. *P.* emendetur *L.*

20. *La.* emendetur *Pa.*

32. Ruhnkenius ad Rutil. Lup. p. 58: „Miror, magnum Bentlejum in Terentio Hec. III, 5, 32 reliquisse: *haut invito ad aures sermo mi accessit tuus*, praesertim quum dudum Palmerius e MS. emendasset: *h. i. a. a. s. m. accidit tuus.*" — — „Haec enim est legitima loquendi forma." (Id. in dictat. ad h. l.)

54. *Pa.* emendetur *Ph.*

IV, 1. *Daceria:* „Hanc scenam interpretes primam fecerant Actus IVti; sed, quae proxime sequuntur, satis demonstrant, ne minimo quidem temporis spatio scenam vacuam factam fuisse. Phidippus enim quum primum domum suam intrat, uxor ejus, maritum evitatura, exit, et in scenam prodit, modo quum Laches discessurus loqui desierat. In quo mirum est, quod v. 7 Daceriae argumento esse videtur, quod inter Phidippi introitum et exitum Myrrhinae nullum tempus intermissum fuerit, quum idem versus ad alteri opinioni fidem faciendam idoneus esse videatur. Qua de causa, Donati auctoritati aliquid tribuentes, Daceriae, Bipontinorum et Bened. Wolffii exemplum sprevimus, et veterem Actuum descriptionem retinuimus.

De continuatione numeri hujus Scenae v. Herm. elem. d. m. p. 177 — 178.

1. *viro, meo* emendetur *viro meo.*

21. v. p. 219.

25. Myrrhina, clam Phidippo, ad semet ipsam haec dicit: „Causa quidem, quam maritus suspicatur discordiae nostrae fuisse, falsa est; attamen cum malo hanc falsam suspicari, quam ipsam veram reperire.“

38. *qui*, adverbium, quare, quamobrem.

IV, 2, 25. *absque una hac foret*, al. *haec* i. e. dummodo haec una abesset. Ita Phorm. II, 2, 11: *absque eo esset*. Saepius apud Plautum.

IV, 3, 1 — 3. v. Herm. elem. d. m. p. 168. Bentlejus trochaicos tetrametros hos versus fecerat.

4. *Fors fuat pol* i. e. Fortuna faveat. Don. *fuat* p. fuerit.

6. *dixi* i. e. nihil amplius mihi ad dicendum restat; nunc habes, quae mihi dicenda erant, ut scias, quae ego fieri velim. Phorm. III, 2, 88 sqq.:

hoc age.

Satis jam verborum 'st: nisi tu properas mulierem
Abducere, ego illam ejiciam: dixi, Phormio.

10. *minuam* i. e. minus faciam. cf. Andr. II, 3, 18.

12. pro *illaec* Bentlejus: *illae*. Sed Philargyrius ad Virg. Georg. III, 305: „Veteribus mos fuit, ut neutra femininis jungerentur. Unde Terentius Hec. IV, 3, 12: *Tua nihil refert, utrum illaec fecerint;* ad quem locum Burmannus: *illaec* in Terentio legendum, non *illae*, ut Bentlejus.

15. Mureti var. lectt. XVIII, 18 p. 468: „Vere et recte Donatus ait, eum (Terentium) alludisse ad principium fabularum, quae puerulis narrari solent, quarum pleraeque ita incipiant. Animadverti autem tale quiddam exstare et apud Aristophanem, μῦς καὶ γαλῆ; ubi etiam Theon notat, plerisque fabulis earum, quae domi narrari solerent, hoc esse principium: γέρων καὶ γραῦς.“ Schirach Clav. Poët. Class. s. v. *fabula* aliter interpretatus est: *nos jam omnium in ore versamur, omnibusque sumus ludibrio ob utriusque nostram senectutem.* Ruhnken in dict.: „*nos fabulae sumus* i. e. nos nullo numero sumus. Veteres tum homines tum res contemtus causa promiscue *fabulas et nugas* dicunt.“

V, 1, 15. Bentlejus corrigit:

Est, magnam ecastor gratiam de istac re quod tibi habeam.

16. ex Hermanni emendatione, quum in septimo pede iambici tetrametri catalectici dactylum Latini admittant (v. p. 227); Faërnus et Bentlejus librorum auctoritatem sequentes pro *purgét* habent *se expúrget*, et *parum* in extrema syllaba corripiunt.

17 — 21. ex Hermanni praecepto p. 179 sq. Bentlejus 17 — 19 trochaicos tetrametros catalecticos fecit, v. 18 *dum* pro *dicam* conjectura legens, et v. 19:

Máne, nondum etiam dixi id, quod te vólui. hic nunc uxórem habet.

et v. 20—21:

Quaére alium tibi firmiorem, dúm tibi tempus cónsulendi est: Nám neque ille hoc animo érit aetatem, néque pol tu eadem istác aetate;

nam varia sunt, quae libri scripti hoc loco legenda praebent.

V, 2, 13. Ponitur *crimen* pro *criminatio*. v. Drakenb. ad Liv. VI, 15, 7. Bentl. ad h. l.: „nostri omnes post *uxor* addunt *falso*. Sed inepte et versu respuente. *Crimen* per se habet notionem falsitatis.“

14. *sin autem*. v. Herm. p. 153.

18. *quia*. v. p. 213.

24. *haec* p. hae, uti saepe.

27. *Pudet Philumenae* i. e. pudet, me conspici a Philumena. Ruhnk.

28. Sensus loci est: Idem mihi evenire velim, quod Bacchidi evenit, ut amicos mihi comparem sine damno meo, et simul aliis prosim. Ruhnk.

31. Donatus ad h. l.: „Proprie *nobilitatem* dixit; nam et meretrix et gladiator nobiles dici solent“ et in hac *nobilitate* i. e. fama meretricis et ipsa utilitas continetur, quam meretrix consequitur; 32. *gratiam* indicat, quam a Pamphilo (*eii* i. e. Pamphilo, de quo V, 1, 34 dixerat *nam meritus de me est, quod queam, illi ut commodem*) et ejus cognatis ineat.

V, 3. v. p. 206.

9. *rei* monosyllabon; v. p. 213; Bentlejus scripserat: *quid huic hic ést rei?*

18—42. Canticum.

32. Herm. 151.

34. Herm. 153.

V, 4, 8. *venustas*, felicitas in re amatoria. *invenustus* Andr. I, 5, 10.

37. *vere* emendetur *vero*.

38. Hunc versum Bentlejus Bacchidi, uti par erat, restituit, qui prius vel Parmenoni vel Pamphilo tribuebatur.

PHORMIO.

C. FANNIO M. VALERIO COSS.

ACTA AB U. C. DLXXXXI. A. CHR. 163.

QUINQUE MENSIBUS POST EUNUCHUM *).

DE ARGUMENTO FABULAE.

Universum negotium hujus fabulae duabus legibus nititur, quibus Athenae utebantur. Lege Athenis sancitum erat, ut ii orbas in matrimonium ducerent, qui genere proximi essent (I, 2, 75), et de eadem re ne bis judicium fieret (III, 2, 56). Antipho, Demiphonis adolescens filius, quum pater abesset, in Phanium, peregrinam virginem, quae Lemno advenerat, amore exarsit, egensque consilio, quomodo cupiditati suae satisfaciat, Phormionem parasitum in auxilium vocavit. Phormio hanc fraudem struit. In judicium vocat Antiphonem, amantem Phanii, et contra eum lege agit, ut Phanium in matrimonium ducat; Phanio proxime cognatum esse, itaque ad eum eam legem pertinere, qua, qui proxime cognati sint, orbas ducere jubeantur. Non negat Antipho, et a judicibus damnatus ducit virginem.

*) *Ludis Romanis* (v. p. 240). Donatus tamen pro *Ludis Romanis* in didascalia *Ludis Megalensibus* scriptum habet. Quod si recte se habet, Phormio iisdem ludis Megalensibus, quibus Eunuchus, et, *quarto loco*, prius quam Eunuchus edita sit. Ludi scenici quum saepe per plures dies facti sint (v. p. 191), non incredibile est, duas fabulas Terentii iisdem ludis actas esse. Samuel Petitus quidem, Donati auctoritate confisus, in Observationum l. I c. VIII Phormionem prius quam Eunuchum actam esse censet. Ipsi *Ludis Romanis* et *C. Fannio M. Valerio Coss.* in inscriptione confisi, post Eunuchum et quinto loco Phormionem actam esse putavimus, IIII, quod simul inscribitur, vel falso inscribi vel ad aliam aliquam rem pertinere opinati.

Pater absens autem cum Chremete Antiphonis patruo, id pactus erat, ut Antipho Chremetis filiam uxorem duceret. Chremes Lemni filiam e muliere susceperat, quacum consuetudinem habuerat. Hanc filiam ut reviseret Chremes et ipse Lemnum abierat, et ex itinere reduces facti, Demipho de suo filio, Chremes de suo genero actum esse audiunt. Ira saeviunt, Phormionem volunt in judicium rapere, mox vero legis a Phormione, de eadem re ne bis judicium fiat, commonefactos consilii sui eos poenitet, et pecunia data a Phormione impetrant, quod minis impetrare non potuerant. Ipse Phormio Phanium ducere promittit, non ex animo quidem id promittens, sed dissimulata sua voluntate, ut pecuniam a senibus nanciscatur, quam Phaedriae, Chremetis filio, et ipsi amanti tradere possit.

Ita dum patres, filii, servi, heri res suas periclitantur, Chremes IV, 6 in anum incidit, quam statim Lemniae suae filiae nutricem esse cognoscit. Ex ea comperit, Lemniam uxorem, postquam diu Chremes Lemnum non adierat, Athenas migrasse, ut Stilphonem, patrem suae filiae, in ipsa urbe reperiret. Athenis autem, qui Stilpho sit, omnes nesciisse. Quare aegritudine confectam matrem obiisse, et relictam filiam nutricem coactam fuisse ut juveni Atheniensi in matrimonium daret, cujus nunc ex itinere reversus pater nuptias irritas factas esse velit. Repente error corrigitur. Chremes, ne duas se uxores habere palam fieret, Stilphonis nomen Lemni sibi imposuerat; inde factum erat, ut Athenis reperiri non posset. Iuvenis, cui Chremetis filia nupserat, Antipho erat, qui ipse et a Demiphone patre et a Chremete patruo conjux ei destinatus fuerat. Matrimonium igitur etiam a patribus ratum habetur; Phormio neque Phanium ducit, neque pecuniam reddit; Phaedriae amor pecuniae sustentatus est.

A scena fabula orditur, qua Davus servus, Getae servo amicus, cum semet ipso colloquitur: inique comparatum esse, ut semper pauperes ditioribus de sua paupertate addere debeant. Ita nunc Getae stipem suam colligendam esse, ut eam herili filio tradat, qui uxorem ducturus sit. Is filius autem Antipho erat. Ipsae quae de Antiphone res factae sint I, 2 narrantur. In Actu secundo Antipho desperat, Demipho revertitur, et ad reversum a Phaedria filius excusatur. In Actu tertio Phormio a Demiphone incusatur, sed lege fretus, qua bis de eadem re ad judices agere non liceat, domum suam tranquillo animo redit. Demipho amicos arcessit, quibuscum de rebus suis deliberet; Phaedria a Dorione lenone, domino Pamphilae, quam amat, de danda pecunia premitur; Geta servus ad Phormionem discedit, quocum conjunctus Phaedriae opituletur. In quarto Actu haec insunt. Demipho Chremeti obviam fit. Geta, a Phormione redi-

ens, senibus suadet, ut pecunia a Phormionis fraudibus Antiphonem redimant. Persuadet senibus. Demipho pecuniam ad Phormionem delaturus e scena abit. Chremes in Sophronam, Lemniae filiae nutricem, incidit, et ex ea filiam suam nuptam Antiphoni puellam esse percipit. In quinto Actu Demipho in scena cum Nausistrata, Chremetis uxore, adest, quam arcessiverat, ut Phanio mulieri mulier, ut ab Antiphone abiret, suaderet. Chremes domum uxorem redire jubet. Chremes, quae detexerat, Demiphoni narrat. Sed Geta quoque servus servili calliditate postquam dominis dominorum clandestina facinora auscultando eripuerat, ad Antiphonem et Phormionem ea defert. Extrema fabula Demipho et Chremes Phormioni datam pecuniam extorquere volunt; rixa oritur et pugnantes domum Chremetis deferuntur, et e Phormione Nausistrata fraudem sibi a marito factam comperit. Quod beneficium ejus ut compenset, Phormionem Nausistrata ad coenam vocat. Spectatores plaudere jussi discedunt.

Veteres quantum recentioribus virtute praestent, non melius perspicitur, quam cum praestantissimis quibusque nostrorum scriptorum comparatione facta. Phormionem quoque Terentii Gallicus poëta imitatus est; utriusque praestantiam comparabimus.

Moliere (les Fourberies de Scapin) fabulam suam ab iis rebus orditur, quae in Terentianae fabulae Actus secundi Scena I vel II fiunt, in medias quidem res *non secus ac notas* spectatorem rapiens, sed nimis usitata et quotidiana juvenis amantis lamentatione in fabulae exordio usus. Concluditur Gallica fabula eo, quod Phormio sive qui Phormionis similis esse fingitur, repentina aedium ruina, prope quas aderat, vulneratus et morti propinquus esse dicitur, et a domino suo, ementito mortis periculo, veniam impetrat. Terentianae fabulae principium sedatissimum est, sed, quamquam sedatum, observatarum rerum veritate et utilitate, ipsaque novitate sua spectatorum animos ad se allicit. Gravissime autem ea rixa, quae inter Demiphonem, Chremetem, Nausistratam et Phormionem est, et ad spectantes exhilarandos utilissime concluditur reconciliatis rixantium animis ea conditione, ut Phormio ad coenam vocetur et Phaedria, amans Chremetis filius, patrem amantem judicet. Inter Gallicae fabulae principium et exitum et inter Latinae idem interest, quod inter oratorem graviter incipientem, lente perorantem et inter oratorem, qui, post sedatum orationis principium, gravitate sua, in ipso exitu orationis adhibita, auditorum animos expugnat. Catastrophes artificium Gallici poëta (A. III Sc. 8) e Terentio IV, 6 plane petitum est, ut de praestantia Gallici poëtae hac quidem in re ne cogitari quidem possit. Non solum Antiphonis,

sed etiam Phaedriae Gallici amata, post detectum de patre errorem, senis opulenti et nunc cognati filia esse cognoscitur, quod omnem inventi verisimilitudinem tantum non destruit. Phormio Gallicus quum legis alicujus metu senes suos argento emungere non posset, decipiendis senibus timorem de periculis injicit, quae a piratis et saevis militibus vel ipsis vel ipsorum filiis immineant, artificiis ad fraudem exornandam tam ineptis et tam rusticis usus, ut ea hodie notare non opus sit, quum ipsi Galli et Gallici poëtae amici dudum ea vituperaverint *). Denique tantum jacet imitatio a Gallico facta prae exemplari, quod imitatus est, ut Molierii laudatores excusare eum eo voluerint, quod Galli tum temporis maxime incredibilia spectare consueverint, aetatis vitio, non hominis **); Baylius ***) et A. G. Schlegel ****) comparationem Molierii cum antiquis poëtis ex ipsius et Plauti Amphitruone magis, quam ex Phormione, quam fabulam senex scripserit, institui jubeant.

ANNOTATA IN PHORMIONEM.

Prol. 4. v. not. ad Andr. prol. 13.

4 — 8. Donatus: „Ideo videmur leves tenuesque, inquit, quia non in comoedia prodigia facta sunt, et tragoedias concitavimus. Et callide hic non solum errorem reprehendentis, sed etiam imperite scripsisse ipsum ostendit Lucium Lanuvinum.“ Praeterea de argumento fabulae L. Lanuvini nil novimus.

18. *reicere.* v. p. 213.

20. pro *benedictis* Serv. ad Aen. I, 548 habet *beneficiis.*

*) Boileau in Arte Poëtica III:

Etudiez la coeur, et connoissez la ville :
L' une et l' autre est toujours en modeles fertile.
C' est par-là que Moliere, illustrant ses écrits,
Peut-être de son art eût remporté le prix,
Si, moins ami du peuple, en ses doctes peintures
Il n' eût point fait souvent grimacer ses figures,
Quitté pour le bouffon l' agréable et le fin,
Et sans honte à Térence allié Tabarin :
Cans ce sac ridicule, où Scapin s' enveloppe,
Je ne reconnois plus l' auteur du Misanthrope.

**) Mémoires sur la vie et les ouvrages de Moliere in editione operum Basileae 1760 p. 72. Bayle Dictionaire historique et critique s. v. *Poquelin* n. *G.*

***) ibid. n. *B.* S. v. *Amphitryon* n. *B.* S. v. *Teleboes* n. *E.*

****) *De literis et arte scenica* II p. 212 sqq.

22 — 23. Bentlejus invenerat:

De illo tum finem faciam dicundi mihi,
Peccandi cum ipse de se finem fecerit.

Contra veterem legendi rationem, quae librorum est, Bentl. ita dicendo invehitur: „Ἀπὸ τῆς ἐπιεικείας τοῦ λέγοντος, inquit Donatus: et magnum sane mansuetudinis exemplum. Sententia est: Quoniam ille non desinit mihi maledicere, ego desinam ei remaledicere. Patientia paene Christiana; modo si ne a principio quidem remaledixisset. Sed vide, quam parum hoc congruat cum versu praecedente: *Quod adlatum, id rellatum*, par pari. Hoccine etiam est τῆς ἐπιεικείας?“ *Modestia* autem rhetorica speciosa magis, quam vera esse solet. Ita hoc quoque loco *De illo* et quae sequuntur specie quidem admodum *modeste* dicta sunt, re vera gravissime vituperant. Quaenam enim vituperatio hac gravior esse possit: Istius non amplius mentionem faciam, quum nulla spes sit, fore, ut aliquando peccare desinat? *Peccare de se* est *peccare erga se*,

ὁ λοιδορῶν γὰρ, ἂν ὁ λοιδορούμενος
μὴ προσποιῆται, λοιδορεῖται λοιδορῶν,

Philemonis sententia, quam ipsam fortasse Terentius imitatus est; nec „patientia paene Christiana“, sed summa Lanuvini contemtione dicitur, cui ne respondere quidem Terentius in posterum dignetur. Bentlejus non melioris, sed pejoris sententiae aliquid in suum Terentium intulerat; antiqua lectio servanda est.

25. „ἐπιδικάζειν in activo dicitur magistratus petenti haereditatem aut aliud aliquod bonum, item virginem haeredem orbam sententia sua adjudicans; petitor autem dicitur ἐπιδικάζεσθαι in medio, quum adjudicari sibi curat et impetrat.“ Reiske indice Graecitatis Demosthenicae. Ἐπιδικάζεσθαι passivo ipsa puella dicitur, quae petitori alicui a judice adjudicatur. Quare ἐπιδικαζόμενος, virili genere, medio dicitur, et petitor est, qui, aliqua virgo ut sibi in matrimonium tradatur, lege agit; ἐπιδικαζομένη, feminino genere, passivo dicitur et puella est, quae post judicium factum viro alicui in matrimonium traditur. *Epidicazomenon* ipse Terentius h. l. scripsisse dicitur; reprehensus eo nomine his verbis Donati: „Manifeste errat Terentius: nam haec fabula, quam transtulit, *Epidicazomene* dicta est, a puella, de qua judicium est: quum sit alia *Epidicazomenos* ejusdem Apollodori. Debuit ergo dicere *Epidicazomenen* Graece.“ Donati auctoritate Bentl. correxit. — Phormionis Terentianae argumenta Ἐπικλήρου (ἐπίκληρός ἐστιν, ἡ ἐπὶ κλήρῳ παντὶ καταλελειμμένη ὀρφανὴ, μὴ ὄντος αὐτῇ ἀδελφοῦ. Etym. M.) Menandri Rel. p. 60 sqq. et Ἐπιδικαζομένου Philemonis p. 364 sq. non ita dissimilia fuisse videntur. Cf. quoque Demosthenis πρὸς Μακάρτατον.

26. *Gracci*, *Latini Phormionem nominant.* Bentl.: „Id vero miraculi instar est, si jam Latini nominant Phormionem, priusquam acta fuerit, priusquam eam cognoverint. — — — Repone: *Graece, Latine hic Phormionem nominat*"; recte ita judicans, si ad Grammaticorum putidam diligentiam poëtice dicta corrigere liceat. At ea ratione omnis poëmatum spiritus deleretur. Terentius postquam *Graeci* scripserat, quod et ad sententiam et ad eloquutionem recte scribi potuit, *Latini* quoque adjecit, minus id quidem recte ad sententiam, sed concinne ad eloquutionem, et nemini id de voluntate scripti dubitationem afferens.

I, 1, 9. *de demenso suo.* „Servi quaternos modios accipiebant frumenti in mensem, et id *demensum* dicebatur." Donati.

10. *defrudans* i. e. defraudans; pervetustum. „Quotiens voluptati operam damus, indulgere dicimur Genio. Unde e contrario habemus in Terentio Phorm. I, 1, 10 *Suum defraudans Genium.*" Servii ad Virg. Georg. I, 302.

11. *Id illa* nupta scilicet. Don.

15. *initiabunt.* „Terentius Apollodorum sequitur, apud quem legitur, in insula Samothracum a certo tempore pueros [sacris] initiari, more Atheniensium, quod, ut in palliata, probandum est." Don.

I, 2, 2. „*conabar* absolute. An ἔλλειψις est, ut desit *ire*?" Don.

20. *oh, regem me esse oportuit* „Ostendit pauperum affectiones, qui se solos uti divitiis scire ajunt, si eas habeant." Don. Simul Donatus melius legi auctor est: *oh, me regem esse oportuit*, ut *me* acuatur. Quae commutatio verborum ordinis facienda, tamquam Bentlejanae audaciae antiquissimum exemplar, digna videbatur, quam commemoraremus.

24. *deo irato meo* non dativi, sed ablativi absoluti sunt; *deus quum mihi iratus esset.* Servius ad Aen. XII, 538 nostrum locum laudat, hoc adjiciens. „Singuli enim deos proprios habemus, Genios."

27. *isthaec* sunt ea, quae proxime sequuntur: *inscitiam esse, advorsum stimulum calces;* deest: jactare.

41. *illi* i. e. illic.

73. *qui* in hac imprecandi formula, Comicis propria, ponitur pro *utinam.* Ruhnk.

75. *lex.* v. not. ad III, 2, 62.

90 — 93. Scilicet *(credo)* aliquem internuncium mihi parabo, qui poenam pro me deprecaturus dominum meum adeat, ut nunc quidem dimittar; nihil se precaturum esse, si post aliquid deliquerim. — Sed veritate studii illiusmodi alicujus internuncii parum confidens, suum ipsius consilium deridens, adjicit: mente

sua orator meus tantum non cogitabit: ut Getam occidat, dummodo ego non praesens sim.

100. De portitoribus v. Ern. Clav. Cic. Epistolas ad portitores delatas esse patet etiam ex Plaut. Trin. III, 3, 65.

102. *Dorcium* femininum nomen est, ut Planesium, Glycerium. *Don.* Apparet hanc Dorcium conservam et uxorem Getae esse: ergo dat illi pecuniam servandam. Bentl.

II, 1, 14. *Depacisci* vel *depeccisci morte* est talem pactionem inire, ut ne mortem quidem recuses, dummodo rem gratam habere liceat. Ruhnk.

22. *de integro* i. e. de rebus adhuc integris. Ruhnk.

24. Bentlejus:

Ut neque mi jus sit amittendi, nec retinendi copia.

Burm. ad Virg. Aen. XI, 699 n. 96: „In Terentio legitur: *neque mihi ejus sit amittendi* etc., ubi quum prima litera librariis excidisset in *ejus*, Bentlejus et Guyetus *jus* contenderunt legendum. Quam insolentem explicationem vocis *juris*, pro *jure repudiandi!* de quo filius in potestate patris, et qui eo inscio et invito duxerat uxorem, hic non poterat loqui. Et dubito an probari possit, aliquem, qui damnatus a judicibus duxerat uxorem, non habuisse jus repudiandi, si dotem reddere vellet, et illa praestare, quae lex jubebat; sed errarunt viri docti, quia credebant *ejus amittendi* non posse dici de femina, sed *amittendae* debuisse dici; quum tamen ipse ad eandem fabulam V, 6 (5), 40 defendat *ejus habendi*, et adducit Ovidii locum Epist. [Heroid.] XX, 74, ubi notae nostrae videndae. Nihil ergo aliud dicit Antipho, haerens inter amorem puellae et metum patris, nisi se *lupum auribus tenere*, ut dicebat Tiberius ap. Sueton. 25, nec posse amittere, nec retinere.“ Non dissimilia Ruhnkenius sentit.

II, 2, 5. Idem versus in Andr. I, 3, 3 legitur, ibique ad continuationem sententiarum apte pertinet, quam hoc loco tarditate quadam impedit. Quare Harius primus eum obelo notavit, post eum Bentlejus et plerique interpretes. Tamen nihil in versu inest, quod omnino loco suo repugnet. *Quae* pertinet ad *mala* (v. 2); de duplici cura, quam et de se et de herili filio una susceperit, etiam versu decimo mentio fit; quumque veteres scriptores ingenii sui laudi non adeo consuluerint, ut numquam eadem iisdem verbis in locis pluribus repetiverint, quod Demosthenis potissimum exemplo comprobatur, et librorum scriptorum, praeter unius, auctoritas versum retineat, ipsi quoque in sede sua eum retinuimus.

11. v. Hec. IV, 2, 25. *ei* emend. *ei*.

8—13. Hermanni elem. d. m. p. 173. Bentlejus verba eadem versibus paulo aliter constituerat.

13. *Convasavissem* librorum, *conrasissem* Bentleji est. De verbo *convasare* v. Ruhnkenium ad h. l.

16 — 18. ex Hermanni praecepto elem. d. m. p. 93 ordinati. Bentlejus verbis iisdem versus alios effeccrat.

19. *Satis pro imperio* i. e. satis imperiose. Don.

33 — 34. Haec oris simulatio quomodo in scena ab histrione fieri poterat, qui persona indutus erat? Hunc nodum ut expedirent, aliqui viri docti ad eam opinionem adducti sunt, ut putarent, histriones personas suas ad tempus deposuisse; Boettigerus, qui singulari libello (*De personis scenicis, vulgo larvis. Vimariae* 1794) de hoc loco disseruit, ad amplitudinem veterum theatrorum interpretans confugit, in quibus plura auribus accipi, quam oculis cerni potuerint; aliquantum praeterea flecti potuisse ipsas personas, ut spectatoribus hoc quoque artificio eo facilius imponi potuerit.

34. *própemodum*, prima syllaba acuta, ex Bentlejana editione huc irrepsit. Est verum quidem Andr. III, 4, 7; Eun. I, 2, 123; Heaut. V, 5, 20; Adelph. I, 2, 51; quod Hermannus quoque elem. d. m. p. 64 observavit: quamquam traditum esse ab antiquis, accentum non ultra tertiam a fine syllabam rejici (v. p. 222), tamen in vocabulis, tres breves syllabas ante ultimam habentibus, constanti paene usu poëtas quartam a fine acuere. Hoc autem loco versus ratio hortatur, ut *propémodum* legatur, tertia ab extrema syllaba acuta, vel ex consuetudine sermonis quotidianae vitae („notandum est, quod adverbia omnia, quae cum praepositionibus componuntur, sub uno accentu proferenda sunt, ut *déinde*, *éxinde*. Hanc enim regulam sequitur omnis conjunctio, et in compositis et in simplicibus, ut intérea, étenim. Praepositio vero semper in fine accentum servat, ut *apúd*, *anté*.“ Priscianus de Accentibus in fin.); vel ut eo acrius *propémodum* contendat cum *sat est*, cui opponitur.

39. *ahis* emendetur *abis*.

46. *aufer mi oportet.* τῷ ἀττικισμῷ addidit *mihi*, sine hoc enim plena sententia est. Don. *aufer mihi* i. e. omitte.

53. *Succenturiari* dicuntur, qui explendae centuriae gratia subjiciunt se ad supplementum ordinum, et est translatio a re militari. Don.

II, 3, 1 — 16. v. p. 242.

9. *G.* emendetur *D.*

13. Bentlejus:

Pericla, damna peregre rediens semper secum cogitet;

nam ita scriptum esse apud Ciceronem, qui Tuscul. III, 14 hunc versum laudat, et *exilia* plurali numero in una et modica familia vix Demiphoni dicere licuisse. Sed apud Ciceronem ab aliquot tantum libris *exilia* abest, in aliis *exilia* legitur; ipse Cicero etiamsi *exi-*

lia omisisset, id eum omisisse memoriae vitio credibile esset, quum veteres non semper libros inspicere solerent, e quibus loca laudabant. *Exilia* plurali numero vel uno de homine non semel, sed saepius est in laudatissimis scriptis veterum, quod idoneis testimoniis Burmannus docuit ad Virgilii Aen. II, 780; Bothius fragmentum Euripidis adscripsit, quod Terentius h. l. expresserit, in quo et ipso de φυγαῖς πάτρας dicitur; denique, quod summum est, Demipho pro affectione sui animi dicendo auget sua incommoda, ita ut de *exiliis* (etiamsi vere neque de uno neque de pluribus ei dicere licuisset) recte eum Terentius dicentem finxerit. *Exilia* igitur retinendum est.

66 — 67. v. not. ad III, 2, 62.

80. v. III, 4, 20.

III, 1, 6. *F.* emendetur *P.*

11. *nervum* appellamus etiam ferreum vinculum, quo pedes vel etiam cervices impediuntur. Fest.

12. *pedum visa'st via* i. e. habeo jam, quomodo periculum effugiam.

28. *cena dubia* i. e. *ubi tu dubites, quid sumas potissimum;* tam laute instructa.

31. *Dii praesentes*, qui inter homines versantur manifesta sua specie et potentia; *coelestes* contra precibus demum acciti opitulaturi subveniunt. Voss. ad Virg. Ecl. I, 41.

III, 2, 3. *hoc age.* Donat. ad Eun. I, 2, 50: „*Hoc agite* i. e. illud desinite et hoc attendite.“ Mureti v. lectt. XV, 17: „Videor legisse, in sacris imperari solitum silentium his verbis: *favete linguis*, et Graece: σῖγα πᾶς ἔστω λεώς, et eadem de causa clamari solitum: *hoc age*, et hoc puto dicere non malum auctorem, Plutarchum in Numa [c. 14 p. 69 ed. Francof.]: ὧν ἴχνος τι μέχρι νῦν διασώζοντες, ὅταν ἄρχων πρὸς ὄρνισιν ἢ θυσίαις διατρίβῃ, βοῶσιν, ὦκ ἄγε.“ Seneca de clement. I, 12: *Hoc agamus, inquit, P. C. Seditiosi pauculi meo jussu occiduntur.* — *st*, significatione silentii, quam Faërnus addere volebat, non opus est.

4. v. ad Hec. II, 1, 1.

16. Verissime Ruhnkenius: *Cui opera vita erat* h. e. qui ex opera quotidiana sibi victum comparabat. Bentlejus: *Cui in opere vita erat;* ita habere codices universos. Sed Faërnus, codices non indiligenter perscrutatus: *cui opera*, idemque Donatus et Priscianus institut. XV, 2 p. 616 habent, idque ad sententiam, uti videtur, rectius. *Opus* eximie dicitur de opere rustico; igitur, *cui in opere vita erat* si retinemus, sit: *pauper, qui operi rustico operam dabat, ruri fere se continebat*, quod, nisi ταυτολογίᾳ, lente tamen dictum sit; contra *cui opera vita erat* i. e. qui manu sua victum quaerebat, una sententia

gravius est. Hiatus quidem, quem in *cui opera* Bentl. accusat, Lingii libro parum excusatur, sed Grammaticorum praecepta ex poëtis, non ex Grammaticis poëtae corrigendi sunt.

21. *Videas te atque illum, ut narras.* i. e. putet aliquis, te atque illum te coram videre, non aliter *narras* i. e. tam speciose mentiris; sive, qua audacia *narras* i. e. vana loqueris, cf. v. 54 et ad Andr. II, 2, 30, pro ea non mirum sit, si quis putet, te atque illum praesentem adesse, quem tantis laudibus effers; sive speciosius vix mentiri posses, si ipse praesens esset, qui numquam fuit. Phormio quum *viderim* dixisset, praeterito tempore, imo videas, praesenti tempore, Geta ei objicit, ad ludibrium trahens ejus mendacia. Neque *te* quidem sua potestate caret, sed additum est ad *ἐνάργειαν*, qua Phormio mentitus sit, acrius ostendendam. Perletus tamen *aeque* omissum putat, ut sit: Si vera sunt, quae narras, cura, ut illius similis fias, quem tantis laudibus effers.

39 — 42. Phormionis verba ita divisa sunt, ut partim ea aversus a Demiphone suppressa voce ad Getam, partim elata voce ad Demiphonem dixerit. *Perii hercle, nomen perdidi. Geta, si meministi id, quod olim dictum'st, subjice* suppressa voce ad Getam; *hem, non — — — advenis* elata voce ad Demiphonem dicuntur. Geta postquam *Stilphonis* nomen (42) Phormioni subjecerat, *atque adeo* etc. audacter Phormio Demiphoni dicit.

56. Demosthenes contra Timocratem p. 717, ed. Reiske — Schaefer. p. 455: *Νόμος: Ὅσων δίκη πρότερον ἐγένετο, ἢ εὐθύνα, ἢ διαδικασία περί του ἐν δικαστηρίῳ, ἢ ἰδία, ἢ δημοσία, ἢ τὸ δημόσιον ἀπέδοτο, μὴ εἰσάγειν περὶ τούτων εἰς τὸ δικαστήριον, μηδ' ἐπιψηφίζειν τῶν ἀρχόντων μηδένα, μηδὲ κατηγορεῖν ἐώντων, ἃ οὐκ ἐῶσιν οἱ νόμοι.* Cf. Orat. adv. Leptinem p. 502 (p. 318 ed. Reisk. — Schaef.) ibique F. A. Wolf: *οἱ νόμοι οὐκ ἐῶσι δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν ὑπὲρ τῶν αὐτῶν οὔτε δίκας οὔτ' εὐθύνας οὔτε διαδικασίαν οὔτ' ἄλλο τοιοῦτον οὐδὲν εἶναι.*

62. Demosthenes adv. Macartatum p. 1067 (II p. 172 ed. Reisk. — Schaef.) *Νόμος: Τῶν ἐπικλήρων ὅσαι θητικὸν τελοῦσιν, ἐὰν μὴ βούληται ἔχειν ὁ ἐγγύτατα γένους, ἐκδιδότω ἐπιδοὺς, ὁ μὲν πεντακοσιομέδιμνος πεντακοσίας δραχμὰς, ὁ δ' ἱππεὺς τριακοσίας, ὁ δὲ ζυγίτης ἑκατὸν πεντήκοντα, πρὸς οἷς αὐτῆς.* Divitissimi igitur *quinque minas* (v. 63) sive quingentas drachmas, quum singulas minas centenae drachmae efficiant, dederunt. Fuit igitur primi ordinis Atheniensium Demipho. *Τρεῖς δὲ τάξεις Ἀθήνησιν ἦσαν· πεντακοσιομέδιμνοι, οἱ πλουσιώτατοι· ἱππεῖς, οἱ ἱππάδα τελοῦντες· καὶ τὸ θητικόν* (Etymologicon magnum s. v. *ζευγίσιον* p. 410). Cf. Mureti v. lectt. XIX, 8 et interpp. ad loc. laud. Demosth.

64. Ruhnk. ad Timaei Lex. Plat. p. 131 s. v. ἡδὺς: „*Suavem hominem* Graecorum imitatione dixit Terentius. Quicumque Atticorum urbaniores dici haberique volebant, quem *stolidum* et *fatuum* dicere verebantur, leni blandoque nomine ἡδὺν, γλυκὺν, εὐήθη, χρηστὸν appellabant."

90. v. ad Hec. IV, 3, 6.

91. *F.* emendetur *P.*

92. v. d. vss. T. p. 215.

III, 4, 3. pro *credidisti* Wase Sen. p. 151 *credisti* habet.

14. alterum *G.* emendetur *A.*

15. *A.* emendetur *G.*

20. cf. II, 3, 80.

III, 5, 1—2. Herm. p. 93 et 182.

6—7. Bentleji sunt. Post *ne quid* vel ἀποσιώπησις est, vel interrumpitur oratio Geta Antiphoni interloquente. *suo capiti fuat* i. e. in lenonis ipsius caput vertat. *fuat* (fuerit) i. e. sit. Donatus habet: *Ei, metuo lenonem, ne quid suo suat capiti* et ea omnia Antiphonis verba, hac sententia: *vereor, ne quid leno struat, quod in ipsius caput recidat.* Quod et ad sententiam et ad eloquutionem bene se habet. Sententia quidem liquet. *Suere* autem, etiamsi apud nullum antiquitatis scriptorem *struendi* et *machinandi* potestate legeretur, nihilominus tamen ab Antiphone ita, quemadmodum erat, morato et hoc rerum statu pro *struere, machinari*, non inepta similitudine, dici potuerit; sed etiam insuper pro *struere, machinari* apud Plautum est; v. Forcellini lex. s. v. *suere, sutelae, consutus.* Quare etiam hoc in loco Bentleji ducis aliquem poeniteat.

17. *ei veris vincor* deest: *verbis Dorionis.*

18—19. Schmiederus et Bipontini post *Neque* comma, quod alii habent, delent, locum sic interpretati: quis credat, tum hoc esse mihi objectum malum, quum *et* Antipho *non alia* i. e. ejusdem fere generis sollicitudine occupatus esset.

23. Bentlejus delendum esse censuit. „Parum credibile esse, eamdem sententiam in eadem fabula (II, 1, 24) ab eadem persona ad eamdem bis dici, neque pro caetera Terentii cura et elegantia esse. *Auribus teneo lupum* tam notae significationis et vulgo tritum proverbium fuisse, ut explicatione ista non indigeret." At non ab re fuisse videtur, quod Terentius „eamdem sententiam ab eadem persona ad eamdem" iteratam fecerit, ad animum exprimendum inepti juvenis, qui, propter amoris libidinem sui impotens, iisdem querelis aures amicorum obtundit, ipsumque proverbium nunc nostris quidem hominibus tritum est, Terentii opera id effectum, sed ipse Terentius id de Graecis sumebat (τῶν ὤτων ἔχω τὸν λύκον, οὔτ' ἔχειν, οὔτ' ἀφεῖναι δύναμαι Don.), qui Graeci et ipsi *nec retinere, neque amittere* pos-

sum adjiciebant, praeterque Terentium non nisi bis terve in Latinis scriptoribus legitur.

41. post *pudet* punctum ablegetur.

III, 6, 9. *etiam tu hinc abis* idem est, quod in Eun. IV, 7, 29: *non tu hinc abis?* i. e. noli talia suadere. Schmied.

21. *Ni* emendetur *Né*.

24. *A.* emendetur *G.*

26. *auferte* absolute, quia uterque prae gaudio in amplexus Getae ruebant. Bentl. alii *aufer te.*

30. post *opus sit A.* emendetur *G.*

IV, 1, 1. *A.* emendetur *D.*

23. Ita scriptum est Prisc. I p. 488 ed. Krehl. (889 Putsch.) et II p. 147 (1147 P.)

IV, 3, 7. prius *C.* emendetur *G.*

20. *praecipitem dare* i. e. domo ejicere.

28. post *dari* punctum deleatur.

30. *hinc facessat* sc. *se* i. e. abeat.

31. Ruhnken ad Vellej. Pat. II, 57: „Apud Latinos frequens est *deos iratos habere* p. stulte agere [And. IV, 1, 41] et contra *propitios* p. sapere.“

48. post *dari* punctum sit.

IV, 4, 15. v. ad III, 1, 11.

31. inter *argentum* et *Phaedriae* commate distinguatur.

IV, 6, 1 — 11. Canticum. v. p. 242.

V, 1, 3. „Servi fugitivi vitabant domini casam aut villam, ubi facile comprehendi et in servitutem retrahi potuissent. Proverbio ita dictum est *ita fugias ne praeter casam* pro: cave, ne, dum levius malum vitas, in gravius praecipites.“ Ruhnk.

18. *Naustratam* (Nausistratam) pro *Phormionem*, quod legebant, Bentlejus correxit.

V, 3, 1. *Ut* ponitur pro *ut ut* i. e. quomodocumque.

V, 4, 2. *emisso* emendetur *emissa.*

5. verba *quidnam* et quae sequuntur non amplius Phormionis, sed Antiphonis sunt. Addatur igitur *A.* post *quid?*

V, 5, 40. *habendi.* v. ad II, 1, 24.

V, 7, 37. ne *malam*, sed *hinc* acuatur.

44. hic versus in principio suo *in jus* repetitum habebat. Bentlejus id delevit. Aliam tamen sententiam Muretus de eo susceperat, quem vide v. lectt. III, 3.

86. *in solas terras* i. e. desertas. v. Serv. ad Aen. XI, 545. cf. Andr. II, 4, 3.

96. pro *exculpe* plerique libri habent *exclude.*

V, 8, 26. *verba fiunt mortuo.* Heaut. I, 3, 10: *surdo narrat fabulam.*

57 — 58. Faërnus:

Quod is jubebit, faciam. PH. mulier sapiens es, Nausistrata. N. Sátin' tibi est? PH. immo vero púlchre discedo ét probe, Et praeter spem.

Nostra Bentlejus dedit.

Versus 65 — 66 ab editione Bentleji, quae Lipsiae 1791 prodiit, accurate descripti sunt. Verba *fiat* — — *judex noster* Nausistratae ante tribui solebant; Bentlejus ea, aliquorum librorum auctoritate usus, Chremeti tribuit, ut „senex cura ac miseria liber non sine joco ex scena exeat." Eadem Bentleji editio verbis *pol vero voco*, quibus *Nausistratae* nomen adscribi solet, et ipsis *Chremetis* nomen apposuit. Minime id ineptum. Astute senex praeripit, quae ab irata femina dictum iri praevidet, ut iram feminae eludat. Silent tamen de mutatione facta a Bentlejo ad h. l. annotata, ut imprudentia librarii factum esse videatur, quod ratione et consilio editoris mutatum esse suspicabamur; tam bene se mutatum habet. (*fiat?* lege *fiat:*).

Dissimilitudo descriptionis Scenarum et Actuum, quae est inter Bentleji et hanc editionem, in ipso margine notata est.

EMENDANDA.

P. 193 v. 3 ab extr. pag. emendetur *posthabita.* — p. 194 v. ult. em. *Francog.* — p. 197 v. 7 ab e. p. post *usus* add. *est.* — p. 201 v. 8 del. signa „ — ". — p. 209 v. 5 *earum* em. *carm.* — p. 213 v. 6 em. *tuam.* — p. 216 v. 16 ab e. p. em. *reperiri.* — p. 222 v. 11 ab e. p. *Quae* em. *Que.* — p. 236 v. 12, 13 *Veteratorcatus* em. *Veterator catus.* — p. 239 v. 23 post *quae* del. comma. — p. 250 extr. p. post *vellent*, add. *quod.* — p. 271 v. 14 post *ita* del. *se*, transferatur ad *cruciet* prox. v. — p. 278 v. 21 em. *pro-laxum.* ib. v. 26 post *sed* add. *etiam.* — p. 298 v. 5 ab e. p. ante *accurate* add. *quam.* — p. 299 v. 11 ab e. p. post *desierat* app. ". — p. 303 v. 16 ab e. p. em. *pecunia.* — p. 305 v. 7 ab e. p. em. *Dans.* v. 15 em. *cour.* — In textu Terentii si quid peccatum fuerat, in annotatis id emendavimus.

non nisi bis terve in La-

est, quod in Eun. IV, 7,
iadere. Schmied.

prae gaudio in amplexus

ed. Krehl. (889 Putsch.)

cere.

„Apud Latinos frequens
nd. IV, 1, 41] et contra

mmate distinguatur.

omini casam aut villam,
retrahi potuissent. Pro-
er casam pro: cave, ne,
ecipites.“ Ruhnk.
Phormionem, quod le-

uomodocumque.

non amplius Phormio-
A. post *quid?*

ir.
epetitum habebat. Bent-
m Muretus de eo susce-

Serv. ad Aen. XI, 545.

t *exclude.*
I, 3, 10: *surdo narrat*

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 492
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
the scale towards document

MBL 002867